NICOLAI

REMIGII

SERENISS. DVCIS LOTHARINGIÆ A CONSILIIS INTERIORIBVS, ET IN EIVS DITIONE LOTHARINGICA cognitoris publici

DÆMONOLATREIÆ LIBRI TRES.

Ex Iudicijs capitalibus nongentorum plus minus hominum, qui ſortilegij crimen intra annos quindecim in Lotharingia capite luerunt.

Ad illuſtriſſimum Principem, ampliſſimúmque Cardinalem Carolum à Lotharingia.

LEVITICI CAP. XX.

Vir ſiue mulier, in quibus Pythonicus vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur.

LVGDVNI,

IN OFFICINA VINCENTII.

M. D. X C V.

A.578016

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AMPLISSIMOQVE CARDINALI CAROLO A LOTHARINGIA, DOMINO suo colendissimo

NICOLAVS REMIGIVS fœlicitatem exoptat perpetuam.

ACCESSIT ad eam temporum, in quæ nostra ætas incidit miseriam ac calamitatem hîc longè maximus malorum cumulus (Princeps illustrissime) vt iam nihil sit adeò in procliui, quódque æquè pro nihilo ducant homines, quàm non dicam maiorum spretis institutis insolentes cultus ac religiones sibi ad libidinem fingere ac comminisci, sed etiam ipsam de Deo, cui cæteræ omnes naturæ parent, persuasionem ac opinionem penitus exuere atque à se abdicare. Quorum quidem multos labefactauit pertinax ac curiosa temeritas:

in iis exquirendis & rationis iudicio expendendis; quæ tamen omnem omnium ſenſum captúmque ſuperarent. Qui quod in hoc

--humano vela dedere
Ingenio

facto naufragio in horrendos ſummæ impietatis æſtus ac voragines ſeſe ipſi immerſerunt. Alios contrà perdidit mentis tarditas ac ſtupiditas; quæ maximè credulitati expoſita eſt, vbi ira, cupiditate cæteríſque, quæ facilè impellunt, affectionibus ceu flabello excitantur. Quo ex aucupio ſolitus ſibi prædam comparare Diabolus non ceſſat explorare, ſicubi ea præditum ſocordia quemquam nanciſcatur, quem aut egeſtas ad deſperationem, aut iniuria ad vindicationem, aut omnino rei alicuius deſiderium ad conſecutionem adeptionémque inuitet atque alliciat. His enim veluti ſtimulis commotos, ac ad quoduis conſilium promptos paratóſque adoritur. Et magnificis ſpecioſiſque pollicitationibus inductos ſibi addicit ac mancipat. Illos quidem prioris generis ἀθέους ferè parit, alit ac tegit ea quæ ex regionum varietate ac confuſione erupit noſtris temporibus libertas: in eúmque numerum iam euaſiſſe rumor eſt, qui facilè credi non poſſit. Sed aut quòd taciti impietatem ſuam concoquunt, ac velo eius quæ ad manum venit, religionis ſe obtendunt, non aduerti ac deprehendi: aut quia ex opinionis ſuæ ſtudio nullas turbas concient negligi ac indigniſſimè mitigato in tanta humani cordis impietate nomine licentioſos tantùm appellari, nec in eos

in eos disquisitiones fieri, aut exempla edi. Hos alteros sortilegij labe infames vtinam ne adauxisset eorum qui erudiendis ad pietatem hominum animis publicè præsunt segnities atque inertia. Nam certè hoc res ipsa indicat eos vtplurimum vicanorum rusticorúmque esse genere, apud quos aut frigidæ, aut raræ, aut omnino nullæ conciones habentur de Deo, déque iis quæ fidem (cuius præsidio præcipuè tuti sumus à veteratoris illius insidiis) in Christianorum mentibus stabiliunt, fouent, ac conseruant. Quod fortè multos impulit, vt rem miseratione potius, quàm supplicio dignam existimarent. Tantum scilicet ad eiusmodi homines deuenisse mali, non ex affectato, sed quasi necessario debilitatis imbecillitatísque suæ infortunio: Hócque quicquid est intra solam insaniam mentísque errorem consistere non etiam ad alienam iniuriam pertinere ac progredi. Et fortasse nonnullos Francorum (qui alioqui cæteris hominibus ingenij acumine iudiciíque synceritate in nullo sunt inferiores) detinere potuit; ne admodum magnam iis rebus fidem adhiberent. Verùm cùm ea siue deliratio, siue impietas habeat coniunctam atque implicatam societatem veneficij, aliorúmque scelerum quæ se facilè produnt: mirum est, quòd aliquando ex fumo ignem non deprehenderint. Certè mihi cui à tot annis contigit de iis quæ in Lotharingia capitaliter admissa sunt, iudicia exercere: iam nihil reliqui esse putaui, quin pleraque omnia, quæ de istiusmodi maleficiis vel ad prodigium narrantur vera ducerem;

ac præterea qualia ipse ex quæstionum quæ de iis habitæ in manus meas peruenere, inspectione comperi, memoriæ ac litteris proderem. Nec id quidem primum certo destinatóque consilio facere institueram, qui scirem ab eruditissimis viris multa eadémque iusta esse ea de re edita volumina, cuíque à re tum sua, tum publica tantum non esset otij, vt defungi hîc possem opera aliqua non ingrata ac inutili. Sed cùm (vt soleo temporibus negotia mea diuidere, ac laboris tædium varietate quantum possum effugere) à re iudiciaria subtraherem me ad amœniora studia, ac fortè ex recenti vel auditione, vel lectione, adhuc hæreret aliquid de sagarum præstigiis ac incantationibus: id quasi poëticum aliquod figmentum arripiens (nam ferè affinitatem aliquam habere videntur) inde versus aliquos conficiebam, ac pòst in aduersaria negligenter reiiciebam. Hoc solum in lucro deputans, quod otium lusissem, nec me langori ac desidiæ dedidissem: Tandem & incessit cupido, adhortantibus multis, & fortè otium præbente, quæ in vrbe grassabatur, pestilentia, scopas illas dissolutas ac discinctas connectere: vt iis, quantum in me esset, euerrerem, si quid adhuc in cuiusquam animo resideret, quod eius in istis amplectendis fidem remoraretur. Sed cùm hoc ne sic quidem validum ad persuasionem videretur (quis enim eo orationis genere ipsam etiam veritatem mendacij suspectam non habeat?) adhibui quæ ad eam asserendam momenti atque authoritatis plurimum apud homines habere solent,

lent, rerum personarum, locorum, atque temporum, quæ intercessissent, peculiarem, certam ac luculentam designationem. Atque equidem non omnium, sed quæ tantùm posterioribus annis obseruassem atque annotauissem. Nam vt dixi non erat primum consilium hanc narrationum syluam congerere, nec ad id me comparaueram. Hoc autem quale quale est, cui sic casu magis quàm iudicio extrema manus accessit, eo etiam faciliùs prodire in publicum passus sum, quòd intellexissem à maximæ prudentiæ viro Theodoro Alisio rationum in regia Lotharingiæ præfecto, id, si ita fieret cordi fore serenissimo Duci nostro parenti tuo, qui cum ea de re fortè sermonem habuisse se dicebat. Reliquum igitur fuit, illi patronum vt deligerem, in cuius præsidio ac clientela esset aduersus eorum petulantiam, qui cupidè omnia obseruare, ac in peiorem partem rapere solent. Cui rei adhibere te tantum principem, ac maximis quibusque regibus totius Europæ, quæ CHRISTVM nouit, consanguinitate propinquum, extremæ audaciæ fuisset, nisi ego homo Lotharingus è patrio penu depromens quæ alicui vsui esse posse puto, abs te, qui præcipuum es Lotharingiæ decus atque ornamentum, vernacula quasi fiducia hoc peterem præsidij. Ac potius nisi tua ea esset humanitas, quam, nemo qui rogarit, in te adhuc sibi claudi senserit. Ea tua in omnes, quos aliqua literarum commendatione cognitos habes, animi propensio ac beneuolentia, vt nulla tibi alia maior de quoquam promerendi

afferri

afferri poſſe dicatur occaſio. Quibus fretus ſi huic meo labori nominis tui ſplendorem mutuari ac inferre audeo, quo magis illum à tenebris vindicem: tuæ erit æquanimitatis, hoc illis cauſis & rationibus, quæ omnes à te ſunt, condonare: ac vel tua amplitudine atque tua dignitate indignum, tamen ab eo gratum acceptúmque habere, qui tibi ſe totum, quàm humillimè demiſſiſſiméque poteſt addicit ac deuouet. Quíque à rerum ſummo opifice nunquam ceſſabit contendere, te vt diu ſaluum incolumémque ad maxima atque ardua quæque conſeruet, ac optata tibi tua omnia ſemper offerat.

Nancæij.

LECTORI CANDIDO S.

MORIS est, qui à se scripta edunt, instituti sui rationem aliquam præfari: ne aut ad id temere prosilijsse, aut rectè susceptum consilium arroganter dissimulasse videantur. Hoc ne cōmitterem, isto præsertim argumento tam variè, dubiéque à multis tractato: dedi operam, lector, vt & propositi mei tibi causa aliqua constaret; &, si quem apud te locum rationes meæ inuenirent, etiam probaretur. Euenit, vt qui eamdem rem sæpè versant, eius notiones aliquas in animis suis informent: quarum deinde memoriam gestiant literis consignare: vel vt otium suum interim oblectent, vel etiam quod eiusmodi commentationes suas ad aliorum vtilitatem non omnino malè impertiri posse putant. Vtrumque, sed dissimili studio, sequutum esse me in hac, quam promulgaui, Dæmonolatreia non ibo inficias. Nam dū annos perpetuos ferè quindecim in sontes, quos per id tempus habuit Lotharingia, quæstiones, iudiciaque exerceo: oppleui quasi totum caput mihi sagarum, qui inter eos frequentes occurrebant, prodigiosis conuentibus, comessationibus, tripudijs, fascinationibus ac venenis, in aëre concursationibus, stupri cum Dæmone infanda consuetudine, crebris, vt videtur, in alienas formas mutationibus, atque id genus flagitijs, ac impietatibus; quibus earum vita vulgo est inquinata, ac contaminata. Ac si quando (vti solēt facere qui in aliquo literarum studio sunt versati) ad mansuetiores Musas diuertere, atque aliquid ad animi oblectationem meditari contingeret (nā interdum subducta foro dabat pagina versum) offerebant se tamen illa, ac quadam veluti memoriæ recentis importunitate inculcabant, quæ ipse nec ingratus admittebam; quòd non infeli-

cem materiam carminibus (quem tum otio meo lusum fortè deligebam) suppeditatura videbantur. Dū igitur modò hoc, modò illud, prout vnumquodque sibi animus per occasionem decerpit, vsurpo, ac seorsum attingo: idē vsuuenit mihi, quod ijs solet, qui è quaque veste quam concinnant, segmenta in cistam primùm quidem abiiciunt aceruatim, ac negligenter: pòst vbi in aliquem numerum iam accreuisse putant, retractant diligentiùs singula, atque ex commodissimis quibusque centonem aliquem colligunt: cui si nihil aliud, at certè ipsa, qua veluti emblema aliquod vermiculatis crustis distinguitur, varietas aliquam affert commendationem. Verùm quoniam rerum gestarum narrationes (qualibus ferè hic cento confertus est) præcipuam accessionem gratiæ habent ab ipsa luce veritatis; quòd vera, quàm ficta, excogitatáque legantur attentiùs; quódque homines tempus suum faciliùs traducant in ijs rebus, quæ cum delectatione coniūctam habēt vtilitatis expectationem: non malè operam locaturū me putaui, si ea quorum fides, tum ex sua nouitate, atque insolentia, tum ex orationis, quo scribuntur, genere labascere poterat, vindicarem à tam immerita opinione, adhibitis, quæ ad asserendam veritatem vulgo plurimum valent, rerum, personarum, locorum, ac temporū proprijs, & distinctis argumentis. Quorum tamen cùm initio nullam mihi copiam comparassem; illaque vti ex singulorum dispersa collectione generatim, atque vniuersè animo meo sese offerebant, per ludum, vt dixi, attigissem: cœpi abhinc quinquennio obseruare, atque excribere ex quibusque reorum quæstionibus quæ ad ea sigillatim referri, atque adaptari posse videbantur. Ac præterea, quo id cumulatiùs explerem, euoluere quæ superioribus annis neglexeram. Demùm cùm ruris (quo secesserā propter in vrbe gliscentem pestilentiam) solitudinem eblandiri aliqua ratione cuperem: commodum inter chartarum fasciculos

nactus: quæ sic in commentarios retuleram, ea otiosè ad certa redegi capita, quæ nudis, ac simplicibus illis suo ordine responderent, ac quasi partes ad totum suum accederent. Hæc nunc, lector, tibi videnda exhibeo modicè, ac fideliter denarrans: quæ ipse diuturno vsu, atque obseruatione comperi. Quæ tu, opinor, nullam causam habes cur reiicias: nisi si hoc est (quod aiunt) non esse ferendos, qui otio abutuntur in terrendis hominum animis rerum vanarum, futilium, & quæ vix rudibus illis sæculis se tueri potuissent, affectatis narrationibus. Quæ etsi retundit satis ea de qua modò dixi, circunstantiarum authoritas, publicis etiam loci cuiusque vbi gesta recitantur, monumentis testata, atque consignata: tamen vt & hunc scrupulum, dubitationémque ex illorũ animis euellerem, qui ad ea peregrini, atque hospites fortè accederent; non piguit ex locupletibus, & luculentis authoribus ijs consentanea quædam, ac veluti παράλληλα breuiter adiungere: siquidem rerum similiter gestarum commemoratio, non paruam veritati lucem, authoritatemq; afferre perhibetur. Dæmonolatreiæ nomen feci: quòd, licèt metamorphoses, veneficia, sanationes, præstigias, tempestatum commotiones, aliaq; id genus portenta multa contineat, quibus singulis suus alioqui titulus rectè constare possit: præcipua tamẽ visa sit adeò nefandæ in cultu, ac veneratione impietatis consideratio: quòd eius præsertim causa illa omnia adornari, instrui, atque effici certum sit. Nam equidem opinionem aliquam diuinitatis ex sua difficultate, magnitudinéque imprudentioribus ingenerant, ac relinquunt: vti facilè miseris mortalibus simulata, fictáue pro veris obrepere solent. Quis enim pro numine non colat; qui rerum formas, ac species ad nutum vertere, atque immutare, vitam momento adimere, eamdémque, ceu à morte iteratam reddere; elementa pro arbitrio temperare; futurarum rerum euẽtus pronuntiare, atque innumera

alia, quæ humanas vires superent, ac vincant, præstare posse existimantur? Porrò nullam me in istis exponendis secutum esse artem, nullam tenuisse viam, atque rationem, si quis obiiciet: nō ego ob id illi magnopere sim infensus, qui habeam vnde excusem. Quis enim (vt est in prouerbio) ex arena funiculum vnquam sperauit se nectere posse? Et tamen satius esse duxi hæc qualiacumque sine ordine, καὶ ἄνευ τάξεως lectori communicare, atque exhibere: quam dum parum concinnus videri timeo, pati vt in occulto diutius iaceant crassis circumfusa silentij tenebris: qui præterea sciam multa illis contineri, quæ nemo adhuc (quod audiuerim) scriptis mandauerit: aut certè non ea testimoniorum authoritate confirmauerit, tanta varietate distinxerit, exemplorum numero adæquauerit. Tū hæc (vti modò dixi) sic singula primùm attigi, vt nihil minus cogitarem, quàm ea aliquādo concinnare, atque in vnum corpus redigere: sed ipsa iam per partes informata materia, atque equidem haud omnino pœnitendo labore tandem peruicit, vt in hanc, qua nunc prodit, formam quantumuis rudem sinerem coalescere. Veluti quæ ex temere primùm sparsis ædificijs progressu temporis coagmentantur vrbes, inordinatas, incompositásque viarū regiones habent: quia scilicet non fuit ab initio destinata collocationis vniuersa, certáque facies: sed vt quidque minus inæquali situ, indecentique serie ad aliud referri, atque adaptari potuit, ita est in suum ordinem digestum, atque distributum. Quamquam nec adeò incondita, inconcinnáque est hæc congeries; quin orbem, contextúmque aliquem obtineat: eū videlicet, non quem artes, quæ præceptis traduntur, accuratè, exquisitéque postulant: sed qualis in narrationibus esse solet, vbi suo quidque quemadmodum euenit, ordine, ac loco recensetur. Sic malui scribere, quomodo homines primùm sortilegij labe inficerentur: quas proximè artes edocerentur,

vti ad

vti ad conuentus suos properarent, quæ in ijs struerent consilia: vt deinde ex composito mortalium valetudinem affligerent, restituerentue: Satis calamitatem inferrent: vincti vel resipiscerent, vel sic se obfirmarent, vt quæstorum etiam sagacitatem eluderent: aliáque id genus multa patrarent, ac designarent, quæ hîc nimis longum sit recensere. Nam certè ex istis omnibus sagas esse, nisi si planè nihil videre, ac intelligere volumus facile erit perspicere, ac dignoscere: Quæ in hac disputatione prima, præcipuáque fortè erit quæstio: & omnino si minus delectabit vniuersa ista species, fortè quia sic diffusa, ac dissoluta: at iuuabit, ac proderit singulorum notitia, atq; intelligentia: παραδοξόλογον *forsan, &* ματαιόλογον *dicent me nonnulli, qui sagas loquar nimbos molientes, aëra perrumpentes, angustos aditus permeantes, cum Dæmonibus commessantes, saltantes, concumbentes, ac prodigiosa, portentosáque id genus pleraque edentes: sed sciant, velim, me primùm hîc non rumore dispersa, sed multorum separatis, consentientibúsque testimonijs (vti iam dixi) comperta narrare. Tum non captiosè, sed probabiliter ea disputare, exquisitis etiam ad Christianæ religionis rationem argumentis, & probationibus: denique liberũ omnibus facere, contrà si velint, vt sentiant: neque enim scita velle pronuntiare me, ac decreta. Quamquam si quis de illis sententiam eam roget, à vero non vsquequaque aliena esse existimauerim: ac certè propius fidem, quam pleraque alia; quæ tamen pro certis, ac indubitatis scripta reliquit antiquitas. Quid enim si (vt reperitur in C. Epidij commentarijs) arbores locutas nunc dicam, aut etiam bouẽ, asinúmue? Quid si oliuetum vniuersum viam publicam trangressum, aruáque inde è contrario in locum oliueti profecta? quod tamen in agro Marrucino sua ætate factum retulit Plinius. Quid si Amphionem feras, & arbores: Orpheum saxa vocibus, & carminibus, id*

est ἐπῳδαῖς, quo volebant, trahentes? Scripsit tamen Pausanias ἠλίακων β. narratum sibi fuisse ab Ægyptio quodam hoc illos, quòd insignes eßent Magi, verè præstitisse. Quid si montes duos arietum instar inter se concurrentes, recedentésque? quod in agro Mutinensi olim euenisse Romanorum testantur historiæ. Quid denique, si terram sua sponte discumbentibus gramina substernentem: Tripodes in medium procedentes, vinúmque, ac aquam fundentes: æneos pincernas cyathos proferentes: quod apud Hiarchā, alióſque Gymnosophistas vidisse se retulit Apollonius? Non est igitur narrationibus idcirco fides detrahenda: quòd noua, inaudita, ac sæpè contra quam ferant naturæ leges, ad exitum aliquem perducta cōtineant: siquidem multa sunt, quæ Dæmones pro maxima sua potestate faciunt, ab omni, quem natura tenere solet, modo, atque ordine alienißima. Nemóque ob id indigna illa iudicat, quæ posteritati prodantur: si modò talia sunt, quæ absurdi nihil habeant. Nam certè scio multos esse, qui per eorum causam, ridicula, atque inepta multa comminiscantur: veluti qui sagas suis pharmacis homines ex hominibus exuere, atque in feras vertere: ex earum corporibus emigrare ad tempus animas, ac in ea, ceu postliminio, redire: Dæmonum compressibus eas grauidas fieri, aliaque eiusmodi pleraque: quæ seriò etiam nobis narrant, ac persuadere conantur. Quibus ego sic habenas effusè laxantibus nihilo sim æquior, quàm illis qui nimium eas inhibent, ac compescunt. Vtrobique enim par erratum admittitur: & ea, quæ ratio, experientiáque diuturna comprobant, reiiciendo: & quæ sapientissimi cuiusque fides semper respuit, admittendo, ac confirmando. Æstimabit igitur lector, atque expendet pro suo sensu omnia: ac si quid fortè vel per incredulitatem, quæ in optimi cuiusque mentem facilè irrepit, insolentiùs approbauimus: vel per fastidiū, quo modestissimi quoque nonnum-

quam

quam tentantur, liberiùs damnauimus: id ei condonabit, quam nos nobis in hoc dissertationis genere ex tam frequenti iudiciorum vsu consequuti videmur experientiæ, simul & confidentiæ. Fit enim, vt quæ quis præsens vel vidit, vel audiuit, ea orationis maiore narret fiducia; præfractiúsque aduersus eos, qui contrà sentiunt, defendat. Quamquam hîc mihi bene conscius sum, nihil certandi scripsisse studio: nihil, quo ex argumenti nouitate admirationem mouerem, gratiam captarem: sed tantùm in eum veritatis scopum, quo multi alij: quorum tamen minus instructa esset iaculis pharetra, quàm nostra nunc est, collimasse, atq; oculorum aciem direxisse. Qui conatus, si ita (vt speramus) accipientur, & alij (auxiliante Deo) aliquando consequentur, quos nemo, qui æquum se nobis præbere volet, frustra vnquam esse dixerit.

CLAVDII ET EMMANVELIS
AD PATRIS LIBRVM
HENDECASYLLABI.

IDem cùm tibi lucis extet author,
Qui nobis quoque lucis extat author
Subcesiuæ operæ, liber, parentis
Fraternè minus, & minus benignè
Hîc fecisse putemur, à paterna
Si te fortè domo peregre euntem
Nullis muneribus viaticóue
Vt notos decet vsque prosequamur.
Ergo quas inopes scholæ ministrant,
Iis te si meliora sint daturi
Impertiri opibus iuuat pusillis;
Sic est ingenium scholasticorum,
Vt quis quemque colit magis vel odit
Illi carminibus benè ominari,
Isti carminibus malè imprecari.

Primùm

Primùm nemo ſua procacitate
Te proſcindere tentet immerentem:
Aut ſi cui potis haud erit tenere
Se, quod carpere fortè conſuerit
Quicquid non ſua cudit officina;
Huic, vt lingua ſuum exeret venenum,
Aures promineant vtræque duplò
Hirſutæ magis atque ſurrigentes,
Quàm quas rex ſtolidus premebat olim.
Mitra ſub Phrygia, & truci capillo
Iam nunc tutior hacce ſanctione
Tete quodlibet infer in tribunal
Audens, atque tuo cie flabello,
Si quis languet adhuc ſepultus ignis,
Quem lentus dubitet ciere Iudex
Aetas hæc vt habet ſatis ſupérque
Multos, relligio quibus ſit vlla.
Exercere ſtriges ſeueritate
Legum, vltricibus & cremare flammis.
Sed nos fortè minus decenter iſta
Qui Muſas colimus benigniores,
Et quæ ætas etiam eſt vtrique noſtrûm
Procliuis minus ad ſeueritatem,
Procliuis magis ad benignitatem:
At nemo vitio dabit tueri
Nos idem quod, & piè, tuetur.
Huius qui tibi lucis extat author,
Nobis qui quoque lucis extat author.

AFRICANI AD PATRIS LIBRVM.

τετράστιχον.

S Sed nec tu, liber hinc mihi non donatus abibis,
Proſequar at voto, ſi nihil eſt aliud.
Scilicet immeritum ne te mala lingua laceſſat
Excuſéntq; boni, ſi quid erit ſegnius.

SVMMA SINGVLORVM CAPITVM HVIVS OPERIS.

LIBRI PRIMI

CAPVT I.

QVIBVS illecebris homines à Dęmonibus primùm trahantur, labéque sortilegij inficiantur. pag.33.

CAP. II.

Quemadmodum dolis suis captos Dæmones medicato puluere, virgis, vnguine, variísque id genus venenis instruant: quorum alia mortem, alia morbum tantùm; quædam etiam sanationem afferant. Vtque ea neque semper, neque omnibus sint noxia: sed reperiantur, quibus sæpè frustra sint aspersa: maximéque qui in maleficos capitalia iudicia exercent. pag.36.

CAP. III.

Vnguine suo Magico impune sagas manus, séque adeò totas illinere: quo tamen, si cuiusquam vestem vel extremam attigerint, id illis continuò mortiferum sit futurum, si modò lædendi est animus: Nam aliter eum contactum innoxium esse, atque expertem iniurię, pag.42.

CAP. IIII.

Dæmones suis cùm primum eos adoriuntur pecunias conferre; quæ pòst, sublatis præstigijs, fimus, testæ, folia, aliæque id genus quisquiliæ esse reperiantur. Cur veras largiri nequeant, cùm tamen eorum, qui terra abditi latent, thesaurorum custodes, asseruatorésque esse dicantur. pag.44.

CAP. V.

Non satis esse Dæmonibus diserta verborum stipulatione obligatos, nexósque homines habere: sed illis prætereà notas vnguibus suis inscribere, quæ seruitutem, in quam abduxerunt, perpetuò testentur. Qua sæpius corporis parte fiat inscriptio: vtque sensu penitus illam orbent ac destituant. pag.46.

CAP. VI.

Dæmones cum hominibus concumbere: sed frigido, iniucundo, irrito, atque effœto coitu: matrimoniáque nihilominus frequentare: Zelotypiam etiam fingere, atque assimulare. pag. 52.

CAP. VII.

Dæmones corpus sibi condensare ex aliqua materia, formásque variarum animantium sibi assumere: humanam etiam nõnunquam: sed infami, ac deprauato vultu, manibúsque & pedibus semper in morem auium rapacium vncinatis, atque hamatis. pag. 75.

CAP. VIII.

Dæmones sermonem, quali vtuntur eæ, apud quas versantur, nationes sibi fingere: sed subsurdum, pusillum, & clauso murmure raucum. pag. 78.

CAP. IX.

Satanam recti specie homines sæpè decipere: suos quoque ad eamdem hypocrisim quàm maximè potest eruditos habere, quo in occulto magis sit eorum improbitas, minúsque coniectura, ac suspicionibus coarguatur. pag. 81.

CAP. X.

Dæmones illuuiem summam demonstrare: tum quæ eorum præsentiam semper comitatur, odoris fœditatem: tum quæ de vitanda munditie adeò accuratè suis præcipiunt: maximéque in manibus, quarum lauationem aiunt fascinationibus obesse: quomodoque id sit accipiendum. pag. 94.

CAP. XI.

Sortilegos, quod olim pagana fecisse dicitur antiquitas, Dæmonibus suis annuatim quid pendere: quo vel plagarum metum, vel earum quibus ex pacto obnoxij sunt, præstationum vacationem redimant: Tum id quod sic penditur, si animal est, vt nigri coloris planè esse oporteat. pag. 98.

CAP. XII.

Sagas ad Sabatharios suos conuentus auolaturas maritorum zelotypiam fallere, illis in arctiorem somnum per incantationem inductis: vel etiam supposita, quæ earum speciem habeat, re aliqua. pag 102.

CAP. XIII.

Multa esse, quæ Dęmones grauiter, & seuerè in sagas animaduertant: nocturnorum conuentuum desertionem: morborum se inconsultis senationem, iniuriæ concessionem, innocentiam, contumaciam, à malè agendo dehortationem, criminis apud Iudicem agnitionem, irritam insidiarum molitionem: atque eius generis alia quàm plurima, quæ vel atrocissimis verberibus illis luere, vel damno aliquo rei propriæ grauiore pensare necesse est. pag. 103.

CAP. XIIII.

Veram, & præsentem sagarum ad nocturnas suas Synagogas sæpè esse profectionem: nonnunquam etiam vanam, & per insomnium tantùm conceptam, ac meditatam: rectéque sentire, qui vtrumque defendunt. Tum vt diuersæ sint eius professionis rationes, quibúsue noctibus sæpius fiant in Lotharingia. pag. 110.

CAP.

CAP. XV.

Frequentes ex omni genere homines ad nocturnos Dæmonum cœtus conuenire: sed maiori ex parte fœminas, vt est is sexus prauis consilijs magis obnoxius. pag. 125.

CAP. XVI.

Insuaues, atque illiberales in comessationibus sagarum apponi cibos, & qui præterea famem nihil depellant: Quæ res multis non iniuria opinionem attulit merum id esse visum, & phantasma: Quod tamen non est perpetuò verum: Nam & aliquando humanis morticinis, ac alijs id genus insuetis carnibus verè vescuntur: at sine sale, ac pane. Ac quid causæ sit, quòd se ab alijs duobus præcipuè abstineant, probabiliter disputatur. pag. 127.

CAP. XVII.

Choræarum, qui in Dæmonum sacris olim fuit, vsum etiamnum hodie retineri in nocturnis eorum conuentibus: maiorémque lasciuitudinem parere, quàm solent vulgares aliæ hominum saltationes. Item ab auersis sagis in orbem tripudiari. Tum vt malo more semper inualuerint: licet ab insania parum distare constet. pag. 133.

CAP. XVIII.

Solenni iureiurando, quod ipse etiam Dæmon verbis præit, sagas vicissim se obstringere, non prodituras se iudicio facinoris socias: Neque tamen in eo tantùm fiduciæ ponere, quin sibi contra eum metum alia etiam ratione prouideant: nomen videlicet suum dissimulando, vultuíque laruam, reticulum, velum, aut quid aliud obducendo. pag 136.

CAP. XIX.

Iniucundæ, ac etiam ridiculæ cùm sint quæ saltantur in Dæmonum conuentibus cantiones pro ijs nihilominus agendas abs discedentibus gratias: perinde ac si magnæ alicui voluptati fuissent. pag. 138.

CAP. XX.

More hominum Dæmones suos conuentus agere: vbi solita in fidei clientelaris præstatione oscula, amplexúsque à suis excipiant: vnúmque ex omni numero esse veluti principem, cui is honos solenniter exhibeatur. pag. 142.

CAP. XXI.

A Dæmonibus sæpè magna vi in fruges, ac sata immitti variarum specierum bestiolas, quæ ea momento populentur, ac depascantur: Quomodóque id fieri contingat. pag. 145.

CAP. XXII.

Noui semper aliquid à superiore conuentu afferri oportere, quòd in alterius sit patratum exitium: nec impune esse, si quis ab iniuria, ac maleficio vacuus ad sequentem redeat. pag. 148.

CAP. XXIII.

Dæmones se in variarum animantium formas pro tempore, at-

que vsu induere: quoties inter suos versari volunt: præcipuámque semper esse hirci: maximè cùm se publicè colendos, venerandósque exhibituri sunt. pag. 149.

CAP. XXIIII.

Quietam, & laboris expertem fuisse, quæ olim euenisse legitur hominum à bonis Angelis per aëra transuectionem: eam verò, quę nunc circumfertur sagarum à Dæmonibus, plenam esse molestiarum, & lassitudinis. pag. 157.

CAP. XXV.

Hoc quamuis memoratu incredibile: vno tamen ore sagas omnes loqui suscitandarum nubium potestatem sibi à Dæmonibus sæpè fieri: quas postquam vnà cum ijs sunt elatæ, pellant, trudántque quo velint: ac etiam nisi si quid obstat, in terras excutiant. Quęque eius molitionis propria, peculiariáque ab illis memorentur. pag. 158.

CAP. XXVI.

Campanarum sonum, quòd eo ad pias preces excitentur homines, Dæmonibus infestum esse, atque inimicum: earúmque non abs re vsum frequentem esse, vbi tonitrua, grandines reliquæque tempestates, quibus se illi creduntur immiscere, ingruunt, atque impendent. pag. 162.

CAP. XXVII.

Vestigijs veluti vnguium sæpè impressa, atque exarata apparere, quæ fulmine sunt percussa: quod opinionem multis adfert adnitentis Dæmonis: cui fama est, cùm se in corpus aliquod induit, maximè id placere: quod vncis, hamísque in morem feræ bestiæ sit instructum. pag. 166.

CAP. XXVIII.

Non rectè sentire, qui cum Epicureis negant Dæmones hominibus occursare, solatia afferre, terrores inijcere, insidias parare, iniurios, molestos, ac noxios esse: cùm hæc passim tum sacræ, tum prophanæ historię perhibeant, hodiernique adeò sagarum omnium sermones vno ore confirment. pag. 169.

CAP. XXIX.

Non modò, vt iam dictum est, sortilegos per aërem à Dæmonibus deferri: sed & ex eo loco multa in hominum perniciem moliri, ac machinari: demúmque in terram innoxio casu, ac qualis solet esse auium, lapsione placida, quietáue deponi. pag. 177.

LIBRI SECVNDI

CAPVT I.

NON esse in Dæmonum potestate dissolutas morte animas ad sua corpora reuocare. Vt tamen sunt operum Dei adumbratores maximi id sæpè in speciem eos præstare, dum sese cadaueribus insinuant,

insinuant, ac in ijs motum, qualis in viuentibus esse solet, interius cient: quemadmodum ἐν αὐτομάτοις euenire videmus. Tum de Petronij Dalhemij impietate, parricidio, prodigiosísque amoribus historia. pag, 183.

CAP. II.

Luem istam sortilegij sæpè in liberos ipsa parentum labefactatione, ac veluti contagione demanare: dum scilicet Magistellorum suorum gratiam eo facto inire illi student. Ac quomodo ætatis excusatione malè id crimen à quibusdam in pueris defendatur: tum propter suam atrocitatem, immanitatémque: tum quod eius vnquam deponendi spes ferè omnis sit erepta, atque ablata. pag. 196.

CAP. III.

Humanis cadaueribus sortilegos abuti ad sua maleficia: præsertímque, si quæ sunt vel abortu egesta: vel supplicio interfecta: vel denique cæde aliqua indigna, atque inhonesta perempta. pag. 209.

CAP. IIII.

Perdifficiliter vitari posse quas veneficæ hominibus struunt insidias: quod de nocte in obseratas, clausásque domos ignota specie, ac forma illabantur: arctissimo somno decumbentes diris suis artibus obruant, prodigiosáque alia multa edant; contra quæ nullum tam præsens est remedium, quàm quibus nos lectum inituri Deo tradere, ac commendare solemus precationes. Tum quædam de ea per incantationem inducendi somni ratione. pag. 217.

CAP. V.

Metamorphoses adeò multis tum veterum, tum recentiorum exemplis decantatus speciem, non etiam veritatem habere earum rerum, quas prę se ferunt: decipi enim oculorum sensus Dęmonum, qui eas ostentant, præstigiis. Quæ porrò sic assimulatam speciem comitantur actiones, etsi eæ quidem veræ reperiuntur: nihilo magis tamen rei veritatem astruere: quòd constat eas à Dæmonibus, qui operi adnituntur, identidem proficisci: vt est illis ad quælibet prompta natura, atque expedita. pag. 226.

CAP. VI.

Satanam in veneficorum societatem sæpè suos asciscere, ad eáq; multa adhibere: non ex se quidem virulenta, ac venenata: sed tamen virosa, ac putida: Cúrque id ita faciat. pag. 239.

CAP. VII.

Variorum quæ sortilegi occultè mortalibus inferre solent malorum exempla: quibus formidabiles eorum deteguntur artes, atque insidiæ. pag. 240.

CAP. VIII.

Sparsas à sagis humi herbas, pulueram, festucas, aliásque id genus quisquilias supergredientibus necis, vel morbi certissimam causam, prout illi nocendi consilium fuit, ac voluntas, afferre: cæteros omnes, quibus parcere decreuerint, saluas, incolumésque euadere.

In quo mirè elucent Diaboli in affligendis,perdendísque hominibus artes,ac machinæ. pag. 246

CAP. IX.

Quid causæ sit,quòd Diabolus maleficorum sæpè accensum postulat,vbi quid alicui calamitatis molitur,ac struit. Plurimáq;, quæ id illum more facere demonstrant,exempla. pag. 252.

CAP. X.

Aliud in eamdem sententiā exemplum:ac quomodo cędes à Dæmonibus factæ nullum sæpè sui vestigium ostendant. pag. 271.

CAP. XI.

Aliud rursus eiusdem cum superioribus argumenti exemplum: cuius probabilitas prætereà veterum authoritate defenditur: Tum quo præsertim nitendum sit præsidio aduersus Satanæ insidias, atque incursiones. pag. 272.

CAP. XII.

Alia quoque eiusdem argumenti cum superioribus exempla: ac vt Dæmones eos præcipites deiiciant,quibus nocendi prouinciam à sagis acceperunt. pag. 276.

CAP. XIII.

Alia etiam de eadem re exempla: tum vt Dæmones, eorúmque asseclæ striges tectis,ædificiisq; latenter ignem iniiciant. pa. 278.

CAP. XIIII.

Alia item in eamdem sententiam exempla duo: ac quemadmodum Dæmones suorum oratu illis oris spiritū obstruant,animámq; intercludant,quos vlcisci cupiunt. pag. 282.

CAP. XV.

Rursus & alia de eadem re exempla: atque vti Dæmon obiter illis vulnera infligere soleat, quibus nocendi mandatum à sagis habet. pag. 283.

LIBRI TERTII

CAP. I.

EODEM mentis errore nos nunc Diuos morborum authores facere,quo olim Ethnici infortuniorum suorū causas in Deorum aliquem reiiciebant. Ex eo rursus alium esse creatum de sanatione ab iisdem necessariò petenda: quasi qui sunt à scorpionibus icti. Quem non parum confirmant quæ in ea Dæmones portenta sub specioso miraculi nomine interponunt. Et an pręstigias tantùm,vel etiam veritatem ea habeant disputatur. pag. 285.

CAP. II.

Dæmonum alia in labefactandis, deprauandísque hominibus astutia. pag. 307.

CAP. III.

Nulla re tam citò,ac commodè adduci sortilegos ad depellendum

dum quem fecerunt morbũ: quàm minis, verberibus, violentia: Cautionem tamen eſſe non paruam, ne quod minus fuerat malum in maius abeat, verſuráque grauiore cum damno fiat: Tum propria quædam declarantur, quæ in eo negotio intercedere ſolent. Diſputatur etiam, an illa morbi vi extorta curatio poſſit eſſe citra fraudē animæ capitalem eius, qui ſic vim adhibuit necne. pag. 310.

CAP. IIII.

Curationes Dæmonum velo ſemper aliquo religionis obtendi: ſæpè etiam viri, qui rerum potiatur aſcita in ſpeciem ope, ac miniſterio perfici: quo ſcilicet eis maior accedat authoritas. Verùm inter hæc Dæmones nonnunquam ſuam turpitudinem prodere: dum obſcœna etiam, fœdáque adhiberi volunt. pag. 331.

CAP. V.

Multa eſſe, quæ ſortilegi agnoſcunt ſibi afferre impedimentum: ne aliorum à ſe afflictum valetudinem vel reſtituant, vel ſubleuent. Quæque ea ſint propriis ad id rationibus, atque exemplis declaratur. pag. 336.

CAP. VI.

Quod extremum eſſe poteſt poſt exactam per omne ſcelus, impietatemque vitam mors propria accerſita manu ad id Dæmones ſedulò ſuos hortari, atque impellere: maximè vbi illis indicij periculum imminere vident, Sed hoc tam crudele mentis conſilium Deum ſua benignitate, clementiáque ſæpè confringere, ac contrà potius ad pœnitentiam ſalutarem eos adducere. pag. 343.

CAP. VII.

Eiuſdem argumenti cum ſuperioribus alia quædam exempla. pagina 346.

CAP. VIII.

Valde pertinaces eſſe Dæmonum manus: nec facilè iis eripi, quod ſemel corripuerunt: Inde eſſe quod non modò in vinculis, ſed & in tormentis conſtitutos obnixè retinent, ne ſua ſe confeſſione ſortilegij cuius accuſantur manifeſtos faciant: ac tandem admiſſorum pœnitentia ducti reſipiſcant, ſed ſępè in nihilum illis eos conatus, atque obſtacula Deo ſic volente recidere. pag. 349.

CAP. IX.

Multa eſſe, quæ à noſtræ ætatis quæſtoribus contra ſortilegos, priuſquam eos tormentis adhibeant, vſurpari ſolent ad impediendas, quibus tormentorum vim eludere dicuntur, incantationes: ſed parum laudato more id fieri: quòd ſit, vt eſt in prouerbio, clauum clauo extendere; malum malo depellere. pag. 356.

CAP. X.

Futurorum ſcientiam Dei eſſe propriam: ſi qua porrò Dæmones

prædit

prædití esse videntur, vel præsensionem tantum esse, & coniecturam ex præteritorũ sagaci inductione: vel eorum, quæ ipsi aliquando constituerunt facere, prædictionem affectatam: vel denique eorum quæ è longuinquis, variísque regionibus maxima celeritate conquisiuerunt, præoccupatam nuntiationem. pag. 361.

CAP. XI.

Quod dictum est Dæmones suis adesse, etiam inter ipsos Iudicum consessus, nemini mirum videri debere: cùm & in interioribus sacrariis, locísque adeò præsentis Dei Maiestate venerabilibus aliquando interfuisse reperiantur. Tum obiter recitata de ea re memorabilis historia: Et disputata quæstio, an possint Dæmones se iis tantùm, quibus videtur, aliis etiam multis præsentibus, conspiciendos præbere. pag. 368.

CAP. XII.

Perperam sentire, qui negant pœnas vllas de sagis esse expetendas: Tum sigillatim cõfutatæ rationes, quibus illi vulgo sententiam suam tuentur, ac defendunt. pag. 376.

IN DÆMONOLATREIÆ

LIBRVM PRIMVM PERIOCHA.

***

VOs Erebi Diræ pallentis maximus horror,
Et rerum toto malè formidabilis orbe
Pernicies: vestros dũ dicere carmine cœtus,
Iuratásque illis pestes, mentitáque Diuûm
Numina, & insanis glomeratos artibus imbres
Persequor, aßuetam rabiem murmúrque tenete:
Non vult, æternum qui vos vlciscitur, ire
Longius ignotas, quas explorare soletis
Mortales circum, insidias: satis hactenus error
Mendaci multos tenuit rumore, videri
Nugas, quæ vulgus de vobis narrat, aniles;
Qualiáque Alcinoo veteres pomaria fingunt.
Est quæ securos aduersis vndique rebus
Spes iubet esse homines: est qui sic pectore toto CAP. I.
Hæret amor fixus, vindictæ vt nulla libido
Qualibet offensa diuellere posse putetur:
His per diuersas aditum sibi comparat artes
Ad mentes hominum Dæmon, dum peruigil illis
Instruit insidias, atque astu perdere tentat.
Nam si forte aliquem vel deplorata domi res,
Vel rabidi contracta fame indignatio ventris,

Aut amor insanus, male suadáue perculit ira.
Illum per solas terras, per dæuia solum
Aggreditur, bene ceu notum, & compellat amicè.
Dic sodes, quæ te tantùm sic cura remordet,
Vt de te tibi spes prorsus iam nulla supersit?
Téne ad eam miserum penuria adegit edendi,
Frustratique agris hac tempestate labores?
En tibi tolle graues numeroso hoc ære locellos,
Post etiam multo grauiores sæpe habiturus,
Si spreto, quod adhuc coluisti, numine, nostra
Stat mandata tibi quacunque capessere lege.
CAP. II. *Tergemina ecce etiam medicato puluere pyxis;*
Vna atri, quo tu præsenti vtare veneno,
Extemplo si quem demißum collibet Orco:
Altera, cui cineris color est obscurus, & ista
Conduntur minimè lethalis pharmaca morbi.
Denique pallenti quæ sic est tincta colore
Tertia, Si quando admißam sarcire subibit
Noxam, collapsa instaurabit corpora tabo.
CAP. III. *Si verò opportuna dabunt hæc se minus, & tu,*
Maturare voles vindictam, saucius ira,
Impatiénsque moræ: sit cœco hoc vnguine tantùm
Intus fricta manus tibi: nam vel veste suprema
Illo demulsos mors tam festina manebit,
Quàm si nudatis admorint texta lacertis,
Quæ sint vltoris Nessi satiata cruore.
Talibus incautos Dæmon versutus inescat
Illecebris homines, bella hæc sunt munera, per quæ
Illaqueat miseros, & re nihilo magis auctos:
Nam speciem fuco mentita pecunia (tandem
CAP. IIII. *Submotis, per quas oculos constrinxerat ante,*
Præstigiis) testas, frondésve ostentat inanes.

Aute

Aut etiam tetrum iactantia stercora odorem.
Illas perdendis demum mortalibus artes,
Illa venena aliud quidnam conferre videmus,
Spargenti, quàm quod retegunt persæpè luendum
Lege veneficium, stringentibus vndique flammis?
Sic veteratoris sunt splendida dona Magistri,
Perniciem studij specie consueta fouere.
His etenim allectus si quis se addixerit illi
Ilicet, æternùm misero est hæc culpa luenda,
Semper & affixæ Diræ ceruicibus hærent.
Prima igitur cura est vngues immittere fronti CAP. V.
Expungendo, aiunt, quo mystes vngit, oliuo,
Dum nos lustrat aquis, dum ritè ascribitur illi,
Qui luit ipse volens indigna morte peremtus,
Qua primi noxa nos obstrinxere parentes:
Nec tamen hæc fronti nota semper inuritur vni,
Sæpè humeros inter, vel summo vertice signat
Quos desertores facit: & variè quoque ludit
Ista parte vafer: seu vult hæc symbola nobis
Sede latere sua; totidem seu gestit inunctam
Conscelerare locis, illato vulnere corpus:
Hoc in confesso certè est exangue manere
Quod sic attigerit: pigro vt torpedo stupore
Captantis se hamo totos interficit artus:
Namque altè ferro confossum, non dolet, & stat
Fixus in extremo constanter vulnere sanguis:
Hæcque in tormentis tortori cautio prima est
Tentare, augurio expertis non semper inani.
Horrendum sequitur facinus, cuiúsque pudore CAP. VI.
Ipsa suos mærens oculos natura retorquet.
Incubus humanos Dæmon mentitur amores,
Concubitúque frequens indulget, & oscula figit.

More hominum subigens, sibi quas abduxit, at exors
Seminis, aut si quo miseras eludit, habendæ est
Ignauum soboli, grataque libidinis expers:
Namque est constanti sagarum voce relictum,
Vix magis astricto Riphæos frigore montes
Tristari bruma, quàm quo complexibus istis
Horrent: extremo penetrarier vsque rigore:
Et percontari tamen audet bellus amator,
Num sese cupiant vterum gestare parente.
Visæ equidem horrendo eniti fœdissima partu
Monstra, quibus nullum semen genitale putarent
Esse aliud sed vel rudis, indigestáque moles
Hæc à natura est vitium admittente, vel ipse
Nostra ementitis solerter lumina Dæmon
Ludit imaginibus, spectrisque imponere gaudet:
Illud inauditum certè est, supráque fidem, quod
Non exhorrescit mulier spectare maritum,
Cui ferrugineos flagrantia lumina vultus
Cap. VII. Accendunt, nasus crispanti prominet vnco,
Aspera frons extat resupinis cornibus, aures
Arrectæ villis horrent, immanis anhelat
Rictus, sulphureum patulo de gurgite odorem
Vndat inæquali per rugas ordine mentum
Impexum setis, nutans, enorme, repandum.
Cap. VIII. Adde quod incuruos extremis artubus vngues
Exerit; haud aliter quàm dente harpago minaci:
Quod vasto informis se attollit corpore, quódque
Gutture vox illi presso interclusa remugit
Debilis ex imo testæ velut excita fundo.
Cap. IX. Proximum adhortari sacris aduertere mentem
Nunquam præsenti quantumuis corpore & ipsum
Egregiè simulare tamen pietatis amorem.

Auspiciis Christi nunquam se accingere agendis
Rebus, non cuiquam benè vel sermone precari:
Sed mage quàm multos ardenter perdere, & vnum
Paßim extinguendis studium mortalibus esse.
Sic habet ille scholas cui sunt præcepta, vetare
Sedulo, ad æternam quæ scit præscripta salutem.
In primis sperare Deum, quo vltore tremiscunt
Omnia; tum fido complecti semper amore,
Quem tibi sacrorum sancito fœdere iunxit
Participem, & sociata relligione propinquum.
Nec satis est nexos hac impietate clientes Cap.x.
Deuincire sibi, vitiisque obstringere mentes:
Sed neque nocturna si quæ sunt fortè quiete
Contractæ sordes, si quis situs artubus hæret,
Hunc sinit affusis de more abstergere lymphis.
Horret dissidio iuratam perniciali
Munditiem: vires contra quod habere feratur
Illius infestas artes, & cæca venena.
Inde illud quod manè nefas, vultúmque, manúsque
Abluere, obnixè qui eius præcepta facessunt:
Noxia quod non sunt sagarum toxica, si quis
Præfatus Diuos, lauit vultúmque, manúsque:
Vno vt diuerso tamen omnes ore loquuntur.
Posthæc in multam noctem, seráſque tenebras
Dicitur aëriæ conuentus ad inuia rupis
Saxa, vel ambiguo sinuosum tramite vallem
Vulgus Idumæa non rectè voce profando
Sabbatum ab infando eius gentis more vocauit
Sacrilegos quæ sic cætus non ritè frequentat,
Estque illic miseris non eluctabilis vnquam Cap.xi.
Lex se sistendi, nisi pacto munere nigræ
Aut auis, aut pecudis certa anni parte luendæ:

Idque iis duntaxat viduati absentia lecti
CAP. XII. *Quas damnare frequens solet, aduertente marito,*
Aut si quæ emerita est extremæ iure senectæ:
CAP. XIII. *Namque alias surdo lacerari verbere certum est,*
Trux aliter tortor sæuam nec temperat iram.
Nox sic furtiuos assueta reducere cœtus
Vltima decedens stringit vestigia lucis,
Quam vel quinta suo Cypris de nomine dicit,
Vel quæ cessatrix festæ est operata quieti:
Nec mos est alia vnquam tempestate coire.
CAP. XIIII. *Tramite non illuc semper properatur eodem:*
Verùm ad praua patet numerosis orbita cliuis:
Sæpè foco erectas penetrali imponere scopas
Quas illeuere & ramis efferre supinas:
Deinde vnctis itidem mox interstringere coxis,
Atque vocare viam, concepto his carmine verbis,
(Post alias celeri fer me in sublime volatu.)
Tum videas summis per stricta excedere tectis
Colla caminorum, vacuúmque equitare per orbem:
Vt librata volant per inane, vehentibus Austris,
Nubila, & æquatis comitantur cursibus auras.
Sæpe etiam ante fores vectorem astare paratum
Dæmona, qui tergum sessori porrigat, atræ
Aut canis, aut hirci specie (namque induit omnes,
Quas rerum affectat formas, atque ora ferarum)
Huic licet infido se extemplo credere, & auræ
Ignotas tentare vias, vetitósque meatus:
Villoso impositam vectarier ariete credas
Hellen, atque vagam peregrino incedere cœlo.
Sæpe viam pedibus, si non est longa, terendo
Corripere: aut, si quæ scelerati conscia cœtus
Offert se sociam, & minuit sermone laborem.

Atque

Atque vbi syderei sub aperto fornice templi
Nuda stetit testis labefacta à Dæmone turba, Cap. XV.
Totáque colluuiem se iam contraxit in vnam
Collecta exitio plebes, miserabile vulgus:
Tum se quisque operi studiosè accingere, & illas
Exercere vices, quas præsens cunque iubet sors
Magni vel tenuis census discrimine nullo:
Pars torrere veru transfixos ordine longo
Æluros, vel si quas mixtus grandine nimbus
Arboribus decußit aues, vitáue senectus
Exuit, annosæ quercúsque recondidit antro.
Pars alimenta, ignis squalenti subdere aheno,
Atque inflare animam magno nixu oris anheli:
Pars mensæ in speciem fulcris imponere nulla
Arte exæquatas tabulas, & sternere mappis:
Denique sic vrgere opus, & sua gnauiter æquè
Munia obire omnes, ac si mage seria adornent:
Instructis igitur properant accumbere mensis, Cap. XVI.
Impositásque dapes multa populantur vbique
Ingluuie: quamuis fatuo sint vsque sapore:
Nam condire illas vllo sale maxima sagis
Semper relligio fuit, vt sunt plurima nostris
Moribus obnixè quæ dissentanea seruant:
Imo tantùm oculis hæc qualiacunque vorari,
Atque gulæ apponi tantùm ludibria, quæ sic
Se tamen ostendunt speciosa fercula mensa
Non pauci perhibent, quibus illis contigit vti:
Hoc coniectantes rem euentu, quod superesse
Tanta fames soleat, quantum vel tempore longo
Vis inopi stimulare queant ieiunia victu.
Nimirum sola sectatur imagine Dæmon
Quæ natura potens veri genuina ministrat.

Tandm

Tandem ieiunæ est vbi facta proteruia cœnæ,
Quæque putabantur mensæ, velut aura, fugaces
Ceßerunt oculis penitus, nusquámque steterunt:
CAP. XVII. *Tum in circum pedibus plaudunt, cantántque choreas*
Auersi, & dorsis perstant obuertere dorsa,
Seu quod amant nullo præpostera cuncta ciere
Ordine, seu vultum iudicio non prodere cura est.
CAP. XVIII. *Namque & in hos vsus prætexunt ora cauatis*
Corticibus, scelerique student obtendere noctem:
Imo nec proprio fas est arcessere quenquam
Nomine: sed, statuit fixos vbi quisque penates,
Hunc pagum in classes vsurpant sæpe vocando.
Interea preßis animati flatibus vtres
Stridere & admissas, dum anguntur, reddere voces
In longum murmur: tum si qua instructior arte est
Argutos agitare orbes, & stringere chordis,
Inque sonos plures digito variare micanti:
CAP. XIX. *Inter & hæc Dæmon compresso clangere naso*
In lituum, atque ipsum clamore impellere cœlum:
Qualis ad inclusæ canis excubat ostia discors
Turba canum variis vlulatibus aëra pulsans,
Dum catulit, ducúntque procos vestigia odora.
Non aliter miscere solent nullo ordine cantus
Murmura, clamores, strepitus, & cymbala, qui sic
Sabbatha nocturnis furiis bacchata frequentant.
CAP. XX. *Atque vbi vertentes iam fastidiuit anhela*
Turba choros, vastum se excelsa sede tyrannus
Excitat, & multa cum maiestate coactæ
Præbet adorandum turbæ, ac impurus honores
Affectat diuûm, regémque imitatur Olympi.
Tum quisque auersi, palmísque in terga supinè
Applicitis genibus procumbunt, verbáque fundunt,

Quælibet

Quæ pronam obsequio mentem, atque ad iusta paratam
Quælibet obstendant, vel iniqua lege iubendi.
Deinde probanda noui cuique est iniuria damni. CAP. XXI.
Ex quo postremùm dimissa est concio, nec fas
Insontes afferre manus, vacuásque cruore,
Tota adeò spirat cædésque, venenáque nostro
Gens parta exitio, prauísque exercita rebus;
Tum de infuscando cælo populariter omnes
Constituunt: quas stet percellere grandine adultas
Iam segetes, quas bruchis perdere frondes, CAP. XXII.
Quæque hirto sinuant sua terga volumine campis,
Quas penetrante gelu verno perstringere vites
Sole, suo turgent cùm primùm in palmite gemmæ:
Denique qua possint euertere funditus orbem,
Et Manes superis miscere, hæc vnica cura est.
Demum vbi diuerso tempus decedere turbæ,
Et vice quemque sua defunctum ad tecta reuerti:
Mutato apparet caper hirtus corpore Dæmon, CAP. XXIII.
Obuertens nudas rugoso podice clunes,
Ore quibus figunt vesano basia, tanquam
Iure clientelæ, pressísque amplexibus hærent.
Atque hæc insanæ postrema est actio scenæ,
Quam præceps adeò sequitur discessio turbæ:
Vt modò, tot plantis hominum quæ pressa gemebat,
Tellus iam sese miretur inhospita solam:
Sæpe tamen trito vestigia gramine signat
Quæ loca sic acti conuentus conscia, tali
Probant indicio, atque oculis testata relinquant.
Vtque viam rapuere cito per manè volatu,
Indicto cùm se properarent sistere cœtu:
Sic ruere, & rapido pernices turbine ferri;
Dum redeunt, paruósque subit remeare penates.

Cap. xxiiii. *Atque harum cùm sint compendia tanta viarum,*
Et gestata vehant tam molles corpora venti,
Nullus vt emensi cursus labor vsque fatiget:
Sic tamen ipsa suis franguntur viribus, atque
Intus tam lento macerata dolore labascunt,
Quàm qui obfirmatè nimium Lydi assecla turris
Longum camporum pedibus decurrerit æquor.
Sic vbi fœcundæ surgit spes messis adulta,
Arboribúsque gemunt depressi pondere rami,
Et mala pampinea tutius se protegit vmbra
Botrus: tunc sagas vrget mage dira libido
Nimbis in nostram cœlum instigare ruinam.
Cap. xxv. *Ergo vbi dicta dies sceleri venit, ocyus itur*
Desertam in vallem riguus quam diuidit amnis,
Aut stagnans pigro remoratur segniter alueo
Deciduus montis liquor, & fontana propago:
Illic certatim considunt vndique ripis,
Quæque instructa manum medicata à Dæmone virga,
Ac forsan Stygiæ quæ stabat consita ripæ
Margine carminibus primùm conuulsa nefandis:
Hac subigunt vndam omnes, tantispérque fatigant,
Verbere dum fuscam exhalans vomat æthere nubem,
Aut vinetorum dubiam spem vrente pruina
Vitiferos viduet colles, hyemémque reducat.
Sic postquam variè cęlo turbata quies est,
Concretósque aër grauibus vix sustinet imbres:
Sublimes raptę miscentur nubibus atris,
Quas deinde in cumulum magno molimine trudunt
Pone adnitentes: & quo sententia vertit
Excutiunt terris inimica grandine fœtas.
Cap. xxvi. *Hâncque (aiunt) tam nulla potest auertere cladem*
Cautio, & in solas longè transmittere terras:

Quam si Campani plebes tinnitibus æris
Excita supplicibus votis preuerterit iram
Numinis, ante minax sua quam confinia nubes
Attigerit, ni graue incumbens mole quierit.
Quod signum, quia sic prauis conatibus obstat,
Vt Demon audit, voce indignatus acerba
Adlatrare canem, seque intercludere clamat:
Sepe etiam si non inhibent hunc fata furorem,
Nec vinclis frenant quæ est summa libido nocendi
Sese in pulsantes æra illa loquacia, tota
Effundit rabie, concussos ossibus intus
Obterit, & subita prostratos morte relinquit.
Horribili interea misceri murmure cœlum,
Ac crebris tremulum tractim discedere rimis,
Prosterni humanas trepida formidine mentes;
Seu proprio fulmen capiti: seu grando timetur
Frugibus, & subitæ camporum in terga procellæ,
Dæmona & hæc inter grassantem fulmine longo CAP. XXVII.
Obliquam in seriem, fixis inscribere sæpè
Vnguibus aut promta premere obuia quæque ruina.
Nonnunquam & terris falso se inferre videndum CAP. XXVIII.
Corpore, si solo forsan quis deuius errat
In nemore, atque oris speciem exhorrescere visu,
Vt consternatum subito terrore malignus
Vertat in incautum concussa mente furorem.
Nuper in Heneo saltu; dum nubibus atra
Diffusis fureret tempestas: fortè viator
Frondibus annosæ fagi succeßerat, illi
Astat momento comes improuisus eandem
Tegminis affingens pluuia de grandine causam:
Stant vnà, sociique moræ cunctantia cæco
Non paribus votis accersunt lumina cælo:

Vtrinque humana visi se ostendere forma:
Verùm illi fœdare pedes fisso vngula cornu
Vt cœpit, subitáque proboscide turpiter ora
Grandiri, atque iterum in sese contracta reduci:
Tum circum tremefacta pauor præcordia tantus
Incubuit (qui se solum inter densa viator
Septa procul nemorum illa tempestate videret)
Vt minus horrendi specie deterrita monstri
In saxum riguisse queat Sipyleia mater.
Sed quæ sola sua fugientes sede moratur
Res animos, illum præsentibus induit armis
Contra illudentem variis terroribus hostem.
Namque implorato fidenter numine, póstque
Morte triumphatæ victricia symbola mortis,
Excessit vano comes importunus in auras
Corpore, fallaci reliquus formidine tantùm
Nempe ementiri totum se, vt nulla superstes
Furtiuo in vultu genuinæ extaret imago
Naturæ prudens vetuit Deus: vtpote ne nos
Celati insidiis incautos proderet hostis.
Ergo, vbi defunctus tot tempestatibus aër
Segnius ingeminat strepitus, & murmure surdo
Nuntiat irarum finem, vacuóque ministros
Nimborum cœli spatio decedere tempus:
Hos videas summo demitti robore multum
Attonitos lapsu, ramísque hærere tenaces:
CAP. XXIX. *Aëriæ pinnis alios imponier arcis,*
Summáque perplexos prensare cacumina: demum,
Vel fœdo sparsim maculatos ora cruore,
Vel casu membrum luxatos, vndique & vdas
Vestes discissos, terris deponier imis.

IN DÆMONO-LATREIÆ SAGARVM.

LIBRVM SECVNDVM PERIOCHA.

* *
*

HActenus vt miseros mortales appetat hostis
Insidiis, captísque tenacia vincula nectat,
Quos agitet cœtus per cæca silentia noctis,
Quas spargat cœlo rabies, quæ fulmina terris
Decutiat. Nunc vt grassanti cuncta veneno
Inspirent, qui eius se demisere paratos
Imperio: vel si pessundare dulcia natos
Pignora trux iubeat, superest hoc pandere versu.
Est vasti regni mediis in finibus ora Cap. I.
Inter arenosi sinuosa fluenta Mosellæ,
Et Sarræ rectos immoto littore cursus:
Pagus in hac celebri non multum nomine Dalhem:
Illic dum pascit semota in valle bubulcus
Armentum, & varios curarum corde volutat
Fluctus, fortè rei angustæ pertæsus iniquam
Sortem, aut vltrices meditans ardentius iras,
Illatum ob damnum, aut inimicæ iurgia linguæ:
Ecce inopina vltro sese infert succuba multum
Virgineo pellax vultu, gestúsque decore
Tota ementitis caput exornata Smaragdis,

Inque orbes vtrinque comas intorta nitentes
Solatur mœstum, vocat in spem se potiundi,
Atque inopum votis frustra tam sæpè vocatas
Spondet opes, vel quas auritus poscere Iacchum
Rex nolit, sua si non ire in verba recuset:
Qualis ab alternis animatus follibus ignis
Lambit anhelando, dum fiat ductile ferrum:
Vt facilem monitis, & ad omnia iusta paratum
Trux habeat, nullas suadendi negligit artes:
Iam placet alterius tam blanda lege subire
Imperium, pactóque fides firmatur vtrinque:
Itur in horrendos amplexus; iungitur impar
Absurdo coitu Venus: irrediuiua nefandos
Extemplo moritur libertas inter amores.
Ac veluti infesto serpentum saucia morsu
Membra sequax spargunt, sic toto in corpore virus;
Ipsa salus sese satis opportuna saluti
Vt dare non possit, vel si se exporrigat omnem:
Integrum amatorem sic occupat Abrahel ista
Illuuie (indiderat namque hoc sibi pessima nomen)
In quasuis domitum leges vt flectere possit,
Arbitrio penitus nullo fandi, atque nefandi:
Nec mora confestim spoliatæ præmia poscit
Prima pudicitiæ, fac pars (ait) vt sit amoris
Æqua mihi tecum: nulla constare magis re
Posse id quàm facinus si patret, victa furori
Quo natura nouo patrium submittat amorem:
Ergo cum sera iam luce coëgerit omnem
Ad sua tecta gregem, & se lare denique paruo
Condiderit: primùm vt se dulcis ad oscula natus
Inualida innexus concedet brachia collo,
Depromtum pera (quam dum is perquirere gestit

Rure

Rure reuertenti sæpè est expertus inanem)
Exporgat malum hoc; vix primis morsibus illud
Attigerit: cùm dente fremens, offensus acore,
Liuidus extremis labris titubanter abibit,
Pone premens refugo constratam corpore terram:
Hæc æquis oculis, ea dum mandata facessit,
Si spectare queat: demum isto pignore amorem,
Qui nouus hæret adhuc, testatum firmiter iri
Tale horrere nefas primum, dubiáque furorem,
Naturámque inter sese committere pugna:
Sed qui hostem firmum vacuam intromisit in arcem,
Hic eius dubitet mandata capessere frustra:
Cum prece si blanda primum nihil impetret, audax
Imperio, actutùm in violentam transeat iram,
Sitque illi semper quæuis pro lege voluntas.
Iam reducem vesper, qui tanti conscius esse
Debebat sceleris, gurgusti in limine, Diris
Stiterat innexum patrem: cùm filius vltro
Obuius amplexu multam de more salutem
Ingeminat, pedibúsque micans, & blæsulus ore:
Nil magis ille inhibet tamen impia vota: sed audens
Pergit crudelis feralia munera lethi
Porrigere. Infandi fit natus victima amoris,
Non horrente manu propria mactare parente,
Extemplo quæ se concludi passa latebris
Abdiderat natura suis vehementior exit,
Insurgitque potens luctu, quem quæstibus ægris,
Atque inconsulto fletu dum pascitur, astat
Momento cædis monitrix: solatur, & vnà
Lucem instaurandam puero, rediuiuáque fata
Spondet, si ex animo supplex id se oret adorans:
Vorsuram facilis quantumuis fœnore iniquo

Admittit

Admittit, totum qui se decoxerat ante;
Ac fœda nati maculatos cæde penates
Dum cupit inconstans quauis ratione piare,
Conscelerat magis, & funestat acerbius illos:
Nam primò genibus se aduoluens Dæmonis, illum
Ceu præsens numen, veneratur: deinde puellum,
Si modo vitales iterum sibi posthumus auras
Eius carpet ope, acceptum, illi spondet habere:
Qualis vbi irato glomerantes prælia venti
Incumbunt pelago: tremit artus nauita, multum,
Ambiguus vitæ, & votorum prodigus, omnes
Ordine sollicitat Diuos, precibúsque fatigat.
Restabat tumulo proiectum terga cadauer
Extremùm fugiens vbi vita reliquerat illud,
Et maturabat funus tardissima mater:
Ecce manus inter tractantis visa moueri
Membra, suóque iterum sensim superare calore
Lumina, semianimes deiectis qualia ocellis
Monstrant vel quæ vix somno se mersa resoluunt.
Hæc instauratæ præter spem signa salutis
Arripiunt animis hilares, quantáque fouendo
Sedulitate queunt, prostratos viribus artus
Nunc hos, nunc illos reuocant ad munia vitæ:
Erigit, inque pedes se extemplo dat puer, infert
Deinde gradum, & nota compellat voce parentes,
Solum ab eo varius, quem se monstrauerat olim,
Quod turpi contracta cutis macie efferat ora,
Quódque recedentes oculos stupor occupat ater.
Hac igitur specie desertos hospita sensus
Vita animat rursum, suetásque redintegrat auras:
(Virbius vt quondam intercepta est luce potitus)
Sed non mens eadem sedet, & non, qui ante fouebat,

Spiritus

Spiritus officio vitam molitur eodem:
Verùm agitat pigram vitæ sub imagine molem
Organicus Dæmon, moréſque imitatur agendo
Spirans quos olim præ ſe natura ferebat:
Tandem, quoquo ſeſe in ſua terga reuoluerat annus
Momento, & ſolidum curſu compleuerat orbem,
Deſerta vacuas ſedes ſtatione relinquens,
Sulphureo nidore fugam, ſtrepitúque fragoſo
Prodidit, atque olidas pulſans erupit in auras:
Tum ruit auerſum geminata morte cadauer,
Conſequitur putris, tantáque grauedine fœtor:
Qualis inoffenſo ſenſu, hunc oblimet inertem:
Quantumuis ſtupor, & latè vim excludat odoram,
Non queat humanis admitti naribus. Ergo
Raptatur tectis impacto mordicus vnco,
Atque inhonoratis puræ ſub ceſpite terræ
Conditur exequiis ipſum ſe horrente parente
Naturam probro hoc qui ſic pudefecerat amens.
Sed neque in hunc ſolum tantùm valuere potentes CAP. III.
Imperio Diræ, ſi quem traxere monendo
In leges, mentíque atrum infudere venenum:
Nec ſemel à ſimili, natura ſubacta furore
Hunc primùm ſubiit, tanto in mœrore triumphum.
Matres, atque viri certatim aſcribere natos
In numerum, ac animis non ceſſare ante quietos,
Quàm mala per totam ſerpant contagia gentem:
Hæc prolem immeritam partu connixa recenti,
Atque manus inter Lucinæ deuouet: illa
Parua gradus primos quæ vix molitur eundo
Illuni ducit per dæuia nocte puellam,
Impia nocturnos vbi cœtus turba frequentat,
Connubiique locat non æqua lege, marito,

Qui sit in amplexus grato pro corpore nubem
Humanum in spectrum concretam fraude daturus.
Sic quoque non aptas thalamo sociare iugali
Obtrudunt natis, comptæ sub imagine nuptæ
Eumenides, faciúntque nurus, iungúntq; Hymenæos:
Namque impacta crepant duro vestigia cornu,
Mentitáque horrent villis sub veste lacerti:
Qualis Syluanos habitus deformat agrestis
Hirtos, cornupedes, rugosos, fronte bicornes:
Nulla Venus, nullæ illecebræ, nulli quoque amores:
Sed trucis imperio res hæc stat tota tyranni,
Cui, vel in inuitos, stupri infinita potestas
Surgit, vbi admissus semel est sparsítque venenum.
CAP. III. *Intempestiuo si fronte egestus abortu,*
Nec lustratus aquis puer est: hunc nocte silenti
Vmbrarum excubias inter, trepidatáque laruis
Per loca deportant parua tellure refossum:
Tum flammæ impositum, fuluóque ex ære lebeti
Versant in cumulum, ac tantisper adurere pergunt,
In cinerem dum massa vagum ariditate fatiscat.
Deinde venenata fundunt aspergine in auras,
Si quando exæsas segetes rubigine nigra,
Aut alia cupiunt afflatas peste perire:
Nec solo hoc tanti sceleris concluditur vsu
Pernicies: bubulo macerant quoque felle, lupino,
Et filice extrita, atque ambusti sorde camini,
Hæcque liquant demum medicata in pocula, quæ post
Instillent multo deuictis lumina somno:
Sed pretium est operæ, totam hanc ex ordine scenam
Instruere, & claro personas ire theatro.
CAP. IIII. *Nocte igitur media, cum primùm obmutuit orbis:*
Immotis penetrant per rimas ostia valuis,

Pérque fenestrarum rhombos (mirabile dictu)
Illa in formarum tenues compendia versi, CAP. V.
Quæ nulla excludant spatiis multo vel iniquis
Interualla: éstque hæc illis amplissima merces
Militiæ, cùm iam multos meruere per annos,
Vel vita est ausis immanibus, innumerísque
Nobilitata; aliter cuiquam sors nec datur ista.
Illapsis igitur labor est hic primus, obire
Quem letho inuadunt, dum solo membra cubili
Instratus iacet, & somno sepelitur inerti:
Tum si quæ est alias inter validissima, palmis
Inuolat ambabus, collustrantémque iacere
Edomitum subigit, victásque remittere vires:
Cærulea hæc inter dispergit lampade noctem
Altera prælucens; fauces diducit hiatu
Tertia, quàm firmis potis est certare lacertis,
Queis cornu tristis latices infundere succi
Deproperat, scelus id totum qui solus adornat: CAP. VI.
Vel si horum non fit tunc præsens copia, partem
Squalentis tabo, saniéque cadaueris alto
Ingerit ore adigens, dum ventre reconditur imo.
Namque illi rerum spurcarum semper abunde est.
Atque hac infamis vulgo est Germania peste,
Quam regit imperio Lotharenus: cætera, si qua
Gens subijt malesana iugum cacodæmonis, artes
Longè accincta alias variè grassatur in omnem CAP. VII.
Ætatem, sexúmque hominum, pecudum genus omne.
Sæpe manu gestant lethum, morbósque latentes
Puluere in exiguo, Stygius quem pharmacopola
Suggerit vbertim, vel reiicientibus: vsu
Dum nimio metuunt noxæ increbescere famam:
Huius ab insano tabescunt membra dolore.

Protinus, atque ægræ post vitæ maxima longe
Tædia, crudeli capiunt à morte quietem:
Quódque fidem superat, sola ex aspergine amictus
Illuuie penetrant totum contagia corpus,
Oblita quinetiam blando manus vnguine mulcet,
Quos morbo tentare iuuat, vel perdere letho,
Irritáque innocuo nunquam est hæc noxa veneno:
Perniciem sed habet certam, & medicabile nulla
Arte malum, perstátque hærere nouissima vitæ.
Atque hæc, vitari cùm possint cuncta cauendo
Fortè aliquis damnet minus, & putet esse saluti
Libertate fugæ consultum semper abunde:
CAP. VIII. *Sed quæ iam cæcis quæras obstacula tutus*
Insidiis, si sunt lethali obsessa veneno
Limina portarum, stipulæ vel stramine solo,
Quæ transuersa solo iacet: et si semita primo
Qua patet incessu, mortis mala semina condit
Puluere in exiguo, aut desecti fasce minuta
Graminis, horrendo quem murmure carminis auctum
Insternunt, spargúntque via, ducentibus astris
Inuiam adhuc, solámque incerto lumine noctem,
Quoque fides fidei quantumuis prodiga restet,
Hanc impunè licet, cui non est sparsa veneno,
Ire redire viam, & tuta calcare salute
Vnus, & è multis virosi tramitis hæret
In salebra, quem morte parant vlciscier, ægris
Aut miserum vexare diu cruciatibus optant.
CAP. IX. *Iam quid nunc memorem solis graßantia votis*
Incantamenta, ac vel nudo verbere linguæ
Patratas, quarum non extent vulnera, cædes.
CAP. X. *Securus carpebat iter de luce viator,*
Intentúsque loco bigas agitabat aperto:

Fortè

Fortè hunc aſpiciens ex agro Saga propinquo,
Ac memor inſidias vt in illum ſæpè paraſſet
Degeneres, vanáſque dolis imbellibus artes:
Vtque laceſſitam ſe dictis pluribus, auctam
Innumeris damnis riſiſſet, & iſſet inultus,
Inclamat quotquot pallens habet Orcus Erynnes
Infeſtas hominum rebus: nil longius illam
Fruſtratur quæ ſe vel quauis lege miniſtram
Spondeat vltricis pœnæ: dicat modò morem,
Quem velit offenſa pro tanta impónier ipſi.
Ergo præfata execrando carmine Diras
Optat, vt intorta iaceat ceruice necatus.
Nec mora: turbatur præceps de ſede viator
Vnde hortatur equos vrgent, & flectit habenas,
Totóque ex animis procumbit corpore, nullis
Tam promptum extrema monſtrantibus in cute cædem
Indiciis. Artus pes cunctos cæca latet mors.

Importuna ſtipem magnis clamoribus vrgens Cap. XI.
Saga fatigabat ſurdos dudum ſibi poſtes
Diuitis, atque aliò iam ſe conferre parabat
Indignata moram: cùm fati ſorte ſiniſtra
Tectis ſe eiecit, qui natu maior alebat
Spem patris puer. Huic igitur grauis illa dolore,
Vindictáque ardens mortem, Diráſque precatur
Vltrices: ac mox aliò ſe proripit, abſens
Vt culpæ affinis minus eſſet, ſi qua miſellum
Poſthæc afficeret crudeli iniuria ſorte:
(Namque manere luem certam cui tetra precantur,
Hæc quoque lex pacti eſt cum Dæmone fœderis vna)
Pergebátque viam properato non mage greſſu,
Aut inconſulto, quàm qui feriatus agit rem:
Jllidit tamen, atque viæ ruit æquore pleno

Pronus in aduersos silices puer; hunc quoque casum
Impellente illo vacuum, cui tempus ab vlla
Pernicie nunquam est. Sed te bone vindice ductor
Tollit inoffensos duris à cautibus artus:
Namque pio exorsus primam à munimine lucem
Insultus omnes, omnes infregerat artes
Dæmonis, offensa tutúsque latebat ab omni.
Attamen incœpto nihilo mage destitit hostis,
Nunquam defessi vt sunt illi ad damna labores.
Ergo aliquanto post, dum e celsa prominet audax
Parte domus medius per apertam forte fenestram,
Argutique manu tremula cunabula tentat
Passeris, haud longè posito pendentia muro
Corpore sublatum reliquo deturbat, agitque
In præceps, laceràtque caput crudeliter omne:
Ac velut egregie re gesta pergit adire
Mendicam, sceleris quæ tanti conscia, talem
Voto expectabat finem, atque hæc ordine cuncta
Narrat ouans, vt post de se confessa reliquit
Testatum flammæ iam subijcienda voraci,
Cui quoque conspirans fuit in moriente querela
Dum casum enectis mœrore parentibus, vno
Excusat causans postici abs impete venti.

Cap. XII. *Diffusæ laxum ferro populabat inanem*
Arboris, e stabili securus fronde putator:
Hinc tamen excutitur petulanti turbine, cœlo
Vsque serenanti pacatos vndique vultus.
Tundendas alius tabulato e rustico agebat
Aream in obiectam fruges, vestigia sede
Firmans, nec temere extrema se margine credens:
Voluitur ille tamen præceps, & corpore toto
Sternit humum rapidus, nequicquam vim sibi factam

Inclamans,

Inclamans, cùm iam qui fecerat, esset in auras.
Infantem solis pectebat fascia cunis, CAP. XIII.
Matre suburbanos tunc exercente labores
Inter seruitia: hunc querulo se valde tuentem
Vagitu retegit Dæmon, prunæque batillum
(Vicinus quem forte focus sub fomite alebat)
Inclemens misero superiniicit. Ædibus ingens
It totis nidor: vicinia perstrepit omnis
Horrendo cruciantis se clamore puelli.
Certatim effractis irrumpitur vndique portis
Tardam ad opem nimium seraque arrepta salutis
Auxilia incassum. Nam iam depasta tenellos
Flamma artus, vitæ spem tum labefecerat omnem.
Rusticus affinem villæ properabat in vrbem CAP. XIIII.
Importans gazas solita ad commercia agrestes:
Tum stabat placido, mutúsque silebat ab omni
Parte aër, nec iam abs incerto iniuria cœlo
Vlla timebatur; subitus cùm turbine ventus
Illum corripuit, primis in faucibus angens
Alternis vitam spirantes flatibus auras,
Extorrémque animæ linquens & luce carentem.
Depressis alius rastris vertebat inertes CAP. XV.
Glebas, qua toto spatio nuda arua patebant,
Atque vnde impingens incauto verbere nullus
Extabat ramus: tamen huic à sede reuulsum
Corruit ante pedes socio tunc lumine primum
Conspectum lumen: vacuam nox occupat orbem,
Ac hiat assueto viduata decore lacuna:
Qualis decusso quæ cæca adamante recessit
Tristi pala sinu nigras pro luce tenebras
Ostentat, squalétque orbato ignobilis auro.
Scilicet is labor est illi, quem saga lubentem

Exercet votis aliena in damna ministrum.
Vos ô mortales, quibus est obnoxia tantis
Vita malis, nullum contra opponetis inermes
Præsidium, nullo firmabitis aggere castra:
Ne sic hostis eat peruadens libera strages
Tam multas edens, & funera vestra frequentans?
Macti estote animis: conuertite nota salutis
Signa renitentes: præsensque asciscite multis
Numen suppliciis: nam se frustrarier vnquam
Eius ope aduertit, cui sit fiducia, nemo:
Semper & innocuus vano terrore recessit
Dæmon, si insonuit venerandum nomen IESV,
Nomen pro immensa sanctis bonitate colendum,
Impuris multa sub maiestate tremendum.

IN DÆMONOLATREIÆ SAGARVM LIBRVM TERTIVM PERIOCHA.

* * *

NVnc quoque quæ Magico prius excantata susurro
Corpora restituant mutata sorte: quis illis
Sensus, vbi aduertunt tandem se Dæmonis astu
In fraudẽ illectos. Vt in illius attamẽ arcta
Pergant esse fide: ac sic longa sæpè morentur
Quæstorem sceleris dubitati indagine, mutos
Inter tortorum cruciatus, dicere restat.
Ac primùm si cui semel inuidere salutem Cap. I.
Fascino, & intactos morbum sparsere per artus:
Hic hominum nulla est vnquam meditabilis arte:
Non si quas succo inspirat natura salubri
Herbas, ipse manu podalirius explicet omnes.
Hos versæ membris facies, & sedibus artus
Turpiter emoti, distortos vndique monstrant:
Illis, ceu querulo ranarum exercita cantu
Stagna, coaxatas voces suspirat anhelum
Pectus, & immundo maculosos ventre, petenti
Eructat tandem bufones ore: quibusdam
Membra cauo liuent extantia tubere, quæ mox

Fœta vomant variis è cæco vulnere frustis
Quisquilias, primáve minaces cuspide cultros,
Et quæ sola potens rerum natura videndo
Non sua miratur, quorúmque inconscia tota est:
Sic ludit rabies variis ignota figuris:
Non aliter docilis decedere corpore, quàm si,
Qui causam morbi dedit, afferat ipse salutis:
Qualis viroso condit sub vulnere mortem
Scorpius, atque idem fugientem corpore vitam
Sistit, & ambiguus sortem molitur vtramque.
Ergo quæ rara est (si quæ subit attamen illos)
Longùm grassantis morbi miseratio ; fortè
Quod vindicta suum iacet exaturata dolorem:
Tum seruant ægrum, si quà conspergere possint
Inuisi, sanos medicato puluere in vsus:
Vel, si quam officij vicinia fingere causam
Præbet, ab hac capitur fiducia porgere, sensum
Quòd queat ignauo tandem renouare palato.
(Namque aliena penus semper mage grata ministrat)
Hic vides queis vulgo homines tolerare laborant
Vitam: lac, vinum, ius, salsamenta, farinam
(Si modo quæ morbum fecit manus ipsa ministret)
Vel deploratam subitò instaurare salutem,
Atque noua medicam virtute imitarier artem.
Cap.II. *Imò si horum quid furto subducere promptum est,*
E lare suspectæ striges, & spes hæret in istis:
(Nam nostras Dæmon labefactat sic quoque mentes
Doctus iacturam multo grauiore pudorem
Alternare dolis, & vertere fœnore damnum)
Ore capessitum iuxta sarcire salutem;
Ac si importatis Eoo ex orbe medelis
Omnibus, ipsa omnem Medicina extuderit artem.

Quod

Quod si mens illis ad certam inflexa manebit
Perniciem, precibus nec iam expugnata fatiscet
Vllis: non etiam mercede mouebitur ipsa,
Vt tetrum tollant quod suffudere venenum.
Tunc adhibere minas, & verbera proderit, atque CAP. III.
Contra luctantes, obtorto adducere collo,
Ad morbi medicamina detrectata malignè.
Hic pretium est operæ, quæ tunc commenta loquantur, CAP. IIII.
Audire, & nugas magno vt molimine texant.
Olim, se puero, quendam meminisse videre,
Qui verum vultu astrueret, tutúsque senecta,
Multis seruatas res affirmaret ab annis.
Hunc solitum certis sua numina ponere morbis
Atque Auerruncos, quos sacris ritè litatis,
Pacatos deceat prius aspirare fauentes,
Quam spes vlla queat certæ affulgere salutis.
Se (si sic sedeat) rectè defungier ista
Posse vice, & sacri votiua nouendia lustri
Pro more illorum ad delubra exoluere: præstent
Tantum quæ ex vsu fient donaria, quæque
In sumptus, quæstúmque via satis esse putabunt.
Ac ne commento desit persona, suóque
Actio procedat melius fucata colore.
Primùm, cerato permensi morbida lino
Corpora, tranuersis longè, latéque figuris,
Inde manu lychnum concinnant ordine certo
Multiplicem, & numeri arcana virtute potentem:
Tum ceu grandi aliqua contracta labe profani,
Illius ante fores, quem suscepere piandum,
Pernoctant vigiles: regredi nec velle penates
Ante vllos simulant, quàm votis ritè solutis,
Illi quæsierint, quam promisere, salutem.

Ergo cùm primùm dubias à luce tenebras
Arbiter illata secreuit lampade Titan;
Inuadunt, pergúntque viam soli, atque silentes,
Dum sistant Diui se lustratoris ad aram
Cap. III. *Hic, purgante nefas nouies vbi carmine dicto*
Æditui auxerunt votiua numismata cistam;
Extremum sacro succendunt lumine lychnum:
Cap. IIII. *Sulphureo extemplo cui surgit flamma colore*
Obscura, inconstans, strepitúque horrenda corusco.
Tandem digressi ter fanum ex ordine oberrant,
Quà circùm spatium est humana in busta relictum:
Atque ita post istis simulata piacula technis
Contrectant reduces ægrum per singula membra,
Ceu luxata sua tentent componere sede.
His (dictu mirum) profugus vigor ante veneno
Viuidus actutùm redit, & sibi constat abunde:
Credibile est illis medicato puluere fartas
Esse manus, vnóque ex hoc pendere salutem:
Quam tamen arcessant mentita à numine causa.
Sunt & permultæ quibus hanc extinguere tabem
Sæpius affingant variis prætextibus, artes:
Sed certo potis hic numero comprehendere non est:
Tam multas facies, tot habent miracula rerum.
Cap. V. *Has pro comperto certè est virtutibus esse*
Sæpè suis cassas, nec committentibus illis
Corporibus iussos semper decedere morbos:
Nam formidatæ primùm si prauia mortis
Relligio incessit solito flagrantior, & iam
Accessit tristi ad postrema piamina mystes
Augurio: vel si (quæsita aliunde medela,
Quam ferat infesta natura venefica sortis)
Ante ad opem medicam gemebundus confugit æger:

Irrita

Irrita tunc fractis incantamenta laborant
Viribus, optatam membris afferre quietem.
Nec mage carminibus locus est, si vincla coërcent
Publica delatos, & sontes iura reposcunt
In pœnas, scelerum metuenda exempla daturos.
Namque his vt prorsum est virtus sublata nocendi:
Sic quoque deest, vel si cupiant prodesse, iuuandi:
Quin etiam quod sit gens hæc mage prodiga noxæ,
Officij studiosa minus, satis arguit ipsa
Quæ nunquam affectis morbo redit integra ab omni
Parte valetudo: vel certè impune medenti
Non est sortilego. Nam si mox pluribus illud
Damnis non cumulat, pergitque nocentior esse
(Qualis fœcundo surgit numerosior hydra
Vulnere) tam duras dat cæco verbere pœnas,
Extremo vt iaceant longùm post membra dolore
Liuida, & innumero sparsim vibice cruenta.
Ergo animum rediuiua fides tentare (salutis
Dum quoque frustratæ piget, & spes nulla fruendi est Cap. VI.
Pollicitis opibus, raptísque vocare catenis
Ad libertatis male pristina iura subactæ:
Sed praui, prædæque tenax decedere pactis
Detrectat Dæmon. Vix est remeabilis error.
Tunc illud plerique iugum ceruicibus vnà Cap. VII.
Excutiunt tandem, cum ingrato pondere vitæ
Pars proiecta anima furtiuo vulnere, clausa
Pars laqueo, puteíve lacu, vel fluminis vnda;
Quos omnes certum est labefactos Dæmonis astu
Vnà animam, corpúsque æternum occludere morte.
Tantum non adeò sæuire tyrannide gestit,
Dum vita in membris mortali cæde moratur:
Sed defuncta etiam, abruptæ post tempora lucis,

Æternæ noctis caligine condere secum
Pœnarum in partem, & consortibus vrere flammis.
Sunt tamen insanæ post hæc deliria mentis,
Queis miserante Deo melior sententia surgit:
Nempe manus vbi tam duras horrere Magistri
Incipiunt, meritáque semel stat morte piare
Tot noxas scelerum, ac magno velut obice rupto,
Liberioris iter tandem contendere vitæ.
Ergo Quæstores obnixè orare superstes,
Ne tot vita malis sit longior: ocius vna
His finem extremum properent adiungere morte:
Hoc secum bene agi, quod non inconscia tantæ
Mens labis flammas inter lustrata piantes
Exuet impurum non cunctabunda cadauer:
Quales, quos morbi nulla sanabilis arte
Peruigil exercet rabies promptissima semper
Mors illis tarda est: vel quæ fugit auia sæuos
Cerua canes inter vitam venabula quærit.
CAP. VIII. *Sed rari vasto hoc emergunt gurgite, rari,*
Quos noua mutato post tanta piacula facto
Relligio incessit, durant rebus malè cœptis.
Ergo si quando Quæstor premit illa fateri,
Quorum sunt etiam manifesti: sic tamen audent
Composito ad verum vultu, ac sermone negare,
Vt falsum adductos in crimen credere possit.
Non indagatrix sceleratæ quæstio mentis
Tormentis etiam properata loquacibus vrget,
Vt verum dicant: ast interclusa premente
Dæmone, in obsessis penitus vox faucibus hæret:
Idque satis prodit turgentes liuor anhelus
Gutturis, & dubia nutans confessio vita.
CAP. IX. *Frigida tum patulis resupino faucibus ore*

Ingeritur,

Ingeritur, vel quæ lustrali voce sacrata est:
Hócque illas (aiunt) subigit persæpe fateri
Quod tormentorum vis non exculperet vlla:
Vel si Agrigentinas torquendo vinceret artes
Sternunt, & summa radenti de cute ferro
Villos, ac toto demessos corpore verrunt:
Præsertimque vbi se nudam natura videri
Exhorret, lucémque hominum audibunda refugit:
Obscœnis etenim fama est hærere latebris
Dæmona non raro dum muta silentia tortis
Præstat, & in mediis sensum cruciatibus aufert:
Sed fallax totum est hoc quicquid fama loquatur:
Nam nihilo in pœnas surgunt minus, atque ferendo
Tortoris superant duris conatibus artes:
Auxilio Dæmon non desit, multus vbique:
Nunc verum vrgentis prædicere tormina pœnæ, Cap. x.
Ne incautos capiant non intellecta, adigántque
Infida tacitum lingua reserare pudorem:
Nunc terrere minis, & sæuæ verbere flammæ,
Quæ mox certa manet confessos criminis huius.
Denique iam tensos rigidis à funibus, inter
Stipitis immotos fines, vel brachia sursum
Distortos miserè, circum dare, adesse, monere
Pergant in tacito luctari pectore linguæ,
Lubrica præsentes si fortè inhibere dolores
Officio nimium festino in damna parabit.
Nuper, multa ream causantem dum vrgeo iustis Cap. xi.
Contra momentis, & se his illa expedit ægrè,
Aduerti incertis oculis sursum, atque deorsum
Cuncta pererrantem: ceu quos extrema fatigat
Obsidio attonitos, expectant vndique, si qua
Auxilio sociæ ostendant se signa cohortis.

Percontor

Percontor quæ causa vagam sic lumine reddat,
Curve rogata suo sic nos sermone moretur:
Hærere astutè, atque aliud confingere primùm:
Sed iussa admoto verum terrore fateri,
Tandem sic infit, sortem execrata malignam.
Illa non cernis muri prodire ruina
Carnificem, qui me miseram sic perdidit, atque
Intentare minas, si de se dixero verbum:
En bifido digitos vt motitat vngue bicornes,
Cancri instar, dubióque micans fulgore, látebras
Nunc tenebris cæcas, nunc luce alternat hiantes:
Ecce vt se aduerso subitum mox condidit antro
Cornibus in teretes distincta fronte cylindros:
Quales exertos variat testudine limax,
Si quando refugit metuens illidere duris.
O qui res hominum vestris moderare soletis
Iudiciis, pœnæque malis imponere morem,
Vltrices scelus in tantum distringite leges
Immoti: nihil humanæ miseratio sortis,
Aut falso crimen dubitatum errore moretur,
Quæ vobis debet mens inconcussa manere
Dum vrnam versatis: dum lance expenditis æqua
Omnia. Si nil iam quæ sagis dicitur esse
Consuetudo malo cum Dæmone, vel quoque cœlo
Excita fulminibus permixta tonitrua suadent:
At numerosa adeò grassantia cæde venena,
Tótque frequentatis nunquam irrita toxica morbis,
Vos ad plectendas dignis cruciatibus illas
Accendant, edendáque quæ pro lege sequantur
Qui vestrum ornabunt posthac exempla, tribunal.

DÆMONOLATREIÆ EX IVDICIIS CAPITALIBVS NONGENTORVM PLVS MINVS, HOMINVM QVÆ SORTILEGII CRImen intra annos ſedecim in Lotharingia capite luerunt.

LIBER PRIMVS.

Quibus illecebris homines à Dæmonibus primùm trahantur, labéque ſortilegij inficiantur.

CAPVT. PRIMVM.

INeſcandi, perdendíque hominis tot occaſiones arripere ſatanam, quot illi natura ingenerauit affectus, ipſa noſtro magno malo fidem facit experientia: ferè enim aut libidinibus, & amori deditos potiundi oſtentata ſpe lactat: aut pertæſos egeſtatis diutinæ larga, atq; ampla opum aliqua pollicitatione pellicit: aut ad vltionem, ob acceptam forte iniuriam inflammatos, oblata explendi odij facultate percellit: aut denique quauis alia corruptela, dulcedinéque deprauatos, in leges

ſuas trahit, ac veluti nexos ſibi addicit. Ac quod quis hîc intelligat cœcos illos animi affectus, cupiditatéſque, quæ homines ad nequitiam impellere ſolent, aliud eſt de quo ſermonem nunc inſtituimus. Nam id quidem ſit intemperanter abuti otio, & literis, ſi toties decantatam Promethei & Epimetheï, rationis, & appetitus veluti pugnam, & dimicationem inculcare velimus. Hoc plus dicimus, nõ modò graſſari in homines ſatanam occultis, ac velut domeſticis eiuſmodi affectionibus, &(vt ſic loquar) actis per ipſorũ viſcera cuniculis; ſed palàm, apertóque (quod aiunt) Marte: explanata ſcilicet vocis impreſſione, ac comparata ad colloquium, quæ ſub aſpectum cadat, perſona: qualem illi memorant [1] fuiſſe dum tanquam conſerta manu cum Seruatore in eremo colluctaretur. Atque hoc equidem illi procliuius eſſe facere, cum difficultatibus labefactatum quempiam nanciſcitur. Inde enim orationem ferè auſpicari ſolet, quòd eius vicem doleat, cupiátque adeſſe, atque opitulari. Sed neutiquam id ſe prȩſtare poſſe, niſi is prius rupto, quod in baptiſmo pepigerit, fœdere velit in ſuam poteſtatem tranſire, & ſe pro hero habere. Si id ita parum procedit, nec verbis ſatis promouetur negotium: tunc adhibentur, quas modo dixi, illecebræ, atque lenocinia: grata aliqua emẽtiti corporis forma, ac venuſtas, ipſáque, ſi velit fruendi poteſtas: magna in ſpeciem pecuniarum vis, ac copia: demúmque pharmaca iis morbo vlciſcendis, quos infenſi ſeruant: vel ſanandis, quibuſcum accepto beneficio in gratiam redierunt: ſæpè etiam qui intentatis minis, ac inceſto, vel verberum, vel carce-

1. Matth. 4.

ris

ris metu, ferocius vrgent,atque inſtant. Nam pari loco vtrumque habent ſortilegi,támque commodè aliquid vi ab eis extorquetur,quàm precibus,& blanditiis impetratur. Quorum tamẽ nihil in præſentia confirmare exemplis decreui, quoniam ea deinceps ſuum quæque locum ſunt plenius habitura:hoc nunc contentus addere,quod in iſto malarum impulſionum genere rarius atq; infrequentius reperi vſurpatum. Hoc verò eſt quod illis ſatan aliquando etiam pericula intendit,ac formidines opponit,quos blanda oratione permouere nequit. Claudius Morelius [2] Serræ dãnatus veneficij, cùm rogaretur, quæ res maximè illum impuliſſet, vt ſe primum Dæmoni addiceret, reſpondit: non antè verbis, quicquid lenocinaretur, ab illo vinci potuiſſe, quàm vbi de vxoris, liberorúmque nece terrorẽ inieciſſet. Antonius Vvelſch [3], cùm de obtorquendo collo, niſi in iis quæ iubebat, pareret, minas intendiſſet, non auſum fuiſſe quicquam illi amplius denegare, ita is dicta ſua iam iam in illum executurus videbatur. Alexiæ etiam Drigeæ [4], cùm eam nullis pollicitationibus obſequentem ſibi poſſet adiungere,tandem interminatus eſt muri ædium quas illa inhabitabat, ruinam: quæ & non multò poſt eſt conſecuta. Eiúſne ille cauſam præbuerit,an tantùm impendentem præuiderit,ac denuntiauerit, alibi fortè commodiùs dicetur. Certè habent Ethnicorum hiſtoriæ ſatis multa exempla, quę ædificiorum deiectiones,ſatorum ſtrages,terræ hiatus,aëris ardores, aliáſque id genus calamitoſiſſimas tempeſtates, in hominum perniciem à Dæmonibus, non aliam ob cauſam inuectas, me-

2 *Non. Decemb. 1586.*

3. *In Guermingen XIIII. Cal. Ianua. 1589.*

4. *Haracuriæ. IIII. Id Nouemb. 1586.*

morant, quàm vt eorum mentes noua ſemper aliqua voti religione obſtringerent, ſuámque in illos tyrannidem magis, magíſque prolatarent. Vnde hoc primùm colligere eſt, nõ eſſe fabuloſum, quòd vulgus Sagarum loquitur ſibi præſentibus præſentes adeſſe Dæmones, ac coràm congredi. Tum in ſe permouendis, quæ duo potentiſſima ſunt ad labefactandas mortalium mentes, ſpem ac metum, cupiditatem, ac formidinem, vti ſunt rerum valde periti, adhibere, atque admouere.

Quemadmodum dolis ſuis captos Dæmones medicato puluere, virgis, vnguine, variiſque id genus venenis inſtruant: quorum alia mortem, alia morbum tantùm, quædam etiam ſanationem afferant. Vtque ea neque ſemper, neque omnibus ſint noxia: ſed reperiantur, quibus ſæpè fruſtra ſint aſperſa: maximéque qui in maleficos capitalia iudicia exercent.

CAPVT. II.

1. Ioannis VIII. CAP.

IAm inde ab initio Diabolus homicida eſt, nec vnquam ceſſauit homines pietate deſtitutos ad cædes, ac parricidia impellere. Vt mirum non ſit, ſi quos ſemel illaqueauit, eos in primis ad veneficia paratos, inſtructóſque habere ſtudeat. Ac ne vel veneni penuria, vel eius propinandi difficultas cuiquam ad eam rem moram, impedimentúmque afferat, minutum puluerem primo quoque congreſſu adminiſtrat, qui morbi necíſve certiſſimam, cui ita conſtituerit, cauſam præbeat: quémque, vt noceat, non ſit neceſſe in cibum potúmve infundere, aut nudo corpori affricare, ſed leuiter etiam in

veſtes

vestes ipsas spargere. Eum qui necat, atri, qui morbum tantùm facit, cineritij, aliquando etiam ruffi esse coloris. Ac quoniam sagæ sæpè metu, vel pretio, nonnunquam etiam misericordia (à qua nec omnino profitentur se alienas) adducũtur, vt morbo sic affectis curationem adhibeant, vti post latiùs dicetur: ne desit quoque ad tam rem paratum remedium, tertium accipiunt albi coloris, cuius vel aspersione, vel in esculentum, poculentúmve immissione, morbus propulsetur. Hæcque pharmaca suis sic officiis, ac viribus solo colore distincta. Claudia Fellæa [2], Ioanna à Banno [3], Nicolæa Piscatrix [4], ac pleræque omnes eius sodalitij memorant, se semper talia vsu comperisse, qualia hîc prædicãtur. Qui tamen colores non tam sunt diuersi, ne in venenorum, quæ ipsi imbuunt, delectu quis hallucinetur (à Dæmone enim, non ab innatis qualitatibus ea efficacitatem suam habent) quàm vt sit in quo pacti conuenti fides elucescat, veritas probetur, & constantia. Addunt Matheola Guilleræa [5], & Ioanna Alberta [6] cineritium illum puluerem, etsi vulgo faciat morbum non lethalem, necandi tamen vim habere, vbi primùm à veneficis vsurpatur, post datum nefariæ illi militiæ nomen. Tantam scilicet id εἰσαγωγικὸν, ac primum rudimentum habet prærogatiuam. Hoc certè non sine aliqua admiratione est, quod istiusmodi toxica sortilegi non modò tegunt rerum ad fugandos Dæmones comparatarum vsu, ac ministerio; sed nec inter ipsas expiationes, ac sacrorum procurationes præbere abstinet. Iacobeta Equina [7] cum Petronij tribulis sui filiæ, cui amatorem impedebat, pro libi-

2. *Mazeleij. v. Id. Noueb. 1584.*
3. *Manerij. III. Non. Ianu. 1585.*
4. *Gerbeuillæi Nonis Maij, 1585.*
5. *Mazelaij pridie Non. Decemb. 1584.*
6. *Sampetromontij. VI. Idus Nouemb. 1581.*
7. *Sexeij v. Id. Octob. 1587.*

dine nocere non posset (ab illa enim ne quam inferret iniuriam sibi diligenter ea cauebat) tandem aspergillo lustrali, quod istiusmodi puluere virulento infecerat, quasi aliud agens in templo orantem inspersit. Quo facto statim grauissimo morbo est correpta: quem & mors non multò pòst est consecuta. Alexia Belhoria [8], cũ tota vicinia se vna neglecta ad epulum, quod vir equestris Darnyelius dabat in filij die initiali, esset vocata: eum contemptum non ferens, à baptismo recentem infantem, non aduertentibus, qui asportabãt, eiusmodi venenato puluere aspersit, ac necauit. Ac ne minus expeditus sit eius vsus, si semper sit necesse in manu promtum habere, ac deinde dispergere: habent & virgas eo medicatas: vel etiam vnguine, aut re quapiam alia perniciali illitas, quas sæpiùs gestant per occasionem abigendi pecoris: his ceu ioco sæpè obuios feriunt homines, quos perditos volunt. tum etiam pecudes: nec equidem irrito, atque innoxio tactu: vt testatum sua confessione reliquerũt Frãciscus Fellæus [9], Margareta Vvarnia [10], Matheola Guilleræa [11], & cuius modo memini Iacobeta Equina. Nisi si quis fortè ab eorum iniuriis tuti sunt benignitate aliqua numinis singulari. Neque enim illis infinita semper est in omnes potestas: vti à Dæmone suo non semel inaudisse se retulerunt Iana Gransanctæa [12], & Catharina Ruffa [13]. Equidẽ memini Asinariam Nanceianam, cùm me quæstore ad interrogata ex elogiis testium responderet, ac de hoc præsertim rogaretur, indignabundam hæc esse locutam. Quàm benè agitur vobiscum, ô Iudices, quòd nobis in vos nihil quicquam licet

8. *Blainuillæ ad aquas.* XVII. *Cal. Febr.* 1587.

9. *Mazelaij.* XIIII. *Cal. Ian.* 1584.

10. *Roncæij Calend. Dec.* 1586.

11. *Pangeij an.* 1584.

12. *Condæij, mense Iulio.* 1582.

13. *Velleæ ad Mosellam.* V. *Calend. August.* 1587.

licet. Nam nulli ſunt mortalium quos tam lubenter inſidiis noſtris appetamus, qui ſic gentem noſtram omnibus pænis, ſuppliciiſque proſequimini. Idem Iaquelina Xaluëtia[14], ſponte, nec quoquam ei interrogatione præeunte, recenſuit: Hæc propter ſortilegij, qua pridem laborabat, ſuſpicionem in vincula coniecta, ac poſtmodum Iudicis pronuntiatione iis ſoluta fuerat: quòd ſcilicet ſilẽtio pertinaci omnia quæſtionum tormenta ferendo ſuperaſſet. Hoc igitur ſecum ſæpius animo voluens, prius quieſcere non poterat, quàm quæſtorem, qui ſeueritatem in illam tantam adhibuerat, aliquo damno afficeret (eſt enim hæc ſagarum colluuies, ſupra quàm dici queat, procliuis ad vindictam) Dæmonem igitur ſuum obtundere non ceſſabat, dum is eius odij explendi aliquam rationem & tutam, & facilem inueniret. Sed is imbecillitatis ſuæ ſibi ea in re conſcius, primùm quidem negotium ex alia, atque alia difficultate trahere, & cauſas, ne id faceret, fingere. Verùm cùm Xaluëtia efflagitandi finem non faceret, tandem pudens, ac dolens, quòd contra quàm ipſe apud eam non ſemel prædicauerat, videret iamiam proditam iri ſuam illam imbecillitatem, atque impotentiam. Iſta certè me mea Xaluëtia (inquit) peſſimè ſemper habuit illorum carnificum effrænata in vos ſęuitia, pridémque, & ſæpè de ea vindicanda fuit animus: ſed omnes conatus mei (vt ingenuè fatear) in nihilum recidere: quòd illi in eius ſint præſidio ac tutela, qui ſolus inceptis meis obſiſtere poteſt. Sed faxo, vt tantam ſuam rabiem in commune ſaltem luant: dum hac, atque illac ſata cultáque, quantum poſſum,

14. Buxerij ad quercum. III. Caled Maias. 1588.

possum, tempestate percello, ac protero. Huic est non absimile illud Nicolaæ Moreliæ[15], quæ recensuit Dæmonibus insitum, atque inustum esse præcipuè eorum odium, qui leges exercent in veneficos: frustra tamen ad vindictam quicquã aduersus illos tentari, atque incipi. Ecce vt Deus sartam, tectámque præstat auctoritatem iis, quibus in terris suum demandauit imperium: quoque ob id disertè nominis sui prærogatiua, atque honore impertiuit, Deos vti se appellans[16]. Nimirum vt sint sacrosancti, ac ne ipsis quidem sagarum ob muneris, officiique sui causam sortilegiis violabiles. Imò nec Dæmonũ ipsorum præceptis, vel minimũ obnoxij, etiamsi suam illis fidem antè labe ista aspersi obstrinxerint. Nam hoc sortilegis magistratus sanctitatẽ præstare, tantisper dum in eo sunt, vt quiescant ab alioqui importunissimis eiusmodi Magistellorum suorum querelis, atque instigationibus, memorauit Desiderius Financius[17], inquiens eum, cui se addixerat, toto tempore, quo magister municipij extitit, à se nõ esse visum: cùm cæteroquim diligentissimum ad quamcumq; occasionem monitorem anteà habuisset. Capessat igitur confidenter magistratus, quæ sui sunt officij, agnoscátque se ei vocationi seruire, in qua Deum propugnatorem passionum, defensorémque sit semper habiturus. Simili sanctitatis causa, atq; occasione Marcus refert apud Psellum, Dæmonem suum in diebus crucifixionis, ac resurrectionis nihil insonuisse, etiamsi id ab eo obnixè contenderet. Atque hęc venenorum tantùm, quæ sortilegis administrant Dæmones, sic innoxia vis est illis, quos modo dixi, iudicibus:

15. *Sarræ. IX. Calẽd. Febru. 1587.*

16. *Psal. IXC.*

17. *Sandeodati pridie Idus Iulias 1581.*

Iudicibus: Nam si quæ præterea sua manu legunt, ac miscent; dubium non est, quin ea omnes æquè lædant, insitúmque virus in quosuis pari virtute exerant, ac distingant. Sortilegos verò suas præterea officinas habere refertissimas bestiolis, plantis, ac metallis, quæ natura præsenti aliquo veneno instruxit, ipsa experiētia sæpius comprobauit. Atque adeò tam multis, variísque, vt tot recenseri possint, quot apud Homerū Agameda cognouisse dicitur:

Η τόσα φάρμακα ὄιδη ὅσα τρέφει ἐυρεῖα χθών.

Nam disciplina, & tyrocinium sub eodem præceptore illis est, qui nihil eorum ignorat, quæ ad hominum perniciem valent. Sed hęc in gremio naturæ latere malo, quàm me nomenclatore in cuiusquam venire notitiam. Quę me etiam causa semper impulit, vt quoties ea in reorum quæstionibus scripta reperirē, omnino inducenda censerem: Saltem commonefacerem, addita è regione νοθεία, vt ab actuario, dum is quæstiones illas medio foro recitat, prætermitterentur. Sic enim sunt in Lotharingia rerum capitalium iudicia, vt imperitę, atque adeò armatæ multitudinis suffragiis, cum summa ditione, ac citra prouocationem in reum in publico expositū reddantur: ex Nanceiani tamen duumuiratus sententia, ad quem de tota re prius referri oportuit. Atque vtinam ne tam multis nunc innotescerent. Verùm hoc ita more hominum euenit, vt quæ clam magis esse expedit, ea in lucem audacius prorumpant: Et est istiusmodi rerum memoria diuturnior, sæpè quoque iucundior, quàm earum, quæ ex vsu sunt mortalium. Hoc modò, tunsilla etiam, quibus Circe, & Medea toxica sua contun-

18. v. Iliad. v1

debant, in Seleneæ monte multis poſt ætatibus, cum admiratione viſa ſcripſit Scholiaſtes Theocriti. Quid verò, ſi ipſa venena, vel etiam eorum conficiendorum artes, & præcepta, monumento aliquo exarata reperiſſent, facturos fuiſſe putamus, qui ſic ſola inſtrumenta in pretio aliquo quaſi Epicteti fictilem lucernam habuerunt?

Vnguine ſuo Magico impune ſagas manus, ſeque adeo totas illinere: quo tamen, ſi cuiuſquam veſtem vel extremam attigerint, id illis continuò mortiferum ſit futurum, ſi modo lædendi eſt animus. Nam aliter eum contactum innoxium eſſe, atque expertem iniuriæ.

CAP. III.

INſidioſiſſima eſt alia ſpargendi veneni ratio, cum manus eo illitas, ceu demulcendo ſummis etiam veſtibus admouent: Nam vix eſt, vt cauendo effugere queas, quòd habeat ea res ſpeciem beneuolentiæ potius, quàm iniuriæ. Et tamen præſentiſſimum id eſt corpori venenum, vti ipſa ſæpè experientia manifeſtum fecit. Quod vel ex eo maiorem admirationem habet, quia nuda manus impunè, ac ſine vlla noxa imbibit, quod ſic virus habet per conduplicata etiam veſtimenta penetrabile. Quòd enim dicas reperiri, qui peſtis veluti fomitem in alios tranſmittant, ipſi alioquin ab ea tuti, atque illæſi: hoc non habet eandem rationem. Nam eiuſmodi Sagarum contactus (vt alibi dicetur) iis tantùm noxius eſt, & lethalis, quos iniuria affectos volunt: morbi autem peſtilentis contagio, etiam in eos manat, quos minimè velis. Quę res

1. Cap. XXXVII. huius libri.

res me impellit, vt credam hic Dæmonis latẽti ministerio, atque opera aliquid fieri, quod non appareat, sed intus tantùm grassetur: vnctionémque illam exteriorem symbolum solum esse eius conscientię, quam ad tam nefarium facinus miseri illi eius ductu, ac consilio afferunt. Siquidem experiẽtia deprehensum habemus, sine noxa illam & gestari, & attrectari à quouis posse, postquam in vincula coniecti sortilegi, societatem Dęmoni suo renuntiauerunt: vti vsuuenit, cum refertas iis pixides inter lectorum, quibus earum perquirendarum cura demandata est, manus agnoscunt. Quod non ita pridẽ Fressenij (qui pagus est in Germania ditionis Lotharingicę) euenit. Cùm enim ibi Maria Alberta [2], & Catharina Præuotia [3] iam iam veneficij damnandę rogarẽtur, mala sua venena, si quę fortè domi reliquissent, indicare: ne cui illis vita defunctis, fraudi esse possent: idq; statim fecissent: allatæ sunt à perquisitoribus ollæ duæ fictiles, in quibus inesset bitumen luteis, albísq; guttis intermixtum, ac metalli micis variè lucidum. Quod & ibidem Keluers Otilla [4], Yzarts Anguel [5], ac pleręque sagę multis aliis in locis factitasse reperiuntur. Porrò ne quis putet ea sic illas iudicare, dum quęstoribus suis placere student, ac quæ in alios, eósque non illaudatos familiæ vsus vnguenta aliquando comparauerunt, ea pro istiusmodi malis venenis illos astutè ostendere; non ita res est, multáque concurrunt, quę nihil hic fingi aut simulari manifestè arguunt. Nam primum, si in ignem mittantur, fulgorem, strepitum, nidorémque edunt, atque emittunt, qualem nulla res alia edere, atque emittere

2. IIII. Non. Septemb. 1589.

3. Iisdem die & loco.

4. VIII. Idus Aug. eod. an.

5. VII. Idus einsdem mensis.

6. In agro Stiuensi IIII. Nonas Iun. 1590. queat: vti obseruatum reliquit Iana Michaëlia [6]. Tum visę, quæ statim ac se eis illinendi ac perfricandi potestatem à Iudice accepissent, momento sursum efferrentur, ac disparerent: vti de Pamphile sua recitat Lucius [7]: quæ, inquit, indidem in se ingesto tali vnguine, iam sui periclitabunda paulatim terra resultauit, ac mox in altum sublimata forinsecus totis alis euolauit. Et omnino de vnguinis istius Magici vsu, facultate, ac viribus conueniunt quotquot hactenus etiam diuersi, super ea re sunt interrogati sortilegi. Imo & colorem etiam studiosè designant, quo fides magis sit nō esse somnium, sed rem oculis ipsis visam, ac perceptam. Ioanna Gallæa [8] refert præbitum sibi à Dæmone quercinis frondibus obuolutum, fuisséque albidi coloris: se etiam eo vt plerumque delibutas manus habuisse, ne ad vllam occasionem deesset nocendi materia, atque instrumentum. Alexiæ Drigeæ [9] cōsentiens est huic oratio, nisi quod colorem ait illi fuisse subruffum: eóque, cum impellente Dæmone maritum vnà concumbentem, ac somnum capientem illeuisset, non multò post in summa miseria, ac membrorum conflictatione decessisse.

7. Apud Apuleum lib. III. de As. aue.

8. Sandominici V. Idus Decemb. 1586.

9. Haracuriæ. IIII. Idus Nouemb. 1586.

Demones suis, cùm primùm eos adoriuntur, pecunias cōferre, quæ post sublatis prestigiis, fimus, testæ, folia, aliæque id genus quisquiliæ esse reperiantur. Cur veras largiri nequeant, cùm tamen eorum, qui terra abditi latent, thesaurorum, custodes, aßeruatorésque esse dicantur.

CAP. IIII.

MIrum [1], cùm credantur Dæmones maximos quosque thesauros, qui defossi, ac reconditi latent

latent, aſſeruare, atque in poteſtate ſua habere; tamen nihil vnquam illorum depromere poſſe, quo tam ſępè iactatam apud ſuos munificentiam, liberalitatem, re vel minimùm comprobent: Aut ſi quid certè depromunt, ac verè oſtentant, non hoc agunt, quo eius fruendi poteſtatem vllam faciant: ſed magis, vt tali veluti eſca illectos, ludificatóſq; homines perdant, ac ad exitum, interitúmque adducant: vti Norimbergenſi cuidam accidiſſe Anno M. D. XXX. narrauit Melanchton in progymnaſmatis Phyſicis [2]. Ei Dæmon, inquit, locum indicauerat, vbi theſaurum ingentem pridem obrutum eſſe aiebat. Hunc igitur gazis inhians ille properè aperit. Oſtendit ſe primùm fornix, ac ſub eo capſa ab excubante nigro cane aſſeruata: quàm dum rapturus fornicē penitiùs ſubit, eius ruina momento oppreſſus interiit. Quo viſo, qui eius incœpti ſpectator, ac teſtis fuerat ex eius familiaribus quidam, tanti periculi metu conſternatus aufugit, ac rem omnem ſicuti eam ipſe viderat, in vulgus diſſeminauit. En, vt præſentium etiam opum participem illum Dæmon facere noluit, quem tamen earum ſpe certa, atque indubitata lactauerat. Quæ aliorum etiam Dęmonum pridem fraus fuit, & malitia, quemadmodum ſępiſſimè experientia eſt comprobatum. Et certè id parſimonia, ac retinendę rei, cuius alioqui nihil indigent, ſtudio ab eis fieri, ſtultum ſit credere: ſed potius ſic eſſe hominibus immenſa Dei bonitate, ac prouidentia conſultum, ne ſi veras illi largirentur opes, nullius iam tuta eſſet à tantis illecebris integritas: ſemélque conparatæ ad omnem nequitiam, flagitiúmque materiam ſup-

1. *Greg. Cedrinus in additionibus ad Zonaram in vita Anaſtaſij Dicorj.*

2. *Lib.* II.

peditarent:vti Thales[3] dicit illas φάρμακα εἰς κακίαν ἔχειν μύρια. Ergo (vt inquit Psellus[4]) nihil eorum, quæ promittunt,ex se tradere possunt : sed visu tantùm quędam inania suis cultoribus afferunt,varia prorsus, & instabilia. Sennel Armentaria[5] accepta dono à Dæmone,vt sibi videbatur, pecunia, gestiens domum properè rediit, eam vt numeraret : Sed excusso sacco nihil nisi testas , ac carbones reperit. Catharina Metensis[6], Succerdam: Claudia Morelia[7], Benedictus Drigæus[8], Dominica Petronina[9], acpleriq; alij,arborum folia. Ioanna à Banno[10],cũ nummum aureum charta cõuolutum in via repperisset,vti Dæmon euenturum prædixerat,atq, eum marito cupidè ostentaret : aduertit tandem non sine pudore , pro auro nactam se calculum ferrugineum , qui etiam contactu primo facilè in frusta dissiliret. Vna Catharina Ruffa[11],inter omnes quorum quæstiones capitales in manus meas venêre agnoscit , nummos tres se semel sine fraude ab eo recepisse.

Non satis esse Dæmonibus diserta verborum stipulatione obligatos , nexósque homines habere : sed illis præterea notas vnguibus suis inscribere , quæ seruitutem in quam abduxerunt , perpetuò testentur. Qua sæpius corporis parte fiat inscriptio : vtque sensu penitus illam orbent, ac destituant.

CAP. V.

DOminorum in seruos importuna multis modis olim fuisse fertur crudelitas, & sæuitia:sed in hoc maximè intolerabilis , quod notis eos compungendos

3. In libro de collationibus diuitiarum & virtutis.
4. In cap. cur Dæmones timeant minas.
5. Dusæ prid. Cal. Octob. 1586.
6. Dusæ, pridie Non. Nouemb. 1586.
7. Serræ. III. Non. Decemb. 1586.
8. Haracuriæ. XVIII. Cal. Ianu. 1586.
9. Pangæij XIII. Cal. Nouemb. 1586.
10. Manerij. III. Non. Iulias. 1585.
11. Velleæ ad Mosellam V. Calen. August. 1587.

pungendos curabant, vt haberent quod fugam, ſi inquam ſe forte darent, comitaretur, ac deprehenſioni magis obnoxios redderet. His adeò barbaræ, atque inhumanæ ſeruitutis veluti teſſeris inuſtos, ac inſignitos etiamnũ hodie habet Diabolus, quos recens ſibi addixit, præcipuéque (aiunt nonnulli) ea in parte corporis, quæ à ſacrorum Antiſtite in die cuiúſque initiali chriſmate fuit delibuta: vti fures abacti pecoris ſigna, ſuis impreſſis immutare ſolent: Quæ ratio ſicuti parum probabilis mihi videtur (nam & ea quæ Antiſtes nihil attigit, ſæpius vnguibus ſuis fœdant, atque inquinant. quemadmodum pòſt dicetur) ita non facilè eorum ſententiæ acceſſerim, qui negant abolendis baptiſmi monumentis, notas eiuſmodi quaſi contrarium ſymbolum adhiberi: fruſtra enim (inquiunt) expungi è corpore is character tentatur, qui penitus hæret in anima: cùm eadem ratione ſuperfluum dici poſſit in baptiſmo aquam corpori ſuperiniicere, qua tamen animi lues interior elui denotatur. Certè vt vt res ſit iam nihil ea dubitationis habere poteſt: poſt quàm non modo, qui eam ſuo damno experti ſunt, diuerſi diuerſis locis, atque temporibus eamdem referunt; ſed etiam iis indiciis comprobant, quæ ſint oculis manifeſta, dum veſtigia oſtendunt: & rei nouitate prodigioſa, cum ſine doloris vllo ſenſu, vulnus ea parte, quę ſic vngue Dæmonis eſt exarata, penitiſſimè admittunt. Alexia Belhoria[1], Nicolæa Morelia[2], & Ioanna Gerardina[3] concorditer declarauerunt, ſe illud perfidiæ ſuæ Symbolum in ſumma frõte inuſtum habere. Quirina Xallæa[4], in occipite: Claudia Fellęa[5], in pectore, & à tergo: Dominica

1. *Blamuillæ. XVII. Calē. Febr. 1587.*
2. *Serræ. III. Nonas Decemb. 1686.*
3. *Pangæij XI. Calen. Decemb. 1584.*
4. *Blamuillæ. V. Cal. Martias. 1587.*
5. *Mazilæij. V. Idus Nouēb. 1584.*

6. Charmesij. v. Cal. Decemb. 1584.
7. Leberij. v. Calen. April. 1588.
8. Buxerij. ad quercum III. Cale. Maij. 1588.

minica Eurææ,[6] in coxa: Iana Nigra[7], in dextro: Iaquelina Xalueta[8], in ſiniſtro humero. Atque eiuſmodi veſtigia illo ipſo, quo à fide defecerunt, temporis momento, ſibi à Dæmone inſcripta fuiſſe. Porrò, eius rei fidem præterea facere ipſas cicatrices in leue callum obductas, ſi quis parum iſtis credulus periculum facere velit. Et quod magis mirum videri poſſit, totus ille locus ita exanguis eſt, ac ſenſu labefactatus, vt ne admiſſa quidem acus altiſſimè aut dolorem faciat, aut ſanguinis minimum eliciat. Idq; ita iam pro comperto habent rerum capitalium vindices, vt inde quæſtionis ac tormentorum ſæpe initium faciant. Quòd non & ita pridem Spinalij re fuit iam probatum. Nam cùm Iſabella Pardęa[9] ibi ob ſortilegij crimen comprehenſa, vrbis præfecto partem corporis ſic à Dæmone inſcriptā indicaſſet, ſubiit ei in animum, experiri, verùm ne id eſſet, quod de eiuſmodi ſtupore ferebatur. Ergo iuſſit in eam aciculam penitiſſimè infigi, atque inculcari. Quod cùm in ſatis magna hominū frequentia eſſet factum, & incruentum omnino vulnus apparuit, & nullum ſaga doloris, vel minimi indicium aſpicientibus dedit. Rurſus Brinduſij. Ibi Claudia Bogarta[10] tormentis iam exhibenda, ad cutem, vt moris eſt, detonſa fuerat, ob ídque cicatricem nudam in ſumma fronte oſtendebat. Suſpicatus igitur Quæſitor quod verè erat, ſcilicet impreſſi à Dæmone vnguis veſtigium, quod ante capillis tegeretur, in id iubet aciculam altiſſimè infigi: Quod cùm eſſet factum, nec illa doloris vllo ſenſu affici, nec vulnus vel tantillū cruore manare viſum eſt. Perſtitit tamen verum negare, ac dicere eum

9. Pridie Nonas Maias. 1588.

10. III. Calēdas Nouēb. 1590.

olim

olim ex iactu lapidis torporem esse obductum. Sed postmodum tormentis admota, non tantùm agnouit id sibi à Dæmone inflictum fuisse: sed & plurima alia, quæ indignissimè ab eo passa fuerat enumerauit. Nouissimè [11] & Essæij, qui pagus ab hac vrbe miliario abest, cùm hoc loci Dynasta præsens in Mugeta sortilegij rea lictorem periclitari iussisset, ac is illam idcirco nudam statuisset, inuestigaturus sicubi tesseram illam reperiret, tandem in sinistro femine macula verrucæ instar apparuit, in quam cùm ferrum, vel quantum poterat, adegisset, nec à Mugeta vocem, nec ab ipso vulnere sanguinis guttam vllam elicere, atque exprimere potuit: cùm rursus locum maculæ proximum leuiter etiam vulnerasset, ingentem ea ex dolore clamorem edidit, largus cruor sese inde effudit. Quæ autem tanti stuporis causa esse queat, non admodum anxiè erit ei quærendum, qui ipse secum reputauerit, quemadmodum nihil vnquam homini à Dæmone nisi mortiferum, atque exitiale accidere possit. Nam equidem longe à vero aberrare mihi videntur, qui sic à naturalibus causis eius rei rationem arcessunt. Corpora quæ sibi Dæmones excitat, plusquam glaciali rigere frigore. Vulgo autem ea orbari sensu, atque obstupescere, quibus extremè frigida admouentur, vel circunfunduntur: vti hyeme summa torpere, languereque magis solemus: & ætate iam affecta, quæ mortis veluti rudimentum quoddam est (sunt autem mortui adeò insigniter frigidi) inquit Plutarchus ([12] vt aciem nouaculæ si quis tentet admouere, propter incomparabilem rigorem obtundat) sensus om-

11. XVIII. Calend. Iulias. 1591.

12. In li. Aqua an ignis sit vtilior.

nes ſint tardiores, atque hebetiores.

--ſed enim gelidus tardante ſenecta.

Sanguis hebet, frigéntque effœtæ in corpore vires. [13]

13. *Virgil.* V. *Aeneid.*

14. *Libr.* VII. *Satur. cap.* IX.

Et in ipſis quoque animantium corporibus, quæ partes minimum caloris habent, ſenſu minus pollent: qualia ſunt pili, oſſa, dentes, aliáque id genus, quæ (vt inquit apud Macrobium Diſarius [14]) effectui animæ ſenſum miniſtrantis ſunt penetrabilia. Nam talis vtique cẽſeri nequit, qui membris animalium vnà cum vulnere ſtupor à Dęmonibus infigitur. Primùm, quod ſi quis manum admoueat, nihil ipſe tactu diſtinguat, aut vlla qualitate immutatum reperiat. Deinde, quod cauſis quæ in ſe efficientiam naturalem cohibent, ſublatis, maximéque ſi quæ extrinſecus accedunt, effectus quoque ceſſare oporteat. At ſic eſt is, de quo loquimur, Dęmonum contactus, vt inducta ab eo ſenſus alienatio ſemper duret: quoque longius à ſua cauſa abeſt eò magis conualeſcat. Tum ſagarum manus ad eandem perniciem à Dæmonibus inſtructæ, ſæpè tepentes ſunt, & eiuſmodi rigoris expertes: apprehenſa tamen intermedijs etiã veſtibus membra, perpetuo hoc torpore debilitant; vti experientia ipſa non ſemel comprobauit. Denique defloratæ, ac delibatæ tantum cutis vitium (vt chirurgorum verbis vtar) in ſola cute, niſi quid aliud eſt, conſiſtit, nec altius progreditur. Leuiſſima autem eiuſmodi laceratione, quicquid ſubeſt, vel quantum longiſſima acicula penetrare poteſt, ſenſu orbatur, atque exhauritur. Omnino igitur cauſam aliunde eſſe oportet, quàm ab eiuſmodi frigore, quantumuis duro, atque acerbo. Cuius generis etiam

etiam illud esse puto, quod Meteorologi quidam, percussa, affleatáue fulmine animalium membra, perpetuùm exanguia, ac torpida fieri produnt. Nam fulminis contra ignea natura est, multorumque id sæpè incendioru causa extitit, quemadmodum pluribus ostendit Seneca [15] in quæstionibus naturalibus. Hoc igitur, quod iam nobis dictum est, identidem inculcare conuenit: in satana nocendi, perdendíque vim occultam esse, ac nullis naturæ legibus astrictam: otioséque illos agere, qui quæ is facit, ac certam aliquam naturæ rationem exquirunt: quasi non illi sit potius perpetuum cum natura dissidium, ac contentio. Et id quidem ab hoc vno exemplo (quod superioribus quasi corollarium accedet) fidem vel locupletissimam sibi vendicare potest, quod nunc nuper, dum in Sanmardano nostro rusticor, à mulieris, quæ tum forte sortilegij comperta fuerat, marito inaudiui. Pridem quidem se eam de mala aliqua arte suspectam habuisse, vel inde maximè, quod singulis, quę Veneris diem proximè antecessissent, noctibus, cùm accubaret glaciei instar rigentem semper sensisset. Id enim tempus fere est in Lotharingia (vti à nobis paulò antè dictum est) quo sagæ dimisso conuentu, à Magistellis suis digredi solent.) Nam & eiusmodi rigorem ex illorum recenti contactu eas contrahere, ac aliquantisper retinere posse non est vtique dictu incredibile, atque absurdum. Qua autem ratione alia, quàm quæ modò dicta est haud facile est coniectari.

15. Lib. II. ca. XXI.

Dæmones cum hominibus concumbere: sed frigido, iniucundo, irrito, atque effœto coitu: matrimoniáque nihilominus frequentare: Zelotypiam etiam fingere, atque assimulare.

CAP. VI.

ABsurdum est (inquit Plutarchus in Numa, contra receptam ab Ægyptiis sententiam disputans) credere Dæmones humana forma, ac venustate captos, libidinosæ voluptatis vllá cum homine consuetudinem habere. Omnino enim natura eos stimulos adhibuit ad sobolem, propagationémque, cuius nihil indigent Dæmones, vt qui certo, stabiliq; numero ab initio sint creati [1]. Tum ad hominis tam admirabilem fabricam, nulla vt succedat, concurrere necesse est. Primum enim esse conuenit specierum σύντεξιν, καὶ συζυγίαν, quæ nulla esse potest Dæmoni cum homine: adeò natura inter se dissident mortale, immortale: corporeum, incorporeum: sensus particeps, sensus expers: & si quę sunt magis pugnantia, atque contraria. Quæ quomodo inter se iungi, ac copulari queant, non video: tãtùm abest vt inde oriri quicquam posse putem perfectum, atque absolutum. Siquidem proportionem semper aliquam esse oportet eius, quod agit ad id, quod patitur, extremáque medio aliquo coniungi, vt inde effectus aliquis consequatur. Denique si simile à simili generatur, quale id, quæso iam esse poterit, quòd ex tam diuersis, dissimilibúsque naturis coalescet, atque orietur? At dices, scio, Dæmones, cùm se ad id opificium comparant: in corpus aliquod indui, quod ab iis velut animarum

1. *Lactantius li. 1. de falsa relig.* CAP. VIII.

tum humani ſpeciem, vim, ac naturam habeat (ſiquidem homo ſpiritu, & corpore continetur). Eſto corpore aliquo ſe induant, nam in eo tecum mihi conuenire libet: puto id vel hominis defuncti cadauer erit, vel ex concretis, denſatíſque vaporibus moles aliqua. Nam his ferè duobus modis illos ſe nobis videndos exhibere, memini me alibi dicere. Quid obſecro abſurdius, incredibiliúſque dici, aut fingi poteſt, quàm quod vitæ animalis ſit expers, id ad eam alteri impertiendam vim, ac facultatem aliquam habere? Nam certè ſecundum naturam, cuius propria eſt hæc molitio, niſi viuentis genitale nullum ſemen eſſe poteſt: quicquid Petrus Paludanus, & Martinus Arelatenſis dixerint Dæmones, cùm ad eam rem ſe parant, è mortuorum hominum cadaueribus ſemen veluti emulgere. Nam tam ridiculum eſt hoc, quàm quod prouerbio vſurpatur: Ab aſino mortuo crepitum. Iam ſi ex denſatis, coalitíſque vaporibus, quod Diuo Baſilio [2], aliíſque multis placuit, nihilo certè felicius procedet negotium, nec erit res ea factu, quàm quę modo dicta eſt, procliuior. Nam ſi ſola ignea natura, (vt ait Cicero) [3] vim habet in ſe vitalem per omnem mundum pertinentem, ſine qua nulla ſit procreandi facultas, nulla gignendi cauſa: ſi, vt inquit Plutarchus [4], nulla eſt ratio, ob quam patriæ, & aſpera montium ſaxa fœcunditatis damnentur, quam quod ignis in totum nihil habent, aut ſi quid habent, id oppido quàm exiguum eſt: quæ quæſo vitæ ſemina, quæ naſcendi principia ab eiuſmodi nebuloſo parente expectanda ſunt, qui ipſe nullo editus patre nihil in ſe habet caloris, quod gene-

2 *In x. Eſaiæ.*

3 *II. Lib. De nat. Deor.*

4 *In lib. Aqua an ignis ſit vtilior.*

rando infundat, ac communicet. Nam certè & hoc omnes vno ore loquuntur, quæ Dæmoni corporis sui copiam faciunt, Sagæ (faciunt autem omnes vbi se illi addixerunt, éstque hoc quasi primum pignus initi cum illo fœderis) se illius semine, si quod effundit, in tantum frigido contaminari, vt eo admisso totæ statim horrore dissiliant. Marci apud

5. *In libro De Dæmonib.*

Psellum 5 eadem oratio est. Si quod (inquit) excrementum sentiuntur emittere, id vti corpus vnde manat, sic calore est destitutum, vt eo nihil ad procreationem æquè inhabile, ineptúmque esse possit. Cui rei & ipsa astipulatur experientia, ne hic per omnia rationum momenta decurram, quæ vulgo in hanc sententiam afferri solent. Refert A-

6. *Lib. 2. Genial. dierũ,* CAP. IX.

lexander ab Alexandro[6], audisse se à quodam familiari suo, illi amici paulò antè defuncti imaginem (credibile est eam fuisse illudentis Dæmonis spectrum aliquod) summo pallore, ac macie ad se accessisse, ac conatum esse vnà se cum illo in lecto collocare: sed cùm contra luctando id facere fuisset impeditus, pedem tamen intulisse vsque adeò gelidum, ac rigentem, vt nulla glacies illius frigori comparari posset. Refert & alicubi Cardanus non absimilem huic narrationem de quodam æquali suo, qui in cubiculo, quod pridem erat Dæmonum occursationibus infame noctu decumbens frigidæ manus palpum sensisset. Ad domestica redeo. Pon

7. *Pridie Nonas Aprilis. 1583.*

setæ Esselinæ Leherij 7, ob sortilegium damnatæ, consentanea est superioribus agnitio: Dæmonis sui manum, si quando (vt amatores solent) in sinum immitteret, semper sensisse marmoris instar duram, ac rigentem. Addunt & Auerroës, Alber-

tus,

tus, compluréſque alij prodigioſæ iſtiuſmodi generationis modum tertium ſuperioribus duobus fortè credibiliorem, ac probabiliorem. Dæmones ſcilicet id ſemen incubos immittere, quod ante ſuccubi exceperunt: qui modus rectè ex eo defendi poſſit, quod breui tātùm intermiſſę patrationis momento à naturali, & conſueto hominum diſtet. Cui etiam vitio facilè occurrant ea, quàm maximam habent Dæmones in rebus conſeruandis, ac ab interitu ſuo defendendis, dexteritate. Hic igitur ſiue vir incubet, ſiue ſuccubet fœmina, liberum in vtroque naturæ debet eſſe officium, nihílque omnino intercedere quod id vel minimum moretur, atque impediat, Si pudor, metus, horror, ſenſúſque aliquis acrior ingruit; illicet ad irritum redeunt omnia e lumbis, effœáque prorſus fit natura. Ob ídque etiam ſæpè ipſa ſibi amoris proxenetas, libidinſque fomenta adhibet, quibus veluti calcaribus ad rei Venereæ patrationem concitetur. At hoc qui nobis iſtos concubitus, ſuccubitúſque Dæmonum memorant vno ore loquuntur omnes, nihil ijs frigidius, ingratiúſque quicquam fingi, aut dici poſſe. Petronius Armentarius, [8] membra ſibi omnia ſtatim, atque Abrahelem ſuam complectebatur, diriguiſſe. Hennezelius, [9] quaſi in frigida oppletam ſpecum immiſiſſet, re imperfecta Scuatzebourg ſuam (erant verò hæc ſuccubarum nomina) reliquiſſe ſe prodiderunt. Sagæ quoque omnes perhibent, ſic Dæmonibus ſuis comparata eſſe, quæ putantur virilia, vt ſine ſenſu maximo doloris prę uaſtitate, rigoréque nimio admitti non poſſint. Alexia Drigæa [10] recenſuit Dæmoni ſuo penem,

8. *Dalhemij*

9. *Vergauillæ Menſe Iulio. 1586.*

10. *Haracuriæ. IIII. Idus. Nouemb. 1586.*

penem, cùm ſurrigebat tantum ſemper extitiſſe, quanti eſsent ſubices focarij, quos tum forte præſentes digito demonſtrabat: ſcroto, ac coleis nullis inde pendentibus. Claudia Fellæa, [11] expertam eſſe ſe ſæpius inſtar fuſi in tantam vaſtitatem turgentis, vt ſine magno dolore contineri à quantumuis capace muliere non poſset. Cui aſtipulatur & illud Nicolææ Moreliæ [12] conquerentis ſibi, quoties à tam miſero concubitu diſcedebat, decumbendum perinde fuiſse, ac ſi diutina aliqua, ac vehementi exagitatione fuiſset debilitata. Retulit & Didatia Miremontana, [13] ſe, licet virum multos iam annos paſsa eſset, tamen tam vaſto, turgidóque Dæmonis ſui inguine extenſam ſemper fuiſse, vt ſubſtrata lintea largo cruore perfunderet. Et communis fere eſt omnium querela, perinuitas ſe à Dæmone ſuo comprimi, non prodeſse tamen quod obluctantur. Vnde puto, ſatis clarum manifeſtúmque eſt tali concubitu nec irritari, nec elici vllum ſemen poſse. Quod tamen nemo neſcit, veluti ſymbolum ad procreationem conferri oportere. Sed eſto, poſſit aliquis inter adeò frigidos, inamœnóſque complexus deſpumare in libidinẽ. Sit hinc vir, illinc fœmina veluti ad manum. Ex vno ad alterum magna celeritate, ac deſultorum in modum tranſeatur. Quæ in hoc mora tam puſilla intercedere poteſt, quæ tantæ rei molitionem, excluſis, qui comitantur, ſpiritibus non impediat? Irritus eſt ad generationem coitus, inquiunt Phyſici, ſi ad locos caulis non penetrat, ac pertinet: vnà enim ſpiritus excerni oportet, nec in via diffundi, ac diſſipari. Si quidem rectè

Zeno,

11. Mazilaij. v. Idus Nouemb. 1584.

12. Serræ XIIII. Calend. Febr. 1587.

13. Præneij pridie Calen. Augu. 1588.

Zeno[14] ſperma dixit eſse mixturam, ex omnibus animæ viribus reuulſam: quod niſi perpetuis, ac directis ad eoſdem locos arteriæ meatibus integrum, valénſque peruenire nequit. Ob ídque pudendum maximè in coitionibus intentum eſse oportere dixit Galenus,[15] vt quam longiſſimè ſemen feratur. Quamuis enim fœcundum ſit, ſi tamen procul vibrari non poteſt, vt ijs euenit, qui ὑπο σπαδιαῖοι nominantur ad procreationem, generationémque omnino eſt inhabile. Et vt hæc ita ſint omnia, vti autumant, hic tamen faciant neceſſe eſt Deum prodigioſarum iſtiuſmodi libidinum adminiſtrum, ac συγγεννητὴν. Nam ſi aliud nihil ad generationem conferre poſsunt Dæmones, quàm quod homines ipſi conferre ſolent, videlicet genitale ſemen, vnde animalis facultas, ceu ex traduce, propagatur: ad abſolutionem autem, perfectionémque humanæ illius fabricæ accedere oporteat, & rationis participem animam: conſequens certè eſt, vt aut imperfectum opus, nec abſolutum relinquatur: aut Deus ipſe ei inchoato manum vltimam addere, ac veluti coronidem imponere habeat neceſse. Nam certè (inquit Ariſtoteles[16]) mens extrinſecus accedit, & diuina eſt: nec ex ipſa ſeminum natura oritur. Et Seneca,[17] ſi propriam mentis originem aſpexeris, non eſt ex terreno, & graui concreta corpore; ſed ex illo cœleſti ſpiritu deſcendit. Iamblicus[18] etiam ex Ægyptiorum, Aſſyriorúmque Theologia, refert hominis materiam, ex humano coitu optimè coaptari: à cauſa verò ſuperiori, vniuerſalíque adhiberi formam. Et probata eſt à piis omnibus[19] ſententia, animas

14. *Apud Plutarch. in li. De cohib. iracundia.*

15. *Lib. De vſu partiũ. XV.*

16. *II. Lib. De ortu & interitu.*

17. *In Lib. De conſolatione ad Albinam. Cap. VI.*

18. *De Myſt. AEgypt.*

19. *D Augu in libr. quæſt. vet. & noui teſtam. poſt ſententiam Rabinorum David Kimchi in Zachar. 12 & Moſis AEgyptij.*

rationis participes diuinitùs tunc nouas creari, & corporibus inſeri, cùm membra formam ſuam, ac figuram iam ſunt conſecuta: ſcilicet circiter quadrageſimum quintum [20] à conceptione diem. Inſpirauit (ait Moſes [21]) in faciem eius ſpiraculum vitæ: id eſt, (vt interpretatur Ioſephus [22]) ſpiritum immiſit in hominem, ex fermentata humo ante à ſe informatum. Neque equidem, vt is ad poſteros, ceu ex ſcaturigine ſolent riuuli, perpetua ſerie demanaret. Quod quidam non pœnitendæ eruditionis vir, forte hac de re cum eo ſermones conferenti mihi perſuadere conatus eſt, ex illis, quæ præcedunt, verbis: CRESCITE, ET MVLTIPLICAMINI. Nam iſta animorum ex animis propagatio, neutiquam ipſorum, quæ tamen certa, indubitatáque eſt, immortalitati conuenire poteſt: quod quicquid ab alio principium, cauſámque habet id ſuum etiam finem, exitúmque aliquando ſit habiturum. Longè ſapientius Eſſæi, [23] qui animos ex æthere ſubtiliſſimo in corpora, ceu carceres illecebra quadam naturali tractos commeare dixerunt. Et certè in hoc eorum ſententia præualere debet, vt qui à prima ætate libris ſacris, prophetarúmque effatis aſſiduè incumbentes Moſaicæ hiſtoriæ ſenſum, longè alijs melius callere potuerunt. Quibus quoque in hoc non aſſentiri pudor nobis ſit maximus, qui habuerint alieniſſimos, etiam ab omni veri Dei cultu homines ſuæ ſententiæ aſtipulatores. E quibus iam audiamus Porphyriũ, [24] pertinaciſſimum etiam hoſtem Chriſtiani nominis de ea re loquentem. Certa eſt, inquit, Eſſæorum religioni, Philoſophiæq; deditiſſimorum

20. *Hipocr. in Lib. de natura fœtus.*

21. *Genes. II.*

22. *Li. I. Antiqui. Iudaicarum cap. I.*

23. *Apud Ioseph. Li. II. De bello Iud. ca. VII.*

24. *In Lib. De abſtinentia Antiqu.*

ſimorum hominum ſententia, animas immortales exiſtere, atque ab æthere tenuiſſimo deſcendentes corporibus applicari ῥύμῃ, id eſt, impetu, & inſtinctu naturali tractas ad corpora. Quæ quidem non recenſentis tantùm: ſed probantis, laudantíſque aliorum placita, ac decreta oratio eſt. Proclus [25] quoque, qui poſt Porphyrium ſecundus contra Chriſtianos ſuis Epicherematis adeò infeſtè latrauit, iſtam animorum in humana corpora è ſuperis locis migrationem, ex eáque adeo inſignem in alias conditiones mutationem ita deſcribit. Deſcenſus animæ in corpus ſeiunxit quidem illam à diuinis animis, à quibus intelligentia, poteſtate, ac puritate implebatur: coniunxit verò generationi, naturæ, materialibúſque rebus, à quibus obliuione, errore, & ignorantia eſt imbuta. Vnde apparet mentem diuinitùs accedere, non parentum ſemine infundi, ac communicari. Quæ & Ariſtotelis [26] doctrina fuit, dum inquit mentem ſubſtantiam quandam eſſe, quæ aliunde aduenire videtur, ac non interire, id eſt (vt ex amplioribus Lactantij verbis magis apertum reddam) quæ ſentienti tátiſper dum ipſa viuit, atque alitur, coniuncta eſt: Sic enim is libro ſeptimo de Inſtitutione diuina aduerſus gentes loquitur: Non idem mens eſt, & anima. Ex quo igitur tempore ſpirandi facultatem accepit, id eſt, vt ego interpretor, animali facultati adiuncta eſt, cum eadem vſque ad vltimum durat; donec emiſſa corporis clauſtro, ad ſuam ſedem reuolet. At huius argumenti pondus eleuet forſan aliquis, inquiens ex ſtupris, inceſtibus, adulterijs, nefandíſque alijs amoribus naſci

25. In lib. De anim. & Dæmone.

26. Lib. 1. de anima Cap. IIII.

infantes. Neque tamen hoc cuiquam abſurdum videri, quòd Deus illis vti alijs, qui ex legitimis nuptijs eduntur, mentem diuinitus infundat: aut Deum idcirco iſtiuſmodi flagitiorum, libidinúmque comitem, atque adminiſtrum inclamare. Et certè multum intereſt, ſeruetúrne is, quem Deus conſtituit ab initio, naturæ ordo, & ſeries: an præter ipſum, ac potius in eius contumeliam, ludibriúmque tentetur aliquid, atque incœptetur. Edictum de propagatione humana ſummum, perpetuúmque hoc primum fuit, CRESCITE, ET MVLTIPLICAMINI. Directum eſt, ac ſimplex. Ac quemadmodum Iuriſconſultis directa in teſtamentis dicuntur, quæ recta à teſtatore in eum, de quo agitur, nulla alterius opera interpoſita, &, vt vulgus loquitur, immediatè tranſeunt: ita ad homines ab hominibus hoc recta tranſit, nulla eius opificij ſocietate cum Dæmonibus communicanda. Deus (inquit P. Lombardus [27]) non incongruè humanæ conditionis modum, quem à principio inſtituit, licet peccata hominum interceſſerint, ſine immutatione conſeruat. Ex altitudine iudiciorum eius hæc ſunt [28]. Nam & Abrahamus [29] ex Agare Ægyptia, ſic volente Deo, Iſmaëlem multarum gentium parentem: & Lothus [30] eius nepos adoptiuus, (ex filiarum inceſtuoſo concubitu Moabum, & Ammanum, vnde duxere originem Cœleſyriæ adeo numeroſi populi) ſuſtulerunt. Verùm non eadem ratione cenſeri debet, ſi quis ſemen ſuum Molocho dederit, alitérque eo vſus ſit, atque edicti illius perpetui fert ſententia, ordo poſtulat, exigit vſus, atque neceſſitas. Et certè ne ipſi quidem

27. *Li.* II. *ſentent. Diſtinct.* XXXII.

28. *Roman.* II.

29. *Genes.* CAP. XVI. *vers.* 10.

30. *Genes.* CAP. XIX. *ver.* 37. 38.

quidem Ethnicorum Philoſophi probauerũt poëtarum in hoc licentiam: quod Deorum amores, matrimonia, libidines, adulteria in ſcenam producerent; Homerúmque ob id è ſua republica eiecit Plato: ſimili exemplo, quo eum Athenienſes iudicio inſanum pronuntiauerunt; quia (inquit Cornelius Nepos [31]) Deos cum hominibus belligerare deſcripſiſſet. Quod & fuſius exagitauit Serapion in Panegyrico [32]. Quo magis mirum videri poſſit, tam multos Chriſtiani nominis autores, in ea opinione hærere, ſententiámque in hoc ſuam mordicus etiam tueri, ac defendere. Nam & Iornandes Gothorum imperante Iuſtiniano Epiſcopus, in eo libro, quem de Getharum origine ſcripſit, non dubitauit referre, fuiſſe in Scythia magas mulieres, patrio ſermone Aliorumnas nuncupatas, quæ à Filimero Gothorum rege in vltimas ſolitudines adactæ, atque ibi ab immundis ſpiritibus compreſſæ tetros, ac feroces homunculos edidiſſent, vnde ſuam Hunni duxiſſent originem. Et Gulielmus Pariſienſis, Thomas Brabãtinus [34], Vincentius, [35] Hector Boëtius, [36] Ioannes Nider, [37] atque alij eadem de Cypri incolis, Hellequinis, Vrſinis, ac Merlino Anglo confidentius narrauerunt, quam pateretur Eccleſiaſticæ hiſtoriꝫ fides, atque authoritas. Suam poſt Lactantium [38] (cuius tamen pridem error in hoc damnatus eſt) ex eo defendentes ſententiam, quod in Geneſi [39] legitur, hominum filias ſuis complexibus filios Dei ſuſcepiſſe. In quo quam longè rem à veritate ſua detorqueant, ſatis in eum locum interpretes [40] indicant inquientes filios Dei non natura, ac generatione illic dici: ſed peculiari qua-

31. *In Epiſt. quam ad Saluſt. præmiſit Daretis hiſtoria.*
32. *Suidas.*
33. 34. *De vniuerſali bono.*
35. *Lib.* XXI. *c.* XXX.
36. *Lib.* VIII.
37. *Lib.* V. *for. De maleſ. Cap.* X.
38. *Lib.* II. *de origi. errorum.*
39. *Cap.* VI.
40. *Rab. Dauid Kimhi D. Tho. Theoph. & Archid. Antioche.*

dam beneficentia, qua præter cæteros Deus illos complexus est, ac tanquam vnicè charos in familiam suam cooptauit: quales fuerunt filij Seth. Quemadmodum[41] filiæ hominum contrà appellantur, quæ nihil in se commendabilius habent, quàm quod ab homine sunt natæ, & progenitæ, quales fuerunt filiæ Caim. Et equidem D. Augustinus[42] locum illum enarrans, nihil tale comminiscitur, licét eum non fugerint, quæ de incubis, succubísque prisca narrauit gentilitas: ac præterea alibi[43] disertè pronuntiauerit, non esse fabulosum, quod aiunt Dæmones cum hominibus concumbere. Quod & ego pro vero habendum censeo: sed[44] non ea causa id fieri, quo inde sobolem tollant, vel voluptatem aliquam capiant, afferántue (matrimonia, inquit Plinius,[45] inter Deos credi; tantóque æuo ex ijs neminem nasci, puerilium prope deliramentorum est:) Verùm potius vt tali stupri consuetudine eos, quos semel illaqueauerunt, in flagitia magis, magísque ingurgitent. Inde ridicula illa quod & redamari, atque in amoris propensione (si Dijs placet) sibi responderi volunt. Imo & matrimonia, vt alibi[46] dicetur, iungere, ac frequentare, non minore equidem vel mœchi, vel riualis impatientia, quàm inter homines esse consueuit. Recitat Nicolæa Morelia,[47] cùm ea iam ætate esset, qua solent à procis ambiri virgines: ob ídque frequentes apud se ij adessent, sæpè hoc in ipsam durissimis verberibus Magistellum suum animaduertisse, quod illos intromitteret: ac præterea interminatum fuisse grauiora, ni in posterum abstineret. Et in sabbatarijs conuentibus malefi-

corum

41. Bartholomæ. Vvesthemerus in Phras. Diuinæ Script.

42. Ca. XXIII. Lib. XV. De ciuit. Dei.

43. Ca. XXIII. Libr. V. De ciuit. Dei.

44. Turquem. Hexam. dialogo III.

45. Libr. II. Cap. VII.

46. Capit. II. Lib. II.

47. Serra XIII. Cal. Febru. 1587.

corum nefas est (vt plerique omnes recensent) eam quam sibi alius matrimonio iunxerit, attingere, aut etiam probri sollicitare: Adeò versutè simulato amori Zelotypiam prætendunt. In quā etiam sententiam refert Erasmus, 48 oppidum fuisse in Heluetia Schiltach nomine, quod malus Dæmon totum exussisse credebatur: non aliam ob causam, quam quia cauponis (è cuius etiam ædibus flammæ initium fuerat) filius mulierculam, quam is sibi amicam adiunxerat, attrectasset: vt deinceps fusius suo loco narrabitur. Sed hæc omnia tanto maiore studio simulantur, quanto à veritate absunt longius: nunquámque operosior est veri ostentatio, quàm vbi mendacium, veluti anguis in herba latet, atque absconditur. Cùm enim coniugium ad vitanda stupra, procreandámque sobolem sit institutum: neutrius autem, vt iam dictum est, indigeant Dæmones, quod nec Venerearum libidinum illecebris trahantur; nec liberorum desiderio aliquo afficiantur: dolos, machinas, fallacias, & prestigias hæc omnia esse oportet. Quod & ex eo magis clarum, manifestúmque fit, quod qui eam Dæmonum γονοποιίαν defendunt, contraria nihilominus inter se sentiunt, vbi quale sit ortu, natura ac moribus, quod inde nascitur, constituunt: (quæ certè in tam contrarias sententias de eadem rediscessio facile mendacium arguit) si quidem alij humano tantùm semine id procreari per eas, quas modo dixi, se viris subiiciendi, tum propere fœminas ineundi vices, autumant: Adamiticósque, qui inde existunt, liberos, appellant: quasi ab Adamo, vt cæteros homines perpetua serie propagationis deductos, ac

48. Epist. familiar. Lib. XXVII. Epist. XX.

ctos, ac deriuatos: tum in infantia noctes, diésque vagire; 49 plumbeos, maciéque deformes esse: etiamsi nutrices quinque totas sugant. Hæcq; vitia esse adulterini, ac translatitii illius seminis: Alij contrà in illis elucere virtutes, quæ humanas longè superent, suspitionémque afferant admixtæ alicuius diuinitatis, qualem olim heroibus suis tribuebat antiquitas: qui & ob id (inquit Lucianus) neque Dij, neque homines; sed vtrumque esse credebantur. Eius adeò rei documentum esse amplissimum, quod de Castoris, Pollucis, Bacchi, Alexandri, Romuli, Æsculapij, aliorúmque id genus ἡμιθέων procreatione, literis proditum reperimus: genitos scilicet fuisse; cum quos ea ætas Deos, nunc Dæmones vocamus, illorum matres facto per alienæ formæ assimulationem fuco, compressissent. Quos etiamnum incubi, quos nobis hodiernæ memorant sagæ, facilè faciant: cùm nihilominus illis vires sint ad procreationem habiles, atque idoneæ. Quamquam id ea solum gratia ad inuentum, excogitatúmque fuisse forte dixerit aliquis, vt matrum illarum turpitudo eo commento tegeretur: quòd pudor fuisset illustribus ortas parentibus, adulterij, incestus, probri insimulari. Nec æquum fuisset tam excellentes, præclarósque belli, ac pacis artibus viros, quíque suis laboribus, eximiísque factis rempublicam auxissent, natalium labe aliqua aspergi, ac contaminari. Hæret tamen adhuc nunc in plerorumque omnium sermonibus, ac mentibus illa vti verissima, certissimáque opinio. Iam quod instant magis, ac validissimum firmissimúmque ad eam rem argumentum nactos se putant, dum

40 *Gulielmus Parisiensis in vltima parte de Vniuer.*

dum ostendunt partus ita à Dæmonibus compressarum mulierum nonnunquam informes, prodigiosos, ac portentosos existere: quales Cardanus in Scotia;[50] Leuinus Lemnius in Belgio;[51] nos etiam Lotharingia, dum in sagas quæstiones exercemus, non semel obseruauimus: id quidem facile erit ei diluere, qui penitiùs totum hoc negotium volet rimari, atque expendere. Nam, quod ait Vlpianus,[52] istiusmodi ostenta contra naturam esse; hoc ego sic interpretor, quasi dicat, ea communibus naturæ legibus aduersari, id est, modum à natura præscriptum, vel superfluis, ac luxuriatibus membris excedere: vti cùm quis nascitur tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ minus respondet: qualis fuit infans ille, quem Ammianus Marcellinus[53] memorat natum apud Daphnen amœnum, & ambitiosum Antiochiæ suburbanum: ore gemino, dentibus binis, promissa barba, quatuórque oculis. Et ætas nostra bicipites, sedigitos, bicorpores, geminatísque aliis artubus admirabiles multos vidit. Vel necessariis, consuetísque defici, ac destitui: vti fuit massa illa informis spongiæ, vrticæue marinæ instar palpitans, ac vitæ etiam speciem præbens, quam non ita pridem (inquit idem Leuinus[54]) enixa est insularis quædam mulier, in inferiore Germania. vt hîc omittam dicere Monoscelos singulis cruribus: Blemmyos ἀκεφάλους: & Arimaspos vno oculo in fronte; quos nobis narrat Plinius[56], nam suam certámque propagationem habuisse feruntur. Vel sic deprauata, infamíque forma, ac specie apparere, vt horrorem etiam sua fœditate,

50. Cap. XXXIX. Li. XVI. De var.
51. Cap. VIII. Lib. I. de occul. nat. mirac.
52. In l. ostentũ De verb. sign.
53. Rerum gestarum. Li. XIX. sub fin.
54. Libr. I. De natur. occul. mirac. cap. VIII.
56. Li. VII. ca. II. & Lib. V. ca. VIII.

immanitatéque aſpicientibus incutiant. Quale fuit illud, quod Chriſtianus Maſſæus 57 non multis diebus præceſſiſſe Rauennæ direptionem recenſet, Infans ſcilicet Hermaphroditus, aſpera vno cornu fronte, alatis brachijs, oculato genu, pede accipitris iſtis notis V. ✠ pectore inſignito. Rurſus & aliud non minus ſtupendum, quod enim Leuinus 58 ſua ætate viſum teſtatur: Adunco videlicet roſtro, longo teretique collo oculis vibrantibus, cauda acuminata, ſtridenti voce pedibus expeditiſſimis vt quibus hac, atque illac celerrimè diſcurreret, latebras conclauis perquirens. Quæ tamen omnia quantum ad animalis corporis fabricam attinet, ex iiſdem cauſis initium capere; quas natura in cæterarum rerum molitione adhibet, nemo eſt qui non ſit facilè conceſſurus, ſi modò ſe ijs rationibus duci ſinet, quæ in hoc argumenti genere plurimum ſemper momenti habuerunt. Nam primùm, vt ſilentio prætermittam geminationes, agnationéſque illas membrorum (minus enim ſuſpectæ ſunt iſtius Dęmonogomæ, quòd conſtet eas à ſeminis copia, abundantiáque promanare, & figuram nouam, alienámque nullam præterea habeant) ac à mola illa informi, atque inelaborata, quæ monſtri affinior videtur, incipiam: ne inter Medicos quidem controuerſia eſt, quin ei materiam natura ipſa ſuppeditet. Sed in hoc tantùm diuerſi ſunt, quod formæ vitium alij in mala vteri conſtitutione: alij ex ſordido, improbóue ſemine: alij ex aſtrorum contuitu ſyderúmque influxu, ac præſertim quartæ, ſilentíſque Lunæ, quam Varro intermenſtruum vocat: alij denique ex alijs cauſis naturali

57. Chron. Libro. xx.

58. Loco ſuprà memor.

naturalibus arcessunt. Fieri enim horum aliquo, vel omnibus simul, vt concinnam formam, decentémque figuram ea consequi non valeant. Addunt & nonnulli ex prurientis mulieris imaginaria Venere ac sine vllo viri concubitu, qui in hoc negotio agentis, quod proprium formæ est, partes obtinet, absurdas eiusmodi formas asciscí: nam & gallinæ oua pariunt, citra vllam galli operam. quæ ob id, quantocumque incubentur tempore, non animantur tamen: sed potiùs putrescunt. Vtcumque res sit, à nemine adhuc ambigi audiui, quin eiusmodi fœtus à natura, non etiam à Dæmonibus causam habet. Nam & honestæ matronæ, ac alioqui à tam nefandi concubitus suspicione alienissimæ, sæpè talem edere visæ sunt. Et contrà sagæ, quibuscum stupri quotidianam ferè consuetudinem habere dicuntur Dæmones, infantes suos sæpè pariunt omnibus naturæ numeris, & partibus perfectos, atque absolutos. Iam quod attinet ad horriferos illos partus, qui ipso quo eduntur in lucem momento stridore, discursu, ac specie, quales vulgo Dæmonibus affinguntur, terribiles se ostendunt; etsi vrgent illi non parum ad inferendam hanc de Dæmonum τεκνοποιΐα opinionem: siquidem inquit Euripides, 58.

Η φύσις ἑκάστῳ τ̃ γένους ἐστὶ πατρίς. 59 *In Electra.*

Si tamen eorum efficientes causæ paulo attentiùs considerabuntur, nihil quoque reperientur habere, quod suum natura non agnoscat. Palàm est quanta formarum varietate in hominibus præsertim ea ludat, vtq; ex eo, qui adhuc illorum extitit, numero vix duo reperti sint vultu, moribúsque

per omnia consimiles, vel si vno sint partu editi? Quod in Esau, & Iacob res ipsa olim fecit manifestum. Eius causam, si rogetur Physicus, non continuò in seminis genitalibus facultatibus eam constituet, quasi natura ex vna, eadémque causa res adeò diuersas sit editura; cùm contra (vt inquit Cicero[60]) eius via perpetuò vna sit, & simplex similium appetentissima, ac adeò rapacissima. Quid ergo quàm tandem tantæ diuersitatis causam probabilem satis constituemus. Et de hac quidem gariè disputant illi: sed in eo plurium consensio est, vt ad matris imaginationem potius referenda videatur. Memorabile est, quod de ea re in Iacob sacra historia[61] legitur. Is pacto cum Labane socero conuenerat, vt sibi habere liceret eas omnes, quę in grege maculis interstinctæ, consparsæq; reperirentur pecudes. Quo igitur plures eius generis ederentur matribus ad aquam appellentibus è populo amygdala, castaneáue virgas coloribus distinctas opponebat, quarum frequenti aspectu sensus earum afficerentur, vnáque qui postmodum concipiendus erat fœtus. Quæ etiam illi frustra non fuit cautio: Nam matres illæ ferè omnes agnas edebant maculoso vellere quamuis, qui iniret eas talis nullus in toto grege existeret. Ab innata igitur seminis facultate non erat ea veritas, ac diuersitas: sed ab illis, quę extrinsecus obrepebãt, imaginibus. Quam si tantum brutis animantibus, quæ nihil tamen mente agitant, natura vim tribuit, ac facultatem, quid de homine futurum putamus, cui animus est (inquit Plato) ἀεικίνητος, id est, (vt interpretatur Cicero[62]) seipsum semper mouens, semper aliquid

60. *In Catone & Lælio.*

61. *Genes. C. xxx. vers. 38.*

62. *Tuscul. q. lib. 1. De finib. bon. lib. 2. de Diuinat. lib. 11.*

aliquid agens, nunquam agitatione vacuus non etiam inter dormiẽdum? Siquidem illarum rerum visa eum fatigant, quas vigilás gesserit, aut cogitarit [63]. Quæ puto causa fuit Plinio [64], vt diceret plures in homine, quã in cæteris omnibus animalibus apparere differentias, quia videlicet cogitationum velocitas, animi celeritas, ingeniísque varietas multiplices notas imprimat: cùm cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulísque in suo cuique genere. Ac licet Leonardus Vvairus [65] in eo tractatu quem de Incantationibus edidit, disputet eiusmodi macularum in pecudibus Iacob varietatem, ex occulta diuinæ voluntatis potentia magis fuisse, quàm ex obiecta illa colorum interpunctione; ipsa tamen historiæ veritas, si exactè perpendatur, contrà facere videtur. Nam si hoc sic facere instituit Deus, quid necesse fuit istud de virgis, quod certè probabile in naturalibus causis fundamẽtum positum habet, quasi subsidium aliquod, atque instrumentum opificij sui adhibere? Et certè se-ipse Vvairus suo iugulat gladio, tum euestigio laudata contra Diui Augustini [66] authoritate: tum superioris libri capite vicesimo, seriò etiam adductis in contrariam sentẽtiam argumentis: quod, inquit, socerum Iacob bona pecoris parte, adinuẽta illa virgarum variatione cum insigni eius damno fraudauerit: quòd gallinis, cùm oua incubant, tales offerri soleant colores, qualibus distinctos earum pullos volumus: quod ea cautio sit maxima, ac prouisio qui dant liberis operam, ne aliis exornetur genialis lectus imaginibus, ac tabulis, quàm quæ honestam, liberalémque aliquam

63. De Diuinat. lib. II. Macrob. Lib. I. in Somnium. cap. 3.

64. Lib. VII. cap. 12.

65. Lib. II. cap. 7.

66. Lib. XII. de ciuit. Dei.

ſpeciem oſtendunt. Similitudinum enim in mente reputatio eſt (inquit Plinius[67]) & in qua credantur multa fortuita pollere: viſus, auditus, memoria, hauſtæq; imagines ſub ipſo conceptu. Et mulieres (ait Plutarchus[68]) ſæpiuſculè repertæ ſunt, quæ ſimiles illis ſimulachris, ſtatuiſque partus eniterentur, quas in delitiis habuiſſent. Quod tamen ego prorſus ſic dictum non intelligo, quaſi vniuſcuiuſque figuram ac lineamenta inde cauſam ſuam neceſſariò mutuari, atque habere putem. Nam naturam hic etiam ius ſuum ſibi vendicare indicat, quod non modò liberos, ſed & nepotes parentum ſuorum vultus, mores, vocem, inceſſum, ſtaturam denique ipſam, multis etiam poſt annis referre videmus. Imò & in parte corporis aliqua notam generis ſui propriam, ac peculiaré. Vti Seleuci filij[69], nepoteſque anchoram in femore: Daci[70] in brachio certum aliud quoddam generis ſui inſigne ad ad quartum vſque partum oſtendiſſe perhibentur. Bergami[71] quoque in Coleonum familia (quàm vnus maximè illuſtrauit Bartholomæus ille, cuius adhuc Venetiis ad DD. Ioannis & Pauli erecta viſitur ſtatua equeſtris) peculiare fuit mares vtplerunque tribus naſci teſticulis: ob ídque adhuc eius familiæ ſymbolum tribus nigris teſticulis eſſe notatum, atq; inſignitum. In Lepidorum[72] etiam gente tres intermiſſo ordine obducto membrana oculo geniti memorantur. Et indubitatum exemplum eſt Nicæi nobilis pictæ Byſantij geniti: qui adulterio Æthiopis nata matre, nihil à cæteris colore differente, ipſe autem regenerauit Æthiopem. Cui & germanum illud eſt[73] de muliere quadam Græca,

quæ

67. *Lib. VII. cap. 12.*

68. *Lib. V. de plac. philoſ. cap. 12.*

69. *Inſtin. lib. XV.*

70. *Plin. lib. VII. cap. 11.*

71. *Hiſt. Venet.*

72. *Plin. lib. XII. ca. 12.*

73. *Plutarch. in Lib. de ſera num. vindicta.*

quæ cùm enixa esset infantem, ob idque adulterij esset damnata, progenies Æthiopis quarta inuenta est. Tum & hoc in corporibus liberorum Pythonis Nisibensis hastæ figuram signum Spartanis conueniens, post multi temporis reuolutionem, tãquam ex altissima generis similitudine emicuisse. Verùm si quæ maior in corpore apparet turpitudo, ac deformitas, quæ ei figuram indat à communibus, & vulgaribus alieniorem, vt plerumque eas ab eiusmodi phantasiæ violento, vehementiq; motu progredi. Nam certè si quid mulier auidius animo concipit, ac menti inculcat altius, siue in ipso conceptu, siue etiam ineunte gestationis tempore, huius imago vti dictum est, vt plerumque in fœtu elucescit. Dum enim vehementius, attentiúsq; rerum vel obiectarum, vel cõcupitarum species animo voluit, ac versat; euenit, vt earum figura concursantibus vnà humoribus, quos ad id habet obsequentes embryoni indatur, atque imprimatur. Viso enim sub cõceptum oblato (inquit Empedocles apud Plutarchum 74) infans informatur. Fidem huius rei faciunt amplissimam, quæ de ea re extant apud probatos authores, exempla. Scrupulum (inquit Heliodorus præsul Tricēsis 75) in agnoscenda Cariclæa filia marito ademit Æthiopissa vxor (esto hæc commentitia narratio, at veritatem præ se fert aliquam, eámque, quàm proximè fieri potest vestigiis consequitur) quod diceret Andromachiæ se ob oculos imaginem tum positam habuisse, cùm vxorium patraret opus. Hancque in cute candoris causam præter loci morem, ac naturam non respuisse virum, naris alioqui emunctissimæ.

74. *Lib. v. De plac. Philos. cap. 12.*

75. *In historia Aethiopica.*

ſimæ. Marci Damaſceni nota eſt hiſtoria de muliere, quæ villis, qualibus veſtiri ſolent cameli, horridum infantem peperit: non aliam ob cauſam, quàm quod Diui Ioannis Baptiſtæ inter geniales complexus in aduerſa tabula contemplaretur effigiem. Quæ etiam cauſa fuit [76] Nicolao Pontifici eius nominis III. cùm eius neptis villoſum admodum infantem peperiſſet, vt viſorum, quotquot erant Romæ, imagines edicto tollendas curaret. Alius [77] nondum depoſita cacodæmonis perſona, quàm in fabula paulò antè adumbrauerat, obuiam fortè vxorem moræ impatiens cõpreſſit: vnde grauida facta talem forma partum poſteà edidit, qualem ipſa maritum perſonatum inter amplexus attentiùs conſpexerat. Narrant [78] de Cippo quodam rege, illi inter dormiendum enata in fronte cornua: cùm commiſſos interdiu tauros ſomnians altius animo agitaſſet. Rurſus Hiſpano adoleſcenti cui nomen erat Iacobo Ozorio vnà non amplius nocte canitiem obrepſiſſe, quod dies illi necis ſequens eſſet deſtinatus. Ac quamquam hæc multis parum credibilia ſcio eſſe futura: tamen iuuat & ea meminiſſe, vt per aſpera etiam, ac ſenticoſa loca ad veritatem plana, pronáque magis via inſtituatur. His igitur ſic perſpectis imaginationis viribus, quid vetat nos nunc aſpectu horribiles illos partus naturæ confidenter attribuere; cum vtique vel in conceptu, vel in prægnatione mulieres cacodæmonis alicuius imaginem, qualis in DD. Michaëlis, Apri, Antonij, aliorúmque cœlitum pictis tabulis videri ſolet, oculis auidiùs potuerint capeſſere? Quod etiam infortunium in matre, ob id excuſare

videntur

76\. *Guliel. Parad. Chron. Sabaudiæ cap. 46.*

77\. *Buſcoduci, vt refert Vvairus lib. 1. de incãta. ca. 12.*

78\. *Pet. Meſſ. part. ij. variar. lect. cap. 7.*

videntur Iuriſconſulti [79]; quaſi ſcilicet fataliter nō conſilio acciderit. Ac quod obiectæ oculis eiuſmodi imagines præſtant, id iam multo certius res ipſa, ſi præſens erit, efficiet. Sagis autem Dæmones ante oculos ſæpè præſentes verſari, modò hac, modò illa ſpecie alibi ſatis eſt demonſtratum. Mirum igitur videri non debet, ſi quando liberos edent prodigioſa eiuſmodi deformitate inſignes: (quanquam & hoc raro accidiſſe memini): Sed aliud eſt, quod vrget magis: horrifer ille pro eiulatu ſtridor, inceſſus præceps, latebrarum perquiſitio: quorum nullius vel muta, ac ſenſus, motúſque expers imago; vel res adeò ipſa cauſam dare poteſt: cùm viſum tantum feriant, non etiam aliquem aliorum ſenſuum, quem imaginatio ad fœtum poſſit tranſmittere. Et certè fateamur, oportet, hic Dæmones operam ſuam interponere, ac ſe plerunque tum in illas, tum in illarum fœtus immittere, atque ad eas actiones habiles, promtóſque reddere, quæ alioquin naturę vires omnes vincăt, ac ſuperent. Quod & vbi [80] de illarum, quæ putantur transformationibus diſputauimus, non obſcurè oſtēdimus. Quibus ita poſitis ac conceſſis, non erit, opinor, abſurdum dicere: partus ſic deformitate prodigioſos, ex eo tales exiſtere, quod mater, dum is informatur, vel adoleſcit, frequenti Dæmon occurſatione perculſa, rei viſæ ex vehementi imaginatione illi figuram induxerit Vocem porrò efferatam, greſſumq;, ac fugam inſolentem à Dæmone omnino eſſe, qui fortè vel viuos in vtero vel abortu egeſtos ſine luce infantes, ex matris arbitrio inuaſit. Quæ fortè olim cauſa fuit (inquit Alexander ab Ale-

79. l. Quaret aliquis. De verb. ſignific.

80. Quinto ca. Lib. II.

[81] Genial. dier. lib. II. cap. 25. & li. V. ca. 27.

xandro [81], vt eos vel in fluuium, maréve proiicerent, vel in vltimas terrarum oras ablegarent. Et hodie Christiana lustratione eorum plerosque pro Ecclesiæ iudicio dedignamur ac præfocandos, extinguendósque curamus statim, atque in lucem prodeunt. Nimirum quia suspicionem afferunt intus latentis, ac reconditi Dæmonis. Hominum igitur non Dæmonum ea proles est certissima, licet minus respondeat figura, ipsáque adeò materiæ moles. Cùm enim (inquit Cicero [82]) in rerum natura duo quærēda sint: vnum, quæ materia sit, ex qua quæque res efficitur: alterum quæ vis sit, quæ quicque efficiat: vtrumque autem in homine, neutrum ne translatitium quidem in Dæmone, quantum ad eiusmodi procreationem attinet, efficax reperiatur: frustra bigeneres istos partus, atque hybridas sola exterioris figuræ, aduentitiorúmque motuum causa, ac prætextu nobis malè quidam feriati homines prædicant. Et omnino, vt eò redeat vnde digressa est oratio. Probabilior videtur eorum sententia, qui negant Dæmonum illam ex mutuatitio (vt sic loquar) semine generationem. Quanquàm scio qui contrà senserint autores grauissimos à quibus dissentire parum tutum videretur, si hæc esset de religione rebúsque sacris contentio. Sed cùm nihil pietatem attingat. & sit etiam inter patres προβληματώδης de ea re sermo nihil ab homine orthodoxo alienum facere me existimaui, si cui magis assentirer opinioni adductis quæ me mouent rationibus liberè eloquerer.

[82] Lib. I. de finib. bon. & mal.

Dæmones

Dæmones corpus sibi condensare ex aliqua materia, formasque variarum animantium sibi assumere: humanam etiam nonnumquam, sed infami, ac deprauato vultu, manibusque, & pedibus semper in morem auium rapacium vncinatis, atque hamatis.

CAP. VII.

DÆmones [1] quidem natura sua corporis expertes esse, sed vel ex aëre, vel ex densiore aliqua materia corpus sibi pro tempore, atque vsu comparare etiam probauit Platonicorum schola[2]: Cui & in hoc assensisse se D. Augustinus non infi- ciatur[3]: D. etiam Basilius scribit 4. Dæmonum corpora aliquando esse aëria, aliquando ignea: sæpè etiam ex vtroque elemento temperata. Iam vt hoc dubitationem nullam habeat, Dæmones sese, quæ sub sensum cadant corporibus, inuoluere: prout id quod adornant facere exigit, ac postulat. Qua verò forma, ac specie id præstent tam infinitum sit dicere, quàm Protheum in omnes suas figuras distinguere. Quemadmodum enim terræ anhelitus in nubes se induunt, quæ ventis agitatæ species innumerarum rerum præ se ferant: sic Dæmones ex obiecto, atque arrepto quoque aëre, ac vaporibus corpora in eum, quem cupiunt, modum sua volubilitate, agilitatéque facilè informant. Idem Basilius 5 refert illos sæpè hominibus petulanter insultare felis, mustellæ, ac canis se discerpentis figura. Iamblicus [6], & Psellus 7 dici non posse, quanta varietate ludant modò se in breuissimam molem contrahentes, modò in amplissimam exporrigen-

1. Psalm. c. 1. & ad Hebræ. 1.
2. Eras. Chilia. 11. centur. 8. ad 1.
3. In libr. De natū. Dæ.
4. In Esaiam. cap. 10.
5. In Esaia. cap. 2.
6. De Myster. AEgypt. ca. Quādo alia numina aliter ap.
7. De Dæmonib.

tes: modò viri apparentes, modò occurrentes, vt fœminæ: Leonis more frementes; saltantes, vt pardalis; latrantes, vt canis, atque in vtris, vasísque figuram sese aliquando transformantes. Aluarotus à Minues, Ouieda, & qui Indorum Occidentalium mores scriptis mandauerunt frequentissimos narrant illis esse Dæmonum occursus, modò hac, modò illa animantis facie sese ostendentium. In quot verò vultus, atque ora immutatos illos viderint nostræ ætatis sagæ, opere pretium quoque est hîc recensere. Nicolæa Morelia [8] refert cùm se Magistellus suus captiuam inuiseret, modò auis per fenestram inuolantis, modò leporis, aut muris, circumcurrentis tandem hominis, à quo stuprabatur, forma, atque imagine apparuisse. Iana Gerardina [9], sub canis atri forma à se itidem in carcere visum. Asinaria Nanceiana [10] cancri instar sibi obuersatum, intereadum à me Quæstore, ex testium elogijs interrogaretur. Plereque omnes, quæ in vasto regno fuere deprehensæ, cùm se noctu inuiseret, illabi consueuisseper cancellos fenestrarum felis, aut pusillæ alicuius bestiolæ habitu. Et omnino nullæ sunt animalium species, quas illi per occasionem non vsurpent, dum dolos admoliuntur, technásque instruunt: Nullam tamen (vt refert Abbas Trithemius) omnium sibi adaptant libẽtius, quàm hominis, quòd ea ad congressum, ac collocutiones conuenientissima sit. Verùm in hoc Dei erga miseros mortales mirè elucet benignitas: quòd nunquam tam commodè illam affingunt, quin fucus etiam crassioribus appareat. Nam aut in vultu fœditas est, ac turpitudo, aut vncis, hamísque, quales obscœnis

8. Serræ XIIII. Calend. Febr. 1587.

9. Pangæij X. Calen. Decemb. 1584.

10.

obſcœnis vulturibus inſunt manus, pedéſve deprauatos habent, aut denique inſolita, atque inſigni aliqua nota, quæ naturæ immanitatem prodat, cõſpicuos ſe oſtendunt. Ioannes Piſcator [10], Hennezel [11]; Salome [12], Catharina Balandræa [13], Nicolæa Ganatia [14], Sennel Armentaria [15], & Ioanna Gerardina [16] retulerunt ſe, & ſæpè, & otiosè, atque attentè conſideraſſe ſuos Magiſtellos, cùm præſentes colloquerentur: obſeruaſſéque ſemper illis obſcuras, atráſque fuiſſe facies: ac (quod Iornandes dicit de Hunnis, quos Dęmonibus incubis ſatos ferunt) offæ ſimiles: lumina penitus abdita, flammæ tamen inſtar micantia: Oris rictus ſparſos, profundos, ac ac perpetuò olidi, ſulphureíque aliquid ęſtuantes: manus ſtrigoſas, & villis, atque hamis deformes: pedes corneos, bifidóſque: ſtaturam nunquam iuſtam, ſed aut breuitate, aut vaſtitate ſemper aliqua inſolentem: totámque adeò ſeriem extra modum. Addit Alexia Belhoria [17], illum ſe aliquando vidiſſe capite, vel pede altero truncum, mutilúmque, cùm fortè ſaltationes nocturnas vnà cum ſuis agitaret. Quæ res me in memoriam inducit eius rumoris, qui me puero circunferebatur de Empuſis, quarum frequentes de nocte choreæ in triuijs tum videri ferebantur (*la mequie Hennequin*) id eſt, familiam Hellequinam vocitabant: nam Hellequinos ab incubis Dæmonibus ſuam traxiſſe originem non ignobiles ſcriptores prodiderunt: rectè an ſecus anteà eſt diſputatum. Et certè eiuſmodi Hecate vno pede incedens etiam veteribus celebrata fuit, vti Ariſtophanis, Homeríque interpretes prolixè commentati ſunt. Nec modò no-

10. Gerbeuilleæ IIII. Nonas Maij. 1585.
11. Vergauillæ Non. Iunij. 1586.
12. Ibidem VI. Calē. Sept. 1586.
13. Hardæmōtij III. Nō Decembr. 1584.
14. Maynerij VIII. Idus Iul. 1585.
15. Duſa pridie Calen. Octob. 1587.
16. Pangæij XI. Calen. Decemb. 1584.
17. Blamuillæ ad aquas XVII. Cal. Febr. 1587.

cturnis ſolitam apparere horis, ſed & ſæpiſſimè meridianis, maximéque cum manibus parentabatur. Quodquidem haud ſcio, an rectè poſſit referri ad id, quod legitur in Pſalmis Hebræorum [18]: Ab incurſu & Dæmonio meridiano (quanquam ſunt & qui meridianum dici putant quod in lucis, ceu meridianæ angelum ſe transformant) ſed & meridie choræas agitare Dæmones poſteà demonſtrabitur [19]. Verùm de hac πολυμόρφῳ plura ſuo loco dicentur [20].

18. *Pſal.* XC.

19. *Huius libr. cap.* 14.

20. *Huius libr. cap* 23.

Dæmones ſermonem, quali vtuntur eæ, apud quas verſantur, nationes ſibi fingere: ſed ſubſurdum, puſillum, & clauſo murmure raucum.

CAP. VIII.

ETSI Diabolus plerunque inteſtina, latentíque graſſatione homines in malos affectus impellit, quemadmodum alibi diximus [1]: tamen & id explanata vocis (qualem habent hominum inter ſe collocutiones) impreſſione aliquando facere ſolet; maximéque vbi illos ſortilegij pactionibus, veluti ex formula ſibi nexos, obligatóſque habere parat. Nam hæc non eſt vulgaris & momētanea ad eum tranſitio: qualis euenit, quoties humana imbecillitate in vitium labimur: ſed quædam veluti correptis verbis mancipatio: quàm deinde vti inter herum, & ſeruum conſtare oportet certis, ac præſcriptis imperandi, obſequendíque legibus, ac conditionibus. Ergo eſſe oportet & congreſſum, & colloquia, quibus vltro, citróque eiuſmodi pacta firmentur. Quod humana ſpecie homini ſe ſæpè viden

1. *Cap.* I. *huius libri.*

videndum exhibeat, ſuperius eſt demonſtratum. Quod verò ſermonis cum eo commercium aliquod habeat, hoc quoque nihilo eſt ad credendum difficilius. Si enim humanam figuram ſibi ex denſato aëre aſciſcere poteſt; qui minus ex eiuſdem diuerberatione,agitationéque vocem ſibi effingere poterit, quam etiam exceptam, ac repercuſſam valles ſæpè articulatiſſimè reciprocant, atque imitantur? Et certè ſtatuæ, quercus,atque antra illuſæ antiquitatis ſic ſua oracula ediderunt. Memnonis ſtatuam(inquit Apollonius [2])cùm eam Sol attingebat,atque ad eius os perueniebat,quod oriens facere ſolebat, loqui perhibuerunt Nicephorus Gregoras [3] in Byzantina ſua hiſtoria: Sunt (inquit) qui exiſtiment Spiritus quoſdam adminiſtros partim bonos partim malos futurorum ſcientiam hominibus impertiri per vocem ex aëre ortam,& aures hominum circumſonantem. Ac quemadmodum organorum pneumaticorum ſoni ſola (vt Iuuenalis verbis vtar) criſpi numeratione pectinis in varios accentus, ac tonos diſtinguntur:ita & Dæmones ſolent, pro ſua in fingendis rebus dexteritate aërem ſine lingua, ſine palato, ſine faucum, laterum, pulmonum vlla vi, & figura in quemuis ſermonem,atque idioma informare. Qui inter Græcos olim habitabant (inquit Pſellus [4]) heroico ſtylo reſponſa dabant: qui apud Chaldæos Chaldaico ſermone vtebantur: ſicuti qui apud Ægyptios, Ægyptio. Qui Armeniam incolebant aliò migrantes indigenarum oratione loquebantur. Quod & ſagæ quædam de ſuis Magiſtellis etiam nunc affirmant: ſic videlicet eos ſecum loqui,vt

2. *Philoſtratus lib.* VI. *cap.* 13.

3. *Lib.* V. *ſub fin.*

4. *In lib. De Dæm.*

qui, vt non queat vernaculè, ac germanè magis, vel qui nunquam patria excesserit: imò & nomen sibi itidem vernaculi sermonis vulgò assumere. Margareta Luodman [5] refert id suo fuisse *Vngluc*, id est, infortunio: Sybilla Capellaria [6], *Mach leid*, id est, noxio: Catharina Haffner [7], *tzum Vvalt vliegen*, id est, ad saltus volanti: Alexia Bernhard [8], *Feder Vvüsch*, id est, plumæ tersori. Quæ Romandicè loquuntur (nam Lotharingica ditio vtriusque linguæ incolas habet) *Maistrè persil*, *Ioly-bois*, *Verdelet*, *Saute-buisson*, & id genus alia multa, quæ hic esset otiosum recensere. Verùm quemadmodum nunquam se in hominem tam commodè induunt, quin supersit aliquid, quod fucum, fraudémque detegat: sicuti iam anteà dictum est [9]: ita nec adeò feliciter humanam vocem imitantur, quin ficta, ementitáque audientibus facilè appareat. Nicolæa Ganatia [10], Eua Hesoletia [11], Iana Nigra Armacuriana [12], ac pleræque aliæ vocem illis esse aiunt, qualem emittunt, qui os in dolium, aut testam rimosam insertum habent. Ob ídque illos semper loquendo vultum demittere, vti solent facere pudibundi, & sceleris alicuius sibi conscij. Aut certè exilem, ac debilem. Sic retulit Hermolaus Barbarus [13], à se auditam fuisse vocem subsibilantis Dæmonis, cùm ille fortè de Aristotelis entelechia interrogatus sibi, & Georgio Placentino respondisset. Eadem curiositate Appion Grammaticus (hunc à se adolescente visum scribit Plinius [14].) Vmbras cùm euocasset, ad percontandum Homerum, qua patria, quibúsque parentibus genitus esset, non ausus fuit profiteri, quid sibi respondisset.

Quod

5. *Vergauillæ* XI. *Calen. Febr.* 1587.
6. *Ibid.* XVIII. *Calen. Decemb.* 1586.
7. *Ibidē.* VII. *Cal. Octob.* 1586.
8. *In Guermingen.* VIII. *Cal. Febr.* 1590.
9. *Cap.* 7.
10. *Manerij* VII. *Idus Iulias.* 1585.
11. *In suburbijs D. Apri. secun. Tullum.*
12. *Leherij* V. *Cal. April.* 1588.
13. *Petrus Crinitus Libr.* VII. *de honest. disciplina ca.* 2.
14. *Libr.* XXX. *cap.* 2.

Quod ego ſic interpretor adeò confuſa, ambigua, obſcura, ac debili voce locutum fuiſſe, vt clari certíque nihil inde elicere potuiſſet, quod poſtea referret. Nam Dæmones (inquit Pſellus [15]) dedita opera tenuem, & puſillam vocem edunt, vt eorum mendacia propter indiſtinctam illius obſcuritatem minus deprehendi poſſint. Et Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus vocem confuſam inaudiuit ſpectri ad altare de nocte ſtantis, cùm id ille iurgabundus increpaſſet, vt Cedrenus, Calliſtus & Theodorus [16] ſcriptis ſuis teſtatum reliquere. Vlmus [17] quoque, id eſt (vt coniicio) ex vlmo verba faciens Dæmon Theſpeſionis, qui Gymnoſophiſtarum erat natu maximus, iuſſu ad ipſos aduẽtantem Apollonium ſapientem voce tenui ſalutauit. Aſſyriorum etiam, & Chaldæorum λεκανομαντεία hoc præſtare ſolebat, vt Dæmones e pelui ſtridula voce, ac tenui ſibilo verba ederent. Nempè hæc eò redeunt omnia, vt imitatio, quæ (inquit Fabius [18]) artis eſt propria, nunquam tam feliciter naturam exprimat: quin inter hanc, & illam ſemper aliquid interſit, ipſáque veritas pluribus paraſangis ſua ſequentem veſtigia hypocriſim poſt ſe relinquat.

15. *In libr. De Dæm.*

16. *In add. in Zonar. tomo. III. libro. I. collectan. hiſt. Eccleſiaſt.*

17. *Philoſt. lib. VI. cap. 5.*

18. *Libr. III. Inſt. orat. cap. 5.*

Satanam recti ſpecie homines ſæpè decipere, ſuos quoque ad eamdem hypocriſim quàm maximè poteſt eruditos habere, quo in occulto magis ſit eorum improbitas, minúſque coniectura, ac ſuſpitionibus coarguatur.

CAP. IX.

MALI ſpiritus (inquit Iamblicus [1]) ſimilitudinem bonorum ſæpè arripiunt. Et ſatanas

1. *e. quãdo alia numina aliter appareant.*

2. ij. Corinth. cap. 11. vers. 14. ait. D. Paulus [2], in angelum lucis se vt plerumque transfigurat, integumentóque semper aliquo se inuoluit, quo homines deludat, perdátque facilius. Quis enim adeò est confidens, ac securus, qui si prima fronte (quod aiunt) cornua ostenderem, id est, perniciem apertè intentantem videat, non statim obnixè illū vitet, ac defugiat? Ergo quemadmodū

--pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flauoque liquore: [3]

3. Lucret. lib. 1. & 4. Sic improbus malas merces suas, vt vænaliores hominibus obtrudat, eas speciosis inuolucris tegit ac (quod de sui temporis Philosophis dixit Seneca) pharmacopolarum more pyxidibus venena occultat, quæ tamen honestissimos titulos præ se ferant. Imò vt facilius emptorem inueniat splendidi, ac lauti mercatoris habitum sibi assumit: nimirum quo magis fides sit nihil sordidi, fallacis, aut exoleti apud eum prostare: sed talem, vt aiunt esse generositate equum, qualem phaleræ, & ephippia nitore, atque elegantia exteriore demonstrant. Ac primùm quum nihil adeò exosum habeat, atque honores, cultúsque diuinos; præstigijs tamē, atque incantationibus suis non cessat intermiscere votiuas peregrinationes, anathemata, libationes, sacra, lustrationes, precationes solēnes, expiationes, eleemosynas, atque id genus alia, quæ religionis aliquod studium prę se ferre videntur, vti pòst suo loco fusiùs declarabitur. Hócque adeò agit, vt suos habeat in illis, vel ad superstitionem exercitatos, atque assuefactos: quo videlicet suspitionem eius, quo tenentur, criminis, à se longius amoueant. Vt

mirum

mirum nemini eſſe debeat, ſi ſagæ, quibus eſt cum Dæmonibus vitæ quotidianæ conſuetudo, adeò bellè, atque appoſitè eam perſonam adumbrent, ac imitentur. Siquidem (vt ait Cicero[4]) ὁποία ἡ δέσποινα, τοίαι, καὶ θεραπαινίδες. Iſtud verò προσωπεῖον non eſt quod quis plenius exhibitum, ac redditum quęrat, quàm apud D. Paulum[5] vbi ſpeciem aſſimulatæ ſapientiæ ſuis depingit coloribus; ſuperſtitione videlicet, animi ementita humilitate, & corporis læſione, ac dilatione: Nam hoc fuco adeò frequenter Satan tenebras ſuas illuſtrat, vt à luce nihil planè differre videantur. Noſtra ætate in Mediomatricibus viſus eſt non illaudatæ vitæ curio ſeueriùs cum magiſtratu expoſtulare, quod è parœcianis eam iuſſiſſet duci, quæ opinione ſua religionem præ cæteris omnibus ſanctiſſimè, piiſſiméque coleret. Nam & ſacris omnibus primam intereſſe, ab iiſque vltimam, atque adeò inuitam recedere: precationes ne in via quidem intermittere: eas vſque & vſque crucis ſymbolo diſtinguere: aras Diuorum conſecratas memoriæ nullis non diebus ſuppliciter adire: teſſera precaria ſemper inſtructam eſſe: ſolennia quæque ieiunia celebrare, vel rigidiſſimè blando, atque humili ſermone obuios quoſque appellare: denique nihil non earum præſtare, quæ demiſſam mentem, propenſúmque ad pietatem, ac religionem animum poſſent indicare. Atque hæc tot ſanctitatibus commendata, cumulatáque mulier poſtmodum eſt innumerorum manifeſta maleficiorum, ac flagitiorum in ignem Iudicis iuſta condemnatione coniecta. Pleræque omnes

4. Epiſt. ad Att. 11.

5. In Epiſt. ad Col. Cap. 11. verſ. 32.

eius criminis compertæ, quantum mihi ex earum confessionibus hactenus comprehendere licuit, sic ficta, dissimulatáque pietate sceleſtiſſimam vitam ſemper obtenderunt. Ipſe Satan, qui illarum princeps eſt, & caput; cùm primùm illas adoritur, in eum ſe habitum comparat, qui beneficium, ac ſalutare aliquid præ ſe ferat: vti ſuprà ſuo loco eſt demonſtratum. Et ſi id exemplis prætereà confirmandum venit, non ſit futurum laboris valde operoſi. Nam [6] & iam inde à mundi incunabulis Heuam ſub ſerpentis ſpecie blanda ſua oratione impulit, vt contra quam vetitum erat decerptum ex arbore ſcientiæ pomum deguſtaret. Degebat is tum, ait Ioſephus, cùm Adamo, eiúſque vxore perquàm familiariter. Et eius poſteà ex ære ſignum à Moſe [8] obiectum Hebræis, quod intuerentur, ſi vellent è dipſadum venenatis morſibus conualeſcere. Tum Epidauro Romam ſedandæ peſtilentiæ ergô Æſculapium ea ſpecie eſſe inuectum. Quę etiam Hieroglyphicorum interpretibus nõnullis [9], cauſa fuit vt ſerpentem pro ſalutari tum corporis, tum animæ ſymbolo vſurparent. Nequis mihi horrorem tam fœdæ, tetræq; beſtiæ hic obiiciat. Sed forte recentiora, ac expreſſiora magis iuuabunt. Refert D. Gregorius [10], cùm eum artes iam omnes deficerent, tandem monachali veſte indutum beato Equitio apparuiſſe, quòd ſcilicet ea morum, vitæq; ſanctitatem maiorem præ ſe ferret, quàm vulgaris, & plebeia. Sabellicus [11], & Platina [12] Cœleſtini pontificatu (hoc tempus ſcriptor Chronicorum mundi Maſſæus reiicit in annum CCCCXXVIII.) in Creta Moſis prophetarum vetuſtiſſi

6. Genes. III.

7. Antiquit. Iud. lib. 1. cap. 1.

8. Nume. XXI. verſ. 8. Et Ioan. cap. 3. verſ. 14.

9. Cælius Auguſt. Curio. li. II. comment. Hierog. cap. 1.

10. Dialog. lib. 1. cap. 4.

11. Ennead. VIII. li. I.

12. In Cœleſtino.

vetustissimi personam induisse, obuersatumq; ante oculos Iudæorum, qui in ea insula agitabant æuum, ac pollicitum se suo pede eos in terram promissionis esse reducturum: stantibus vtrinque aquis, vt in Erythręo olim mari cùm populus ex Ægypto eductus esset in murorum speciem constitissent; multósque istis pręstigijs temere assensos, ac pelagus ingressos marinis fluctibus fuisse obrutos; præter admodum paucos, qui tum demum vanitatis suæ admoniti ad Christi opem confugerunt. Idem quoque (inquit Seuerus Sulpitius[13]) D. Martinum Turonēsem Episcopum ludificare aliquando conatus est diadematis aurei, vestísque purpureæ pompa, quasi is Christus esset ad iudicandum mundum cœlo delapsus. Sed cùm nihil promouisset, aufugit, nihil ibi suum relinquens, præter intolerabilem, qui eius præsentiā testaretur, fœtorem. Τριάδα ὁμοούσιον, καὶ ἰσότιμον augustè, sanctéque colit, ac veneratur vniuersa Christianorum ecclesia: veluti non tantùm euangelij indubitato testatam elogio, sed & Mosaicis mysterijs longè antè prænūtiatam, quibúsque imbutum Mercurium Trismegistū probabile est in Pimandra dixisse, quod mens Deus cum verbo suo mentem alteram opificem pepererit. Tantæ maiestatis gloriam affectans Dæmon Præmonstratensis cœnobij cuidam monacho triceps An. M. C. XXI. apparuit, conatúsque est persuadere se illud trinum numen esse (& certe τρίμορφος Ἑκάτη is erat) in cuius ille contemplatione animum adeò defixum haberet, seséque ob insigne meritum, ac pietatis cultum eximium ei in conspectum dare, quo præsens adorare posset. Verū monachus

13. *In D. Martini vita.*

dolum facilè olfaciens, cum multo clamore, ac conuicio acceptum à se tandem repulit, ac fugauit. Nec tantum sic se honesta, ac speciosa aliqua persona Dæmon laruatum infert, vt fucum faciat: nam debile, ac vanum sæpenumero est, quod ex habitu ducitur de morum, vitæq; integritate argumentum; siquidem vestis (quod aiunt) monachum non facit, multáque ore, ac corpore significantur, à quibus vita est alienissima: sed & frequens est illi oratio de vita ad pietatem, religionem, ac sanctitatem informanda. Imo sæpè nisi harum diserta pactione negat se vllum fœdus, societatémque posse inire. Et hæc illi quoque iam vetus techna est. Nam & olim Pythias, Vestalésque in perpetua virginitate manere oportebat: vt nunc nisi virgines, & malitiæ hominum per ætatem adhuc expertes diuinationibus quibusdam apti, atque idonei esse non possunt.

Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
Retulit è triuiis omnia certa puer [14].

14. Tibullus.

15. In Libr. de cohibē. iracun.

16. Philost. in eius vita Lib. II. ca. 14.

17. Libr. XI. De asi. aureo.

Et sacra nonnulla fuere, veluti quæ Plutarchus [15] Nephalia, aut Melisponda appellat, in quibus vinum attingere, aut luxui indulgere summum erat nefas. Apollonius [16] quoque de Amphiarai responsis apud Phiaortem verba faciens, refert eos, qui illa accipere volebant integrum diem à cibo; à vino autem triduo iussos ab eius sacerdotibus fuisse, vt abstinerent. Et Lucius ille [17] apud Apuleium Osiridis sacris initiandus in numerum Pastophororum à Mithra sacerdote, præcipuè iussus est, decem continuis diebus cibariam voluptatem coërcere: nullum animal esse: inuinium esse. Hac adeo

de re

de re memini me audire à Melchiore Ertico serenissimi Ducis nostri dum viuebat, à secretis, & consilijs interioribus non illepidam narrationē, quam eo etiam confidentius hîc exponam, quòd is de quo ea est instituta veram ipse addubitanti mihi posteà affirmauit. Theodorus Mallotius (is propræturam in Vasti regni prouincia, quæ ditionis est Lotharingicæ senex obtinuit) cùm adhuc iuuenis amplissima familia natam adolescentulam in matrimonium deperiret: & illi eius potiundę spes omnis esset abscissa, atque erepta (nā & fortuna egens, atque humilis & famulatus mercenaria conditione, in qua tum erat, ignobilis, & despicatus nullam ne detegendi quidem amoris sui honestam satis rationem videbat:) Ergo vt desperatis rebus, & ipsam se iam deserente expectatione homines ad quodlibet consilium se facilè conuertunt, ac nullo delectu fugiēda, sequendáue amplectuntur: Maillotius conseruum ex Germania, cui audiuerat Dæmonem esse ad quæcūque obsequia paratissimum, adit: huicque ægritudinem suam aperit: rogans, vt si quod ei remedium afferre posset, id ne grauatè faceret, ingrato enim non iri locatum beneficium. Hanc Germanus occasionem libens arripit, vt cui se ex pacto intra dies paucos necesse erat, vel se suo Dæmone liberare, atque expedire adducto alio, qui istud, ceu æs alienum in se transcriberet, vel ab eo obtorta ceruice necari, atque interfici (siquidem hęc ei pacto lex addita fuerat.) Agendo igitur illi negotio, consequentis diei diluculum in clauso, ac recondito quodam conclaui condicit: vbi vixdum se stiterant, cùm repente

patefa

patefactis foribus se infert lepida, ac liberali forma, puella (hoc habitu Dæmon primùm se ostendere volebat, ne Maillotius ad formidabilem eius aspectum exhorresceretc) ámque se esse prædicat, quæ illi nuptias quas tantopere ambiebat, faciles esset confectura, modò vellet in ijs, quæ erat præceptura, obsequi. Ac illo auidè, attentéque expectanti, quænam eius esset sententia: in primis cœpit edicere vt furtis, crapula, libidinibus, iniuria, blasphemijs, cæterísque, quæ animum inquinant, vitijs, temperaret: pietatem coleret: inopes facultatibus subleuaret: seipsum in hebdomada bis ieiunio maceraret: solennes, ac quotidianas precationes ne intermitteret: eáque sedulò obiret omnia, quæ Christianum hominem decet, atque æquum est facere. Istis enim omnibus si se vellet nuncupatis verbis obstringere, futurum vt optatis thalamis sine difficultate vlla potiretur. Hæcq; sic elocuta, ac constituto, intra quem responsum auferret, die, se foras eiecit. Maillotius qui videret tam sanctis, atque honestis conditionibus tantum sibi beneficium obtendi, iam nihil cunctandum putabat, quin id gratus, ac lubens acciperet. Sed dum magis, magísque in eam rem cogitationem intendit, atque huc illuc variè inter spem, metúmque impellitur: ex eius vultu domesticus quidam sacerdos coniiciens, aliquid subesse, quo sic distraheretur, eum blandè adortus, ac quid animo volutaret, expiscatus monitis suis peruicit, ne amplius ad vllum cum Dæmone colloquium descenderet. Sícque frustratus sua expectatione Germanus, non longè abijt, quin ex pacti formula pœnas penderet. Nam

ret. Nam non adeò multis post diebus ex quo plana, atque aperta via decidens, inque caput proruens exanimis momento repertus est. Idem Nicoleæ Albericæ Energumenæ Laudunensi euenisse memorat, qui eius historiam nuper descripsit: scilicet eius, qui atri hominis specie illi obuersabatur, Dæmonis non alium apud eam fuisse sermonem, quàm de sanctimonia, de pudore, de religione, ac sacrorum studio: ad hæcq; cùm primùm illam adortus est præcipuè, atque ante omnia fuisse cohortatum. Quid quod Christum, qui est piorum omnium exemplar tentaturus Ecclesiasten egit, & scripturæ testimonium laudauit: imo adorauit coram eo procidens, atque inquiens: Tu es Filius Dei [18]: simili arte, ac versutia, qua eius Apostolum Paulum [19] seruum Dei, ac verba salutis annuntiantiantem vniuerso populo audiente prędicauit, cùm è ventriloqua fœmina verba faceret. Quorsum enim hæc, nisi vt Euangelij præconem ageret, ac interim litum (quod aiunt) melle gladium offerret, veritatem mendacissimo ore proferens, & luci clarissimæ caliginem, ac densissimas tenebras offundens? Quæ etiam causa fuit, vt illum Christus tunc compescuerit, ac tacere iusserit. Paulus verò nihilominus eiecerit, ex eo quod is tum obsidebat corpore. In quo versutissimi Dæmonis calliditas animaduertenda venit, qui sic ementita tessera castra Christianorum ingreditur, ingressúsque suis ipsorum armis illos confodit, ac trucidat. Nam etsi Euangelicæ doctrinæ pleraque sunt hæc omnia: quoniam tamen ab eo veluti manu capiuntur cui parere, in re etiam religiosissima, summa est impie-

18. Marci cap. 3. vers. 13.

19. Act. XVI. versu 17.

tas: idcirco cauenda sunt diligenter, atque fugienda. Habent enim (quod ait Irenæus [20]) lacti gypsum immixtum. Et quemadmodum Heraclęæ in Ponto memoratur fuisse mel suauissimum, quod tamen qui edisset, illico in terram deiiciens se, ac miris modis conflictans interiret: sic nemini dubium esse debet, quin præsentissimam perniciem afferant tam salutaria in speciem monita, elogia, atque exempla, si quis nimium credulus se ijs duci, ac permoueri sinat. Nam cùm obedientia principium sit, & caput cultus Dei, cuius affectator est in primis Satan rem suam tum strenuissimè gessisse se putat, si ad eam homines quauis ratione adduxerit. Ac quemadmodum qui auibus insidiantur, solent eas aliarum, quas ad id edoctas habent, cantu in tendiculas, laqueósque inducere: sic is pietatem, religionem, sanctitatémque nusquam non in ore suorum habet, dum eorum verbis insidiosis in gurgitem, voraginémque omnium scelerum, atque impietatum, quos semel appetiuit depresserit, ac demerserit. Iam quod attinet ad commentitiæ sapientiæ membrum tertium, scilicet proprij corporis lanienam, qua olim Donatistæ, hodie Anabaptistæ, ac nihili quidam homines in seipsos, ad ostentationem magis affectatę sanctimonię, quàm ad vllius disciplinæ, ac macerationis Christianæ vsum, atque exercitationem desæuiunt: hoc quidem manifestum carnificis Satanæ inuentum est. Quotus quisque enim nostrum est, qui hoc sic instrui non putet magis illi, vt hominum oculis inseruiant, ac (quod ait Comicus ille) populum studio stupidum in funambulo occupent, quàm vt pietatem

20. Lib. III. cap. 19.

pietatem ex animo colant, Deóque, qui theatrum suum habet in latebris, verè se mœrentes demissos, atque afflictos ostendant. Ne tubis canatur ante vos (inquit Christus) quemadmodum hypocritæ faciunt in synagogis, & vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, habent mercedem suam. Hoc adeò ab hominibus nulla alioqui veræ religionis opinione imbutis sic damnatum, olim fuit; vt id etiam inter maximas mortalium delirationes enumerauerint. Apuleij[21] de ea re elogium in promptu est, quod hic totidem verbis propter eius antiquam elegantiam, ac bracteati, floridíque styli rarum nitorem ascribam. Arrepto (inquit) flagro, quod semiuiris illis (sacerdotes Deæ Syriæ intelligit) proprium gestamen est, contortis tænijs lanosi velleris prolixè fimbriatum, & multiiugis talis ouium tesselatum indidem sese multinodis commulcat ictibus, mira contra plagarum dolores præsumptione munitos: Cerneres profectu gladiorum, ictúque flagrorum solum spurcitie sanguinis effæminati madescere: ac vbi tandem fatigati; vel certè suo laniatu satiati pausam carnificinæ dedere, stipes æreas, imo verò, & argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recipere patulo: necnon & vini cadum, & lactem, & caseos, & farris, & siliginis aliquid. Superioribus annis Mirecuriam (quæ sedes est, & caput prouinciæ Vogesorum amplissimæ, in qua etiam per annos aliquot propræses fui) appulit circumforaneus quidam, solitus sub pœnitentis nomine prouincias peragrare, ac pecunias, aliásque res, quæ ad vitam conducerent, corradere. Is frequenti æde, qualis esse solet diebus

21. *Lib.* VIII. *De Asino aureo.*

Dominicis ad aram maiorē primùm quidem procumbebat nudus vmbilico tenus: ac manu vna silicem, altera scuticam gestans, illo pectus crudeliter contundere, hac tergum miserè dilacerare non cessabat: idem quoque factitans in supplicationibus publicis, ac sacrorum pompa, si quæ forte solennibus illis diebus ducebatur. Tum plebs illius primùm misereścere, ac quid de se tantum meruisset mirari: deinde certatim pecunias in eum conferre. Sed is eo quæstu auctus vberrimo in nosocomium hilaris se recipiebat: ibíque notis fomentis primùm curato corpore, ac ad futuras plagas etiam indurato, atque obfirmato, cibis, ac vino se intantùm ingurgitabat, vt eas etiam, à quibus hospitaliter erat receptus, non parceret amaris, petulantibúsque, sępè etiam obscœnis, ac turpibus dictis incessere. Cuius rei fama cùm ad vrbani *Iudicis* aures tandem peruenisset, accersitum hominem, in carcerem coniectum, & seriò rogatum, quid causæ esset, quòd sic se præter modum affligeret, impulit fateri, non id se facere, quo admissum aliquod facinus expiaret, vti antè simulauerat: sed magis, vt populi misericordiam concitaret, ab eóque stipem facilius, & largius exprimeret. Cæterùm non tanti sibi esse doloris illa verbera, quanti aspicientium opinione putarentur: tum quòd ad ea pridem vsu occaluisset: tum quod herbis vteretur, quæ membris stuporem inducerent, sensúmque ijs ad tempus minuerent. Quare intellecta Nanceianorum Duumuirûm iudicio, quo sontium omnium quos habet Lotharingia pœnæ censentur, per compita virgis, sed egregiè cęsus est, tum alterum humerum

ferro

ferro candenti inustus, ac relegatus. Hunc sic se inter sacra excarnificandi morem, olim Ægyptios vsurpasse author est Herodotus in Euterpe. Gallos Idææ matris sacerdotes idem fecisse scribit Ouidius:

Attonitusque seces, vt quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios vilia membra modos.

Et,

Cadunt iactatis vilia membra modis.

Apud Horatium quoque [22]: 22. Lib. II. Satyr. 3.

Gaudet Bellona cruentis.

Quod scilicet sacrorum eius cultores (Bellonarios Vlpianus [23] vocat) sibi lacertos districtis gladijs cruentarent: Quod & meminit Martialis [24], 23. Lib. VII. de off. Procons. 24. Lib. XI.

Alba nimis sæuis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios Enthea turba modos.

Et tetigit alicubi Plinius [25]. sed & derisos à Xenocrate Physico recitat Alexander ab Alexādro [26], quod vt aiebat, non esset lugendum, si Deos esse crederent, quibus sacra faciebant: aut non sacrificandum, si homines. Quæ & Labeonis Antistij sententia fuit: numina bona (inquit D. Augustinus [27]) à malis cultus diuersitate distinguentis quod hi cædibus, ac supplicijs, illi lætis obsequijs (qualia sunt conuiuia, ac lectisternia) propitiari velint. Quod ego sic dictum velim, non vt Christi regnum in delitiis, ac voluptate statuere me quisquam putet, qui sciam eius militiæ certissimam tesseram esse crucem: sed vt intelligant homines, non esse ex istiusmodi lanienis, ac cruciamentis omnino æstimandam pietatem; vti eorum plerique nunc facere solent: Et Diabolus ipse non alia re frequentius 25. Lib. XI. cap. 49. 26. Genial. dier. lib. IIII. cap. 17. 27. Lib. II. de ciuit. Dei.

ſcenam ſuam inſtruit. Nimirum quia Chriſtianos videt ſe ieiunio, vigilijs, ſolitudine, laboribus macerare, ac conficere, dum carnem ſuam ſubigunt, dum admiſſorum pœnas volentes luunt, dum ſe ad preces, ſanctáſque meditationes comparant, atque inſtruunt. Quod is ſæpè exemplum per ſummam malitiam accipit, augétque adeò effero illo laniatu: quaſi tanto magis colatur pietas, quanto in corpus ſæuietur acerbius, atque inhumanius, vt eſt eius ars, & verſutia. Veluti cùm ſanctiſſima etiam quæque immoderato, inconſultóque vſu deprauat, fœdat, ac diſtorquet: nam hic alioqui veram, ſynceràmque Chriſtianorum diſciplinã conuellere non eſt animus, & ſi quæ Eccleſiæ iudicio cõprobatur.

Dæmonum illuiem ſummam demonſtrare, tum quæ eorum præſentiam ſemper comitatur odoris fœditatem, tum quæ de vitanda munditie adeò accuratè ſuis præcipiunt: maximéque in manibus, quarum lauationem aiunt faſcinationibus obeſſe: quomodoque id ſit accipiendum.

CAPVT. X.

1. D. Gregor. in Memor. Matth. cap. 12. Marci. 1. ac. 5. Iob. 40.

BEemoth, ideſt animal impurum, ac ſpiritum immũdum paſſim literæ ſacræ [1] appellant Diabolum. Idq; adeò nomen non modò in illum conuenire putandum eſt, quòd ingenio, ac moribus ſit impuris, vt eius omnes actiones, ac ſtudia demonſtrant: ſed etiam quia ſordibus, atque immunditia exteriore impenſius delectatur. Nam & illi in cadaueribus frequens eſt commoratio: & ſi quando

quando viuens corpus occupat, vel etiam id ſibi ex aëre, concretiſue vaporibus informat, præſentiam in eo ſuam ſemper inſigni aliquo fœtore teſtatur: imo & in illis partibus receptum frequentius habet: quæ vti in naui ſentina, corporis ſordes, excrementáque accipiunt. Vnde & ἐγγαστρίμυθος γυνὴ in Biblijs dicitur, quæ Pythonem habet in ventre, quam Gratianus in decretis ventriloquam vertit. Munera quoque illi eſſe ſolent è fimo, & ſtercore, epulæ è morticinis pecudibus: Ac vt eſt in prouerbio ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται, taléſque vulgo ſunt pediſſequæ, quales & heræ, vt plerumque mulieres ætatis ſordibus obſoletas, fortunarúmque tenuitate viles, ac ſqualidas pro miniſtris habet: quas præterea, quaſi naturæ vitium minus in hoc eius deſiderium expleat, edoctas habet ad ſordes, atque immunditiam. Hæcq; ob id præcipua cautio eſt, nè manè ſolito aliorum hominum more manus ſuas abluant: quod ea res faſcinationibus ſuis (vt ait) indubitatio occurrat: ſeu ab ipſis ſagis proficiſcatur, ideſt ſuas ipſæ lauent manus: vti
Alexia Gallæa [2] Betuncuriana, innumeræq; aliæ, 2. Mirecuriæ.
quarum nomina nunc non ſuppetunt, quæſtori- VII. Id. De-
bus ſuis vltrò recitauerunt: ſeu ab illis, quos vene- cem. 1584.
ficiis ſuis deſtinauerunt perdere: ſicuti retulerunt 3. Mizilaij. V.
Claudia Fellæa [3], Catharina Latomia [4]: quarum hæc Id. Non. Fe-
Dominicam Durantiam infenſe ſeruabat, quod bru. 1587.
eaſdem vnà ambirent nuptias: illa, alieniſſimo ani- 4. Harecuriæ
mo erat in Malurticam quendam, propter penè III. Non.
quotidianas rixas, & contentiones, vt inter vicinos Febr. 1587.
aſſolet, neutra tamen iniuriam vlciſci faſcinatione aut veneno potuit: quòd eſſent illi ab earum inſidiis

diis tuti isto lotarum manuum præsidio. Sebastiana Maxentia 5, Ioanna Nigra 6, Ioanna Vlderica 7, & Francisca Perina 8 affirmant eam lauationem certò proficere contra malas incantantium artes, si domo quis pedem efferens se prçterea in Dei tutelam, prç sidiúmque supplicibus verbis committat. Idq; se à Magistello suo Iolieto ita inaudiuisse memorat Nigra illa: dum scilicet cum illo de hoc expostularet, quòd in Nicolai Tonsi vxorem venena sua tam sæpè incassum sparsisset: quæ tamen multi alij præsentissima sensissent. Hoc etiam sibi moram, impedimentúmque semper attulisse Vlderica illa recitauit, quoties maritum fascinatione parauisset tollere. Parauerat autem sæpissimè, propter iniucundissimam, ingratissimámque lecti consuetudinem. Nuper etiam Mugeta 9 iamiam in ignem imponenda, ac vltimùm cum marito prandens placidè eum multis audientibus monebat, ne insalutato numine, illotísque manibus manè domo pedem efferret, si se à sagarum insidijs tutum cuperet, ac securum. Quomodo verò rei adeò leuis, atque exiguæ vires tantæ esse possint, aut quare ea corporis pars sua munditie in hoc cæteris prçstet, non est facile coniectari: Nisi si hoc impostor ille prçtextu solerter aliud tegit, pérque ambages, atque inuolucra nobis suam vult sententiam ostendere. Vti alibi illum fecisse obseruauit ex Vviero Ioan. Bodinus, eo videlicet loco, vbi memoratur apud sagam quamdam obnixè egisse veteres calceos diligenter vt asseruaret, quòd eos prçsidio illi futuros esse diceret, aduersus maleuolç alterius sagç impendentes insidias. Nam dubium non est, quin ea ratione

5. Leberij. VII. Id. Apri. 1588.

6. Leberij. V. Cal. April. 1588.

7. Lanfracuriæ. VII. Id. Maij. 1588.

8. Baijs. IIII. Non. Iun. 1588.

9. Essæij. X. Cal. Iul. 1591.

monitam voluerit, vt in peccatorum cæno volutari perstaret, quæ vtique homini sunt instar calceorum lutosorum. Quo sensu Philo Iudæus intelligendum putat, quod Deus Mosi præcipit, vt calceos ad se accessurus deponeret. Et certè Ægyptij 10. Orus Apollo sacrar. sculpturarum lib. I.
10 puritatem denotantes aquam pingebant; quòd eo elemento lustratio, atque expiatio optimè fieri crederetur. Et frequens eius vsus fuit in gentilium sacris, ac litationibus:

Tu genitor cape sacra manu, patriósque penates: 11 — 11. Aeneid. VII.
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Et 12

Dic corpus properet fluuiali aspergere lympha. — 12. Aeneid. IIII.

Et 13

Corúpsque recenti — 13. Aeneid. VI.
Spargit aqua.

Et apud Horatium 14 à Diis immortalitatem poscens ille compita circum, lautis manè senex manibus currebat. Hesiodus quoque in operibus, & diebus, vetat manè litari vinum Ioui, vel etiam quemquã ingredi amnem, aut fontem χερσὶν ἀνίπτοις. Thelemachus etiam Palladi apud Homerum supplicaturus marina aqua manus abluebat. Dei item lege eiusmodi externa per aquam mundities sæpè in veteri testamento commendatur, præsertímque in manibus, vti Iudæorum more frequentatum legimus 15, qui vitula facientes super eam mactatam manus suas abluebant. Sunt enim puræ manus, quales ad Deum 16 semper tolli oportet, puti cordis indices. Et prouerbio vsurpatur, manus lauare,

14. Satyrarum lib. II.
15. Deuteron. XXI.
16. I. ad Timoth. cap. 2.

pro innoxium se ostendere. Qui etiam symbolo innocentiam suam Pilatus publicè testari voluit [17].
17. Matth. XXVII.
Et contrà, Iudæi discipulis Christi calumniam intentarunt, quod illotis manibus ad epulas accederent. Quem nescio morem an vitandi offendiculi causa, post eum passum Diuus Petrus [18] immutarit: nam nisi lotum raro eum accubuisse Diuus Clemens eius familiaris, & quotidianus penè conuictor scriptum reliquit. [19]

18. Matth. XV.

19. Pierius Valer. Hieroglyph. XXI. cap. 33.

Sortilegos, quod olim pagana fecisse dicitur antiquitas, Dæmonibus suis annuatim quid pẽdere, quo vel plagarũ metum, vel earum, quibus ex pacto obnoxij sunt, præstationum vacationem redimant. Tum id quod sic penditur, si animal est, vt nigri coloris planè esse oporteat.

Cap. XI.

QVemadmodum solent domini rerum suarum nexum, mancipiúmque annuis vel operarum vel pensionum præstationibus apud eos asserere, quibus illas olim vtendas, fruendásve concesserũt: ita Diabolus sedulò hoc agit, vt quæ in seruitutis, cùm eam imponeret, lege dicta sunt, ac pacto promissa, ea à suis acerbissimè vbi dies venit, exigat: maximeq; si causam habẽt ab alicuius muneris excusatione: veluti cùm à nocturnis comessationibus ac tripudiis, aut re quapiam alia simili, vacationem impetrant. Quod Dominica Zabella [1] retulit solitum præsertim frequentari à locupletioribus: quorum permultos vidisse se ait, qui non modò Magistellorum suorum gratiam, vel etiam plagarum

1. Rogeuillæ in agro Tentrao. 1583.

metum

metum, si quid fortè minus ex earum sententia admisissent bucculo, veruece, aut re quauis alia (quod vsitatissimum habent) redimerent, ac luerent: sed & istum non sistendi se condictis loco, temporéque licentiam, ac libertatem. Id confirmat Desiderij Financij [2] Mandrensis spontanea de se confessio, inquientis stato anni die, qui circa ortum Caniculæ recurrebat, sero iam vesperè, ac designato super Hupellam, qui mons in Vogesis perarduus est, loco sibi necesse fuisse tale aliquid Magistello suo pendere: ídque adeò nisi planè nigrum gratum non habuisse. Quem illum colorem non nunc primùm affectare clamant omnes Historiæ: Nam & olim [3], cùm sub Mopsi nomine oracula reddebat, & per literas à Proconsule quodam Asiæ rogatus esset album, an atrum vitulum mallet sibi litari; atrum respondit. Hunc verò fuisse morem consulendorum Dæmonum per chartas conscriptas, ceráque obsignatas istud Iuuenalis indicat:

Propter quod fas est genua incerare Deorum.

Et Diti, Diisq; Manibus [4] nisi atras victimas cędere Pōtificū quos cæca habuit antiquitas scita vetuere.

Scabere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam.

Nimirum cùm is color (vt inquiebat Pythagoras) ad mali naturam pertineat: consentaneum est eius esse illa quę malorum omnium authori, atque hortatori dicantur, ac deuouentur. Beatrix Baonensis [5] addidit ne tenuiores quidem (cuius generis ea colluuies ferè omnes habet) illarum præstationum immunes esse [6]: sed quemque pro sua facultate, quod maximè in prōptu habet, quasi symbolum dare, ac

2. *Sā Deodati pridie Id. Iul. 1581.*

3. *Plutarch. de oracul. defectu.*

4. *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. III. cap. 22.*

5. *Gerbeuillai, Nonis Aug. 1585.*

6. *Mediomonastery 13. Cal. Mart. 1589.*

conferre. Alios quidem gallinaceos pullos, vel gallinas ipsas: quod se fecisse Desideria Pariensis 7, & Cathelonia Vincentia [8] affirmauerunt. Alios demptos è capite suo crines, festucam, auiculas, aut leuidense aliquod munus, veluti è bubulo corio monetam: quæ si nec suppetit ab ipsis Dæmonibus ante accipitur: satísque esse (vt se sæpè à suo Magistello intellexisse memorauit Ioannes Piscator [9]) si ad id afferant mentem pronam, ac religiosam. Quod si quis facere recusat, vel etiam negligit: præsto sunt illi minæ, verbera, morbi, liberorum neces, rei familiaris damnum, ac detrimentum aliquod insigne. Quorum metu dici nequit, quàm prompta sit illis in istiusmodi promissis persoluẽdi celeritas: adeò pauor, & formido diligentiam, studiúmque excitant. Et hic quidem iam olim veterum pectus pupugit aculeus: hæc eorum mentes contaminauit labefactauítque persuasio, nullis etiam istiusmodi legibus, ac conditionibus antè obstrictos [10]. Nam & in palatio Romæ vetus stetit ara febris: exquiliis quoque altera malæ fortunæ, detestatæq́. Orbone etiam ad ædem larium Prostuertæ, Prosæ, Timoris, Palloris, Auerrunci, Robigi, noxiorúmque aliorum Deorum, quos vno nomine Veioues appellare possis, celeberrima in aliis Romæ regionibus fuere delubra: vbi ne obessent, néve incõmodi aliquid offerrent, donariis colebantur. Quæ & per Græcos, aliásque gentes latè fusa ante fuerat superstitio. Siquidem Athenienses contumeliæ, atque impudentiæ, ne ijs afficerentur: Bœotij, Appollini Pornopioni, ne muribus prouincia infestaretur: Oetæi, Herculi Conopio, ne culicibus diuexarentur: Rhodij

7. In Stiuensi territorio V. Cal. Decemb. 1589.

8. Catharina Prauotia & Apollonia in Freissen. IIII. Non. Septemb. 1589.

9. Maynerij IIII. Non. Maias. 1585.

10. Cicero lib. II. de legib.

11. Plinius lib. II. cap. 7. Alex. ab Alex. lib. I. cap. 13. Volater. Philol. lib. XXIX. cap. de celebr. Sacro.

dij, Apollini Erythibio, ne rubigine segetes læderentur: Gades, Paupertati, ac Senectæ ne ea duriùs premerentur, sacra religiosissimè faciebant. Atque vtinam ne ad hæc nostra tempora tam fanaticus, profanúsque dimanasset error: tanta non deprauasset cultus ritúsque diuinos dementia: sed considerarent homines (vt olim rectè monuit Cicero) ceremonias, religionésque in Deum non metu, non pacto, non pretio tantùm; sed ea coniunctione quæ est homini cum Deo, precipuè esse conseruandas; sanctitate videlicet, ac pietate: quę maximè placatum Deum efficiunt, eiúsque tabernaculum cum hominibus firmant ac stabiliunt.

Compositum ius fásque animi, sanctique recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto [12].

Nam sola donariorum istis neglectis, grassari ad Dei opem misericordiámque via religionis manifestum est ludibrium. 12. Pers. Satyr. II.

Hæc cedo vt admoueam templis, & farre litabo [13].
Immunis aram si tetigit manus,
Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.

13. Hora. Car. lib. III. Ode. 23

Vt hic omittam dicere, quod quidam nuncupatis votis à cœlitibus vulgo, & palàm, quæ cupiunt, contendunt.

Rem struere exoptas cæso boue, Mercuriúmque
Arcessis fibra: da fortunare penates;
Da pecus, & gregibus fœtum.

quæ timent deprecantur:

Vota metu duplicant matres, propiúsque periclo
It timor.

14. VIII. Aeneid.

Imo in eos probra, contumeliásque indignabundi

sæpè ingerunt, hac fiducia, quod oblatis postmodum donariis, pacatos, facilésque eos sint habituri. Vti aliquando Italum aleatorem fecisse rumor est: qui cùm eos, quòd dánosiore alea luderet, omnes excepto vno Diuo Antonio, maledictis incessiuisset (periculum enim non leue sibi esse putabat ab eius igne sacro) ac postridie eas blasphemias luiturus cereis candelis singulos supplex donasset, consultò Diui Antonij aram præteriisse dicitur, inquiens: Insane merito, tu nulla à me lacessitus fuisti iniuria, nullo etiam dono nunc placaberis. Verùm hîc forsan præstat tacere, quàm parum opportunè Ecclesiasten agere: maximè cùm hæc satis sine præcone suam impietatem loquantur, ac prædicent. Hoc modo satis erit ostendisse,

12. Pers. Satyr. 11.

Dæmonas accepto placari munere quouis,
Si deuota modo mens est, & conscia praui.

13. Hora. Car. lib. III Ode. 23

Sagas ad Sabatharios suos conuentus auolaturas maritorum Zelotypiam fallere, illis in arctiorem somnum, per incantationem inductis: vel etiam supposita, quæ earum speciem habeat, re aliqua.

CAP. XII.

CVM hæc scriberem, venere mihi in manus rearum quarundam percontationes è Forbachio (quod municipium est ditionis Lotharingicæ in Germania citeriore) è quibus, quod adhuc non feceram, didici auolaturas è lecto geniali veneficas ad conciliabula sua solere, ne quid quotidianæ, ac nocturnæ consuetudinis desideretur

14. VIII. Aeneid.

maritis,

maritis, vel somnum per incantationem concilia-re, è quo ij non possint facilè excitari: vel personas quasdam iam dormientibus adumbrare, atque ad-iungere, quas si cõtingeret interea expergisci, suas vxores esse putarent. Bertranda Tonstrix [1] id se sæpè fecisse prodidit: atque ad sopiendum tali somno maritum, sæpenumero illi aurem vellicasse, dextra manu eo prius illita vnguine, quo viam ad eiusmodi conuentus affectans solebat seipsa inungere. Eller vxor Decani in Ottingen [2], infantis culcitram: Sichen May à Speirchen, scopas sup-posuisse se memorauerunt, postquam essent nomen sui dæmonis præfatæ: Sicque maritis fucum sæpè fecisse. Maria [3] vxor Ioannis Sartoris in Metzer Esch, stramentorum fascem veluti vnguine infuscatum, qui, statim atque ipsa domum esset re-uersa, euanesceret. Catharina Ruffa ipsum Dæmonem sua accubatione eiusmodi vices aliquando gessisse declarauit.

1. Forpachij, Calend. Septem. 1587.

2. Eodem loco, & die.

3. Homburgi, Nonis Iunij. 1590.

Multa esse, quæ Dæmones grauiter & seuerè in sagas animaduertant: nocturnorum conuentuum desertionem, morborum se inconsultis sanationem, iniuriæ concessionem, innocentiam, contumaciam, à malè agendo dehortationem, criminis apud Iudicem agnitionem, irritam insidiarum molitionem, atque eius generis alia quamplurima; quæ vel atrocissimis verberibus illis luere, vel damno aliquo rei propriæ grauiore pensare necesse est.

CAP. XIII.

OFfensio si quæ vnquam magna est & diuturna, certè ea est quæ ex inuidia contrahitur: cuius

cuius (vt inquit Cicero) motus longè omnium acerrimus est, ac pertinacissimus. Quæ si in homines conuenit ratio: quid in Satana valituram putamus, quem nihil æquè cruciat, ac solicitum habet, quàm quomodo feliciore conditione, quàm sua est, degentem hominem, noua semper aliqua calamitate, ac miseria afficiat, atque affligat? Vt iam mirum videri non debeat, si quos semel sibi obnoxios reddidit, atque obsequentes, tam duro habere solet imperio: tam aspere, atque inclementer tractare. Profectò hęc communis, perpetuáque eorum omnium querela est, illum nusquam non fingere causas, dum habeat quod culpæ, aut contumaciæ imputet, plectat, ac seuerissimè animaduertat. Et omnino nunquam cum illo, ne vnius quidem momenti pacem conuenire, ac constare. Cuninus Gugnotius 4, se quod ad indictos conuentus nunc tardius, nunc infrequentius accessisset, non semel illi vapulasse pene ad interitum recensuit. Rursus graues luisse pœnas, quòd filiam Dominici Raij, cui venenum eius hortatu fecerat, non petita venia, ad sanitatem ausus esset reducere. Metum præterea longè maximum sibi attulisse, cùm forte ab eo per aërem deportaretur, ac supra flumen Mosellam constitissent loco, vt sibi videbatur, vorticibus admodum horrendo: Nam de deiiciendo, ac mergendo non destitisse minas interponere, quoad fidem dedisset, se Desiderium Galerium 5, qui cum inimicitias habebat, veneno sublaturum. Quod & non multò pòst per maximas eius efflagitationes præstare coactus est. Iana Gerardina 6, Catharina Ruffa 7, & Francisca Fellæa innocentiæ suæ pœnas non

4. *Aucherij IIII. Non. Ianua. 1585.*

5. *Pangæij XI. Calen. Decemb. 1584.*

6. *Vellæij ad Mosellã V. Cal. Iulias. 1587.*

7. *Pangæij V. Id. Nouem. 1584.*

non ſemel dediſſe ſe affirmauerunt: ac tantas (ait Nicolæa Morelia[8]) vt intercepto, præ verberum atrocitate, ſpiritu, penè exanimaretur. Neque id mirum videri debere: ferreas enim (inquiebat) illi eſſe manus: quibus, ceu malleo, caput vniuſcuiuſque ſic contundit, vt attrectantibus exoſſatum videri poſſit. Alexia Belhoria[9], & Claudius Morelius[10] ſe id multoties cum ſuo magno malo expertos fuiſſe conqueſti ſunt. Nonnunquam & in os ſic vnguibus inuolat, vt id totum lacerum, ac dilaniatum ſępè relinquat: ſicuti Roſa Gerardina[11], commonſtratis adhuc veſtigijs, Iudici fecit manifeſtum. Cum eadem Belhoria multis egerat Dęmon, vt coniugem ſuum veneno perderet. Hoc cùm ea non ſuſtineret facere, præ amicitia; hanc ille dolens repulſam aquæ intercute ipſam afflixit: ex cuius tumoribus, cùm ſex integros menſes laboraſſet, non prius conualuit, quàm ſextarios fœditiſſimi humoris duodeuiginti, per imos pedes, facto vulnere eieciſſet. Margaretam Luodman[12] non ceſſabat quoque hortari, vt vicinæ mulieris buculam, quòd eius olera depaſta eſſet, ac tota vngulis obtriuiſſet, venenata potione, quam illi tunc in ligneo catillo porrigebat, necaret: ſed cùm id detrectaret facere, vt quæ metueret à muliere, quam alioqui perſpicaciſſimam nouerat, in facinore deprehendi: tandem vt ea ſe neceſſitate liberaret, ac aliqua ratione placatum Magiſtellum haberet, maluit vitulum, quem vnicum in ſtabulo alebat, illo ipſo veneno tollere. Proprij quoque iumenti damno, alieni, cui contra Magiſtelli mandàtum pepercerat, Bertrandæ Tõſtrici[13] neceſſe fuit ſalu-

8. Serræ XIIII. Calen. Februa. 1587.

9. Blainuillæ ad aquas Non. Febr. 1587.

10. Serræ III. Non. Decē. 1586.

11. In agro Stiuenſi, Nonis Nouemb. 1586.

12. Vergauillæ X. Cale. Februa. 1587.

13. Forpachÿ VI. Calend. Septe. 1587.

14. In Freissen v. Id. Augu\[st.\]1589.

tem luere. Apolloniam 14 Dęmon eò per summam importunitatē perpulerat, vt fidem daret nō prius quieturam esse, quàm damnum aliquod ingens familiæ Eysart municipis sui intulisset: quod promissum cùm tamen perficere non posset, illius vtique conatus prohibente Deo, in cuius tutelam, præsidiúmque Eysart se, suósque primo diei cuiusque diluculo commendare solebat: eò tandem redacta est, vt sibi necesse esset decennis filiæ (huic nomen fuit Eugel) parricidio, non impleti promissi vexationem à Dæmone redimere. Eamdem necandæ sobolis necessitatem & alius Dæmon Catharinæ

15. In Freissen IIII. Non. Septē. 1589.

Præuotię 15 attulit: Cùm enim eam forte libido incessisset perdendæ veneno filiolæ, quam vnicam Michaël Cocus eius vicinus sustulerat, atque id & sæpè, & frustra aggressa esset facere (nam eam mater quotidianis precationibus, lustrationibúsque contra malas incantantium artes munitam habebat) tandem vt hanc veluti prædæ frustrationem assiduè incusanti Dæmoni cumulatiorem etiam reponeret, quem in cunis adhuc habebat, infantem Odillum nomine immisericors mater veneno perdidit. Siquidem sagis hæc lex est perpetua, vt quod perperam in aliorum caput conantur, ac moliuntur, id in se admittere posteà cogantur: nec vnquam patitur Dæmon irrita apud eas esse sua consilia. Quod si incœptum est plurium, & contenditur in quam commune malum recidere debeat: res ad sortem reuocatur, vnáque ea cui eius luitio sortito obtigerit, pro omnibus noxam pendere cogitur: Vti à se, facinorísque socijs aliquando vsurpatum memorat eadem Præuotia. Cùm enim (inquiebat

quiebat illa) consilium vnà iniuissemus de fascinãdo sutoris Fressenij pecore, atque id nescio quo fato impeditæ nequiuissemus facere; patrandum nihilominus fuit aliquid, quo scilicet illi qui eam veluti prædam certus expectabat, aliqua ratione esset satisfactum. Sorte igitur experiri placuit in quam hæc faba cuderetur: ducta est: & in Agnetem Eysvvitz omnium nequissimam, flagitiosissimámque fœminam incidit: quæ nihil facti morata atrocitatem alacri animo præsentibus socijs viginti annorum filio, Petter nomine, medicatam potionem propinauit: vnde non multo post illi totum corpus prodigiosè distortum, deprauatúmque fuit. Hoc nimirum faciendum erat, aut à Dæmone, qui nihil vnquam condonat, morte etiam duriora pati. Talem siquidem contumaciam impune non tulit Balial Basolus [16]: Nam cùm eius mandatum de miscendo cuidam veneno, quem forte exosum habebat, neglexisset: tam duras in proprijs ędibus dedit: vt mallet (quantum inquiebat) alios similes cruciatus, si iterum essent ferendi, morte prę senti depascisci. Nec tulit etiam inultum Margareta illa, de qua modo mentio est habita: quod facinoris socias esset ab incœpto dehortata, cùm forte ad stagnum Vvapenbruch conuenissent, ac de more eius aquas, perdendis arborum fructibus, exagitarent: Id verò faciebat, quod meminisset se non semel earum pomis, & duram, & longam famem tolerasse: nam de hoc grauiter obiurgata, multis præterea verberibus castigata parum illud consultum non multo post luit consilium. Ioanna à Banno [17], cùm testium authoritate

16. Donibasoli ad San Nicolaũ IIII. & pridi. Non. Mart. 1587.

17. Mainerij III. Non. Ianu. 1586

obruta, tormentorúmque, quæ offerebantur, metu permota, Iudici omnes ſuas noxas, maleficiáque patefeciſſet, ac præterea eo verbis præeunte Dæmonem, cui ſe ipſa addixerat, perpetuum faceſſere iuſſiſſet, non multo pòſt ſolam in calcere repertam ſic is pugnis, calcibúſque conſcidit, vt illum ſibi poſtremum eſſe diem iam eſſe putaret. Sed commodùm interuenientes cuſtodiæ impedimento fuerunt, ne ſuam ille immanitatem, ac ſæuitiam longiùs exerceret. Certè illi totum tergum recentibus verberum veſtigijs adhuc fœdum erat, cùm hæc Quæſtori denarraret. Keluers Otilla [18] ob

18. Freſſenij VIII. Id. Aug. 1590.

eandem agniti criminis cauſam, tam duras Magiſtello ſuo in carcere dedit, vt ab ea editus præ intolerabili plagarum dolore clamor à Caſtellani domeſticis longiſſimè etiam exaudiretur. Ecce vt inclementiſſima, iniuſtiſſimáque ſemper eſt apud Diabolum ſeruitus, ijs etiam, qui ſe totos ad eius arbitrium comparauerunt: cùm contra Chriſtus iugum ſuum ſuaue, onúſque leue vbique prædicet, vltroq; hortetur ad illud ſubeundum, qui animabus ſuis requiem quærunt. Et certè contrariorum inſtitutorum, ac diſciplinarum fines, atque euentus decet eſſe contrarios. Lex Chriſti ſuprema, eſt charitas ex fide, nullámque, poſtquam nos in ſuam Eccleſiam conſtituit, ea ſanctiorem edixit, atque irrogauit. Mandatum nouum do vobis (inquit[19]) vt diligatis inuicē, ſicut dilexi vos. Rurſus,[20] in hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Hæc præcepta nullam in exequendo habent difficultatem, plena ſunt amoris, deliciarum, atque

19. Ioan. XIII. verſ. 37.
20. Ioan. XXXV. verſ. 35.

oblecta

oblectationis. Si minus est ijs obsecundatum, non illico Deus iram in contumaces euomit: sed lentus est ad pœnam, eíque etiam inuitus accingitur. Ac si quando tamen irroganda venit, moderata est, & semper salutaris: paterna, non dominica: punientis amorem, non vlciscentis, odium concilians. Diaboli contrà præcepta, ac monita quotidiana sunt de simultatibus, insidijs, crudelitate, cædibus, damnis, atque iniurijs [21]. Siquidem ipse ab initio homicida est, calumniator, prædator, vastator, insidiator, vexator, carnifex: Imo nihil adeò obnixè satagit, quàm vt suos, vti se, habeat in aliena calamitate, ac miseria assiduè occupatos. Si imperata abnuunt ac detrectant hoc, vt iam dictum est, illis superest, vt sæuissimis vel ad necem contundantur verberibus: sin exequuntur, hoc quoque sequitur, vt ipsi se continuis mœroribus, atque angoribus miserè implicent: veluti qui rerum trucium, acerbarúmque spectaculis, necessitate officij coacti contra innatam clementiam, intersunt. Tum misericordia, quàm primum innata humanitas etiamnum ingerit, deprehensionis metus, ac ex peccatorum conscientia timor nunquam pacatam, tranquillámque illis mentem esse sinunt: sed illos vndique premunt angustiæ, mala vrgent, sequuntur miseriæ, ac calamitates.

21. Ioan. VIII. Apocal. XII.

Veram, & præsentem sagarum ad nocturnas suas Synagogas sæpè esse profectionem, nonnunquam etiam vanam, & per insomnium tantùm conceptam, ac meditatam; recteque sentire, qui vtrumque defendunt. Tum vt diuersæ sint eius profectionis rationes, quibúsue noctibus sæpius fiant in Lotharingia.

CAP. XIIII.

RES est controuersa, & plena dissensionis, inter eos, qui hæc sagarum tractant portenta: eæ ne reuera ad illos, quos sic iactant Dæmonum conuentus auolent, ac præsentes ijs adsint; an tantùm occupata præstigijs phantasia, atque, (vt euenire solet, vbi

Exercent vanas nocturna insomnia mentes)

adesse sibi videantur. Et habet ea concertatio in vtramque partem exempla, rationésque, quibus contrariæ sententiæ probabiliter defendantur. Nã & certis authoribus [1] cõpertum habemus extitisse: quæ cùm domi, imò in eodem cum marito cubili, manifestè pernoctassent: recenserent tamen postero manè, ac confidenter dicerent multa ad eiusmodi conuentus pertinentia, quibus se superiore nocte interfuisse affirmarent. Alias item [2] (cùm eas necessarij, ac propinqui, quibus eius rei ex rumore iniecta erat suspicio, totas noctes consultò vnà cum vicinia obseruassent) visas quidem inter dormiendum commoueri vehementius, quasi qui ingenti aliquo dolore conflictantur; vel etiam in sedili, aut alia quapiam re equitare, vti qui viam admotis calcaribus accelerant: cæterùm non egredi domo; sed tantùm

1. *Fr. à Turella, & Io. Bodinus in Dæmonomania.*

2. *Olaus Magnus in Historia de gent. Septentr.*

tantùm experrectas lassitudinem præ se ferre: veluti qui peregre redeunt: ac miranda quæ sibi fecisse videbantur narrare: imò & illis irasci, ac succensere, qui fidem iis non adhiberent. Quæ res multos impulit, vt crederent hæc mera esse somniorum visa, quæ Dæmon in eorum animos immitteret, quos laqueis suis irretiuisset. Habétque ea opinio astipulatores magni nominis non paucos: nec vsqueadeo ab ea dissentientem Diuum Hieronymum [3], qui & Hebræi cuiusdam suæ ætatis sententiam in argumentum profert eleuantis, sed indignè authoritatem historiæ Abacuc ea solùm causa quòd Prophetæ gestationem, transuectionemq; per aëra, præter à natura constitutum ordinem cōtineat. Contrà non desunt & laudati authores [4], qui exemplis rationibúsque defendant eiusdem rei veritatem: Auditos enim qui eodem cum Strigibus vnguento perfricti, ac delibuti momento ad eiusmodi cœtus, vnà cum iis transferrentur: Vnde tamen redeuntibus emetienda esset via multorum dierum; cessante videlicèt carmine, & quod ait Apuleius [5], cæca numinum coactorum violentia. Auditos etiam [6], qui eò pedites profecti vnà cum liberis, quos animus erat in solenni conuentu deuouere, domum postea à Dæmone per aëra essent deportati. Hócque multorum verbis, ac testimonio constitisse, qui abeuntes in via essent allocuti, & multa nocte redeuntes offendissent attonitos, ac perplexè respondentes. Tum in ipso couentu collocutiones, quas deinde diuersi totidem verbis recenserent, qui interfuerant: laruarum, corticum, ac reticulorum, quæ quisque celandæ, tegendæq;

3. *In prologo in Daniel.*

4. *Apuleius, Vldericus Molitor, & Ioan Bodinus.*

5. *Libr. III. de Asino aureo.*

6. *Nicolaa Stephana Dom. Martini, mense Dec. 1587*

7. dæq; præsentiæ, vultui obduxisset: craterum 7, vestium, ac supellectilis, quæ vsui fuisset agnitiones: exauditi strepitus, ac clamores ab illis, qui armenta, pecorúmque greges in propinquo custodiebãt: suppositæ personæ, quæ absentium vxorum loco maritis accubarent: ac adeò tam multorum, qui in pestilentem eam societatem sunt asciti, consentiẽs, ac conspirans de iis omnibus oratio, ac testimoniũ: è quibus id quod sequitur, quia maximè proprium ad eam rem visum est, paulo amplioribus verbis placuit hîc commemorare. Lutzeij (qui vicus non ignobilis est in radicibus Vogesi montis) Maio mense anni M.C.LXXXIX. Paganalia à vicariis celebrabantur. Ex eo viro Claudius Chotæius in vicinum, cui nomen est Vvisembach, appetente nocte, redibat. Iámque eius montis, qui inter vtrumq; vicum assurgit, bonam partem conscenderat, cùm subito turbine correptus stetit, circunspectans attonitus, nuncubi rei adeò insolentis causa aliqua appareret. Nam cæterà tranquillissimus, quietissimúsque aër erat. Aduertit in secessu quodam (eum accolæ crepidinem Moreliam appellant) laruatas mulieres sex, instructam multò auro, atque argento mensam quamdam saltando circumeuntes: perindéque sua iactantes capita, ac qui intemperiis agitantur: tum iis astantem in nigro tauro hominem, qui eas vti otiosus aliquis in triuio spectabat. Ibi igitur constitit, tantisperdum se colligit, ac rem totam certiùs oculis agnoscit. Quod dum facit, momento turba illa disparuit, ac se ex eius aspectu subduxit. Amoto igitur eo metu se denuò viæ committit. Ac iam montis verticem superauerat, cùm

p. 47. legis Salic. Et Ioachi. Camer. in lib. de nat. Dæmo.

rat, cùm ecce eum mulieres illæ à tergo insequuntur, capita sua vt anteà iactantes, atque altum, ceu ex composito, silentium tenentes. Præibat homo atra facie, manibúsque in harpaginis speciem incuruis: quas etiam parabat illi in frontem immittere, nisi obstitisset, districto atque opposito ense; siquidem hoc facto insultare destitit, quasi de vita metuens, atque euanuit. In quo subit Platonis, Pselli, & quorundam Academicorum commentum asserentium Dæmones minas, verbera, sectiones, vulnera & timere, & pati, de quo nos alibi. Ostendunt se nihilominus iterum mulieres illæ, vnáque cum iis homo, quem modo dixi tauri sessorem, chorearúmque spectatorem: ad quem, iam factus confidentior Chotęius accessit propius, atque infit. Hem túne hic es mi Desideri Gaxete (id enim ei erat nomen) obsecro, si quid potes serua me: nam Pol fidem meam tibi astringo, me nihil eorum, quæ vidi equidem palàm esse facturum: Víxque hæc dixerat cùm turbo illum, ceu nebula, inuoluit denuò, sed eo demum euolutus, & liberatus, solum se in solo, ac longè à via dissito loco reperit: quàm tamen vestigando ad extremum nactus quàm festinantissimè potuit domum se recepit. Triduo post id testimonium ad aliud rursum à Iudice quæstionis vocatus, hoc ex abundanti superioribus addidit: recordari se cùm propius ad mensam accessisset, visurus & quibus epulis esset instructa, Dæmonem sibi è vestigio in os vnguibus inuolasse: ac dum se contrà ferro defenderet, inter hæc vehementiori vento iterum sublatum, atque ad Combrimontis cataractas, qui locus à priore non minus ducentos

passus aberat, fuisse deportatum. Quod ne quis deliramentum esse putet hominis non sobrij, & noctis, locique solitudine tum forte exterriti: id etiam

8. Sandeodati XI. Calen. Iun. 1589.

Barbelina Gaxeta [8] è mulieribus illis vna superiore mense totidem fere verbis apud quæsitorem recitauerat: hoc adiiciens, tritici heminas duas, caseósque bubulos totidem Chotæio illi à Desiderio Gaxeto, eiúsque vxore dono datos quo cælatum haberet, quod sic viderat. Qua de re coràm compositi conuenerunt per omnia: extra hoc vnum quod Barbelina diceret non esse in Chotæium à Dæmone intentatas manus, quia sic se mensę propinquum intulisset, vt is elogio suo mentitus fuerat, sed quod aureum craterem ab ea furto tollere parauerat. Aliud sequitur eiusdem generis: Ioannem ab Hembach vixdum ex ephebis egressum venefica mater secum ad nocturnos Dæmonum conuentus deduxerat: ac quod tibijs sciret ijs illum canere iusserat: atque in proximam arborem, quo clariùs exaudiretur, inscendere: quod dum facit, ac saltantium choræas oculis otiosus collustrat, forte rei insolentiam admiratus (nam præpostera, ridiculáque illic erant omnia) Deus bone (inquit) vnde isthæc nobis tam stulta, aménsque turba. Víxque hoc dixerat, cùm in terram prolapsus, altero humero debilitatum se, ac cùm astantium opem inclamaret, solum reperit. Quod cùm palam prædicasset, & variè de eo sentiretur alijs visum, alijs rem gestam esse contendentibus, secuta est postmodum, quæ eam dubitationem tolleret, occasio.

9. In Freissem IIII. Non. Septē. 1589.

Nam Catharina Præuotia [9] earum vna quę choros illos agitauerant, ob sortilegij suspitionem non

multo

multo poſt comprehenſa, rem omnem, vti ſuprà memorata eſt adhuc eius rumoris, quod Hembachius diſſeminauerat, ignara, & nulla interrogatione præeunte, patefecit. Keluers Otilla [10], & Eyſartz Anguel [11] proximè ſequenti anno veneficij damnatæ idem quoque diuerſæ affirmauerunt: locum prçterea illa, vbi id eueniſſet ſuo, quo id teſtatius fieret, nomine Mayebuch appellans. Quod ſequitur non minus proprium eſt huius argumenti. Rediens Nicolæa Lang-Bernhard è moletrina Guermingenſi Aſſenuncuriam ante VIII. Calend. Auguſti Ann. M.D.XC. ac iter ſecundum ſepem ſyl-ueſtrem aperto meridie faciens, aduertit in aruo finitimo chorum in orbem ſaltantium, tum virorum, tum mulierum: Verùm quod præter ſolitum aliorum hominum morem auerſi, tergáque oſtendentes id faciebant, attentiùs eos aſpiciens vidit præterea qui caprinis bubulíſque pedibus deformes vnà intermixti ſaltatorium illum orbem verſarent. Tum pene metu emortua IESV auxiliare nomen (vti quibus ſiniſtri, inauſpicatíque aliquid imminet) inclamare cœpit, ac rogare ſuppliciter, vt ad ſuos modo ſalua, incolumíſque redire poſſet. Illicò enaneſcere omnes, qui tripudiabant, ac deſinere videri: prçternam vnà Petter Groſſ-Petter nomine, cui ocyus in aërem ſublato elabi interea, atque excidere viſum eſt penicillum, quali furnarij conſueuerunt furni ſui aream, priuſquam panem in eum condant, extergere. Inter hæc vehementiori illa quoque correpta vento vix anhelitum ducere, ac ſpiritum trahere: tum etiam domum reuerſa triduum integrum ex valetudine decũbere.

10. In Vverdẽſtam VIII. & VII. Id Aug. 1590.

11. Duſæ III. Non. Decẽ. 1590.

Cuius rei fama cum ipſa, eiúſque propinquis ſpargente vniuerſum pagum iam peragraſſet: Petter ille ne videretur eius diſſimulatione tantùm crimen agnoſcere, ac fateri: primùm quidem apud Iudicem iniuriarum ferocius agere: Sed tandem veritus ne nō ſuccedente lite, quod iam in procliui eſſe videbatur, maius ipſe ſibi crearet periculum, eam conſultò deſeruit: Quæ res multo etiam magis eius facti ſuſpitionem auxit, æſtimantibus multis malæ mentis conſcientia illum eam, quamprimùm in animum adeò auidè reuocauerat, iniuriam muſſitare Ergo Iudex in eius vitam, moréſque tanto diligentiùs inquirere: Ac cùm certis indicijs rem non eſſe vanam comperiſſet, comprehendere: tum ad criminis non adeò inuitam confeſſionem adducere: tandem & alios, qui cum illi eius ſceleris ſocietas fuerat, coarguere, ac iam manifeſtos facere. Inter quos fuere Barbelia Ioannis Latomi vxor [12], & Mayetta Laurentij Super maioris item vxor [13]: quæ diuerſæ, totidem tamen verbis, illud de ſaltato à ſe auerſis, vnà cum intermedijs cornupedibus choro proditum à conſcio Petter indicium verum eſſe agnouerunt. Acceſſit & earum confeſſioni tertius Ioannes Michaël [14] armentarius, hoc etiam ad maiorem eius rei fidem addens ſe interea, dum hæc fierent, tibicinis functum fuiſſe officio, pedum quoddam forte oblatum ori admouendo, ac micantes ei digitos, vti cùm ad numerum veræ inflantur tibiæ, adducendo. Ac cùm Nicolæa illa (vti dictum eſt) Ieſum tremebunda inuocaſſet, ſéque præterea crucis ſigno muniuiſſet, è quercus altiore ramo, cui tum inſidebat, præ

12. Duſæ VI. Calē. Febr. 1591.

13. Duſæ XIIII. Cal. Mart. 1591.

14. Duſæ XV. Cal. Mart. 1591.

bat, præ

bat, præcipitem decidisse: demum turbine inuolutum, ac in pratum nomine Vveiller in quo pascentem gregem paulo antè reliquerat, deportatum fuisse. Eius rei grauissimum, firmissimúmque argumentum denique hoc fuit, quòd locus, vbi sic in orbem agitatæ fuerant choræ illæ, postridie, quemadmodum Nicolęa antè monuerat, apparuit circo impressus, qualem habent hippodromi, vbi in gyrum aguntur equi: sed & interstinctus vngularum caprinarum, bubularúmque recentibus vestigijs. Quæ & perstiterunt videri dum aratro denuò proscissum, subactúmque aruum illud bruma sequente fuit. Testimonium dixere Nickel Clein, Desiderius Veruex, Gaspar Sutor, & quotquot in rem præsentem maturè ducti de ea post à Iudice sunt interrogati. Ecce rem gestam, non somnio visam, oculis ipsis perceptam, non auditu intellectam, diuersorum consentientibus verbis affirmatam, non vnius excogitata, fictáque oratione euulgatam. Cui si quis paruam fidem habeat, nihil equidem moror, quominus in contraria opinione hæreat: modò sciat me nihil hîc fingere, ac comminisci; sed potius huius argumenti exempla plurima omittere, quæ neglecta cùm à me legerentur, in veneficorum quæstionibus capitalibus intercepit obliuio. Vicissim etiam eorum sententiæ non accedam inuitus, qui hæc quandoque per insomnia videri putant. Quod & Catharina Præuotia [15] diserta sua assertione testatum non ita pridem reliquit, inquiens nonnunquam præsentes, ac vigilantes sagas in eiusmodi conuentibus adesse: sæpè etiam dormientes inani, vanáque imagi-

15. *In Freissen. IIII. Non. Septē. 1589.*

natione tantùm eos agitare: Nam Dæmonibus æquè promptum eſt & vigilantes, quo volunt, tranſportare:& dormientibus,ac interea (vt Gale-

16. In definit. Med.

ni verbis vtar [16]) in ὀλιγοχρόνιον μανίαν inductis iſtiuſmodi viſa offerre,atque obiicere:ſed non ego credulus illis qui ἐκστάσεις, animíque emotiones atque abſtractiones à corpore in hoc negotio interponunt. Neque enim eas rectè defendi poſſe puto: maximè, ſi quæ dicuntur Dæmonum miniſterio,

17. II. ad Corinth. c.12. verſ.3.

atque opera fieri: cùm etiam D. Paulus raptum ſuum ad tertium cælum prædicans ingenuè fateatur, neſcire ſe in corpore, an extra corpus raptus

18. Matthæi XVII.

ſit:Deum enim ſolum id noſſe.Et Petrus [18] legatur ſic claritate transfigurantis ſe Domini vna cum reliquis duobus diſcipulis oppreſſus ac ἐκστάτος obſtupefactus, vt neſciret quid diceret, aut vbinam

19. Libr. VII. cap.52.

eſſet. Plinius [19] quoque (iuuat enim & hic paganorum authoritatem laudare) poſtquam ex veterum exemplis retulit Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore errare ſolitam, vagámque è longinquo multa enuntiare, quæ niſi à præſenti noſci non poſſent. Ariſtæi etiam viſam euolantem ex ore in Proconneſo corui effigie,hoc totum tandem fabuloſitatem appellat.Res eſt ardua,& ſupra omnem omnium hominum captum euagantem extra corpus animam, ac poſtmodum in id, ceu poſtliminio, redeuntem conſtituere: Nam niſi morte eam compaginem diſſolui poſſe, rurſúſque diſſolutam ante ſupremi Iudicij diem non coalituram piè,ac Chriſtianè credimus.Porrò ſi quid ſomno etiam ferreo excitæ, ac ſolutæ ſagæ nuntiant ſe vidiſſe, quod locorum, vbi geſta narrantur, longinqui

ginquitas cum somni breuitate comparata, arguat non aliter, quàm leuissima aliqua peregrinatione, qualis solet esse animi, lustrari quiuisse: non statim sequitur, animum relicto corpore illuc peruasisse: nam ea res incolumi, atque integro homine neutiquam accidere potest: sed verò similius est in eiusmodi somno, qui sic animæ extinctæ speciem præbet, penitus delituisse animam perinde, atque in ijs, qui apoplexia, morbo comitiali, aut vteri strangulatione suffocantur: interimque Dæmones, quibus est incomparabilis velocitas (Natura enim incorporea, inquit Iamblicus [20], subito, vbicunque vult, adest, nullo alicubi prohibente) eam imbuisse, atque informasse illorum omnium notitia, quæ è procul remotis prouincijs, ac regionibus summa celeritate conquisiuerunt: vti eorum opticorum non omnino absurda sententia est [21], qui non immissione radiorum, sed admissione imaginum, vt in speculo euenit, res oculis percipi ac deinde animo communicari volunt: Nam certe Dæmones se sæpè in hominum mentes insinuare, ac quas volunt notiones, sinente Deo, in ijs imprimere, ac quasi consignare notius est, quàm vt pluribus ostẽdi oporteat. Et Cardanus [22], cui hæreditaria fuit eiusmodi cum Dæmonibus consuetudo, non negat Lamias inter dormiendum putare se varias, ac longinquas regiones peragrare, atque in ijs reges, theatra, choræas, viridaria, fontes, viuaria, aliásque res amœnissimas videre: imo & venustissimos adolescentes, propter quos dormiant, ac quibuscum vnà se oblectent. Tantum ne se ipse suo prodat indicio, ac sortilegij alliget ad naturales causas, vict

20. *De mysterijs Aegypt. cap. de intellectu, & anima.*

21. *Arist. in li. de sensib. & ijs, quæ sensu perci.*

22. *Li. XVIII. de subtil.*

ſas, victúſque rationem ea reuocat: quod videlicet caſtaneis, fabis, caulibus, opio, cepis, & phaſeolis veſci ſoleant: quæ ridicula ratio eſt, cùm nec ſolæ, nec ſemper ea eſca vtantur: Hæc etiam forte cauſa eſt, quòd parum ſibi conſtans addit ſtatim putare ſe eiuſmodi viſis ſortilegij aliquid ſubeſſe: Sed vt ad intermiſſum de nocturnis illis cõuentibus ſermonem redeã, iuuat, quo magis eorum veritatẽ adiuuẽ, modũ quoq;, & viã, qua ad illos properatur, exponere. Ac primùm vulgatiſſima ea ab omnibus perhibetur, quę per camini vaporariũ eſſe conſueuit. Cõtra quam ſi quis ſpatiorum iniquitatẽ, atque anguſtias obijciat, aut alias etiam naturæ difficultates opponat: ſciat eas pridem ex iſtius Dæmonolatreiæ, quæ monſtroſa, portentoſáque omnia habet, finibus iuſſas eſſe excedere. Quamquam & hoc inde defendi poſſit, quod angulis quadratis ſtructa vaporaria paſsim habẽt caſæ ruſticorum, è quibus ea ferè exiſtit colluuies: Alexia Violæa [23], Iãna à Banno [24], Claudia Fellæa [25], Dominicus Petronius [26], ac plerique omnes [27] eius flagitij comperti id ſpontaneis, ac diſertis ſuis confeſsionibus teſtatum reliquerunt. Addit Nicolæa Ganatia [28] pro more habuiſſe, dum ſic ſe ad eam viam inſtrueret, pedem alterum in cremathram tollere, poſtquam eam inunxiſſet, quo ſeipſam ante illeuerat, vnguine. Franciſcus Fellæus [29] non cremathræ, ſed extremis, ac ſupinis ſcoparum virgis itidem inunctis, atque oblitis conſueuiſſe pedem ſiniſtrum imponere. Alios alij quoque perhibent modos ad eos conuentus aduolandi. Margareta Doliaria ſe in colo, vel arundine equitantem ſæpè illuc perlatam fuiſſe, poſt

23. In agro Tetræo. 1583.

24. Manerij III. Nõ Iulias 1585.

25. Mazilæij V. Id. Nouem. 1585.

26. Giruncuria menſe Octo. 1585.

27. Mainerij VIII. Id. Iul. 1585.

28. Mazilæij XIIII. Calend. Ianu. 1584.

29. Vergauillæ XIIII. Calend. Ianu. 1586.

ſe, poſtquam verba quædam ad eam rem propria eſſet præfata. Alexia Bernarda [30] ſe ſui: Hennezel Erricus [31], patrem tauro ingenti, ac valido, matrem verò baculo bifurco, quali equis ſubſterni ſolet; ſe autem arundini impoſitos, vnà ſemper eò peruolaſſe. Ianna Granſanetæa Montenaienſis [32], quoties eam viam affectabat, præſto ante fores affuiſſe canem atrum, atque horridum, in quem, ſeu bene domitum equum, intrepidè inſiliret, vectioniſque pretium fuiſſe, cùm deſilijſſet, ab eo viciſsim inſcēdi, ac comprimi: cùm ſe tamen in non illaudatæ (vt ſibi videbatur) formæ adoleſcentem ante immutaſſet. Erricus Carmucius [33] Dæmonem, ceu portitorem aliquem conſueuiſſe ſingulos vltra fluuium, ſi in quem fortè inciderent, tranſmittere. Quod autem viæ vel ante fuerat, vel etiam poſt erat reliquum, coactos ſemper fuiſſe pedibus conficere. Barbelina Rayel [34], Franciſcus Felleus [35], atque alij non pauci perſæpè ſe itinere pedeſtri eò eſſe profectos: præſertim cùm in propinquo aliquo loco cœtus erat indictus; aut etiam ſi reperiebant, qui cum ſe vnà in viam darent. Siquidem comes, aiunt, in itinere pro vehiculo eſt. Quibus omnibus & hoc obiter non erit abſurdum adiicere, quod de die, quo ſic vnà conueniunt, ab illis vulgo dicitur. Ioannes Piſcator, Coleta eius vxor [36], Margareta Vvarina [37], Nicolæa Ganatia [38], Claudia Morelia [39], & vno nomine omnes, quorum quæſtiones capitales hactenus in Lotharingia expendere licuit, non alijs noctibus, quàm quæ proximè præcedunt diem vel Iouis, vel Dominicum eiuſmodi conuentus agitari autumant. Cauſam

30. In Guermingen VIII. Cal. Febr. 1590.

31. Vergauillæ menſe Iulio. 1586.

32. Condaëij menſe Iulio. 1582.

33. Pangaëij Anno 1574.

34. Blainuillæ ad aquas Id. Ianua. 1587.

35. Mazilaëij in agro Pāgao XIIII. Cal. Ianu. 1584.

36. Gerbeuillæ Non. Maij. 1585.

31. Roncaëij ad D. Clemen. Cal. Decē. 1586.

38. Maynerij VIII. Id. Iul. 1587.

39. Serræ III. Non. Decē. 1586.

adhuc ab illis ſcire non contigit: Hoc tamen inde eſſe ſuſpicor, quòd aliæ alibi tempeſtates occupatos Dæmones habent: Neque enim (vt inquit D. Baſilius [40]) eodem temporis momento in diuerſis locis eſſe queunt: Nam & qui res ſagarum in alijs regionibus geſtas ſcripſerunt, alias illis noctes, quàm quæ modò dictæ ſunt, in eam rem impendi aiunt: Vt probabile ſit eiuſmodi vices, & tempora pro locorum interuallis, ac intercapedinibus variare, & mutari. Dij (inquit Apollonius [41]) ideſt (vt interpretor) Dæmones non ſemper in eodem permanent loco: ſed nunc ad Æthiopes, nunc ad Athum, nunc ad Olympum proficiſcuntur. Sed hæc in coniectura magis poſita ſunt. Hoc modò reſtat videre, an etiam certa, ac præſtituta ſit hora aliqua nocturnis illis conuentibus, ac Synagogis: Et ex tot quidem reorum, quas vidi, percontationibus duo tantùm Joannes à Villa [42], & Agathina Franciſci Sartoris vxor eius [43] rei me adhuc commonefecerunt, affirmantes eam tempeſtatem, quę vna, atque altera hora mediam noctem præcedit, apprimè idoneam eſſe, atque opportunam, non modò illis conuentibus, ſed & quibuſcumque alijs Dæmonum terriculis, ludibrijs occurſationibus, ſtrepitibus: quæ ſequitur non item ijs eſſe obnoxiam. Cauſam non addiderunt illi: nec ego eam hic ariolabor. Vnum tamen dicam nullas in tota nocte horas ſuſpectiores habere iſtius vmbrarum apparitionis, qui earum metu aliquo tentantur, ac trepidant: Et ea certe non eſt ſine ratione perſuaſio. Siquidem experientia docet illas præcipuè ſpectris, tetríſque imaginibus eſſe infames. Et veteres ſatis

40. *Homil. de Sancto Spiritu.*

41. *Philoſtratus in eius vita, Libr.* IIII. *cap.* 13.

42. *Lorquini* x. *Cal. Nouem.* 1590.

43. *Heſſ. Pittelangij* XII. *Calē. Octo.* 1590.

satis multi id scriptis suis testatum reliquere Aristomenes apud Apuleium 44 (nam fabulas quoque intermiscere iuuat, quę si minus vera narrant, at quam maximè fieri potest, veritatem probabilitate imitantur) à Meroë & Panthia lamijs insignibus vnà cum contubernali Socrate se appetitum fuisse circa tertiam vigiliam recenset. Quod ego nocte circiter media interpretor: Siquidem in eam secunda vigilia desinit: vti vigilias earum inuentor Palamedes 45 Troiano bello primùm dispo suisse fertur: Plinius Iunior 46 narrans, vti Athenodoro philosopho insultasset olim idolum senis macie, & squalore confecti, addit id factum per noctis silentium. Et Liuius scribit supra ædem Vestæ vocem noctis silentio auditam clariorem humana: Inter recentiores quoque Alexander ab Alexandro 47 recitat terrificos laruarum tumultus in ędibus quibusdam Romæ à se esse auditos, medio ferè noctis silentio. Silentium boni authores interpretantur intempestam noctem, id est (vt ait Censorinus 48) quæ mediam proximè antecedit. Profundam Plutarchus 49, & ferè mediam (quod huius argumenti proprium est) nominauit, vbi verba facit de monstrosa, horrendáque illa imagine, quæ M. Bruto ex Asia exercitum traijcere volenti apparuit. Apollonius 50, vbi de vmbra Achillis à se visa refert miraculum, hanc euanuisse ait post collocutiones aliquot, quod iam cantus gallorum audiretur. Vnde infert Eusebius Cæsariensis 51 noctem intempestam, quæ certè gallicinium proximè antecedit conuenientiorem esse malo Dæmoni, ad nefarios sermones euocando. Telephion Milesius 52 Larissę

44. *Libr. 1. de Asino aureo.*

45. *Plinius lib. VII. cap. 6.*

46. *Libr. VII. Epistol.*

47. *Genial. dier. libr. V. cap. 24.*

48. *De die natali cap. 9.*

49. *In Bruto.*

50. *Apud Philostratum libr. IIII. cap. 5.*

51. *In cōfutatione contra Hieroclen quarta.*

52. *Apud Apuleium libr. II. de Asino aureo.*

cadaueri cuidam custos adhibitus contra sagarum mulierum insidias, ex ijs vnam mustellæ specie ea noctis tempestate sibi obuersatam fuisse refert. Ecce, inquit, crepusculum, & nox prouecta, & nox altior, & deinde concubia, & iam nox intempesta, mihíq; oppido formido cumulatior quidem, cùm repente introrepens mustella contra me constitit, obtutúmque acerrimum in me destituit: vt tantillum animalis præ nimia sui fiducia mihi turbarit animum. Intempestam noctẽ Seruius 53; mediam, Macrobius 54, quam media proximè sequitur: tum enim principi tenebrarum, lupísque (vt cum Esaia loquar) vespertinis accommodatissimum tempus est rebus agendis cum hominibus importunum atque inactuosum esse incipit. Ac vt illud Apollonij de gallorum importuno nocturnis vmbris cantu sermonem repetam, succurrit non ita pridem à me lecta in Dusanæ strigis quæstione quadam capitali de ea re narratiuncula, non vtique abhac, in quam nunc dilapsi sumus, oratione admodum aliena: ei strigi Babillæ 55 Latomæ nomen fuit. Hæc cùm fortè à quæstore de nocturnis sagarum inceptis curiosius rogaretur, inter alia respondit nihil æquè illis infestum, atque inimicum accidere posse, quàm si gallus interea, dum se ad ea parant, occineret. Idem retulerunt & Ioannes Bulmius 56, eiúsque vxor Desideria Magistellos sæpè suos, cùm dimittendæ concionis tempus instaret, identidem solitos inclamare: Eia facessite properè hinc omnes: nam iam galli canere incipiunt. Quod ego sic interpretor, vltra id tempus negotium suum non potuisse trahere. Equidem scio ex Plinio 57, Ælianóque

53. III. AEneid.

54. Saturnal. I. cap. 3.

55. Dusæ III. Non. Decẽ. 1591.

56. Amãtiæ VI. calen. Iul. 1591.

57. Lib. X. c. 21.

nóque eorum cantus leonibus, scolopendrísque esse formidabiles. Rursus si ij sint præposteri, ac insueti de nocte præsertim, ostenta habere multa: quale etiam fuit illud, quod Volaterranus 58 in Matthæi magni Vicecomitis Mediolanensis filij natu maioris natali nocte euenisse memorat: in qua videlicet non cessarunt galli, vel ad tædium coccissare: vnde & Galeacio nomen illi inditum est: Et sic facundia, laudéque militari floruit (inquit Iouius 59) vt principum suæ ætatis famam vel clarissimam facilè obscuraret: Cuius rei προγνωςικὸν in eo cantu fuisse non magis disputo, quàm illud de ἀντιπαθέᾳ gallorum cum leonibus, & scolopendris: sed hoc defendo non tam vocem (nam eam nihilo immaniorem, efficaciorémue habent galli, quàm aliæ alites pleræque) sagarum morari maleficia, quam noctis ijs inimicam tempestatem, qua illi vocem frequentius exercent: vnde & mensi dicatos à veteribus aiunt 60, vti horarum nocturnarum nuntios, ac partitores.

58. Philologia Lib. XXV.

59. In elogijs claro. viro.

60. Eras. Chil. I. centu. I.

Frequentes ex omni genere homines ad nocturnos Dæmonum cœtus conuenire: sed maiori ex parte fœminas, vt est is sexus prauis consilijs magis obnoxius.

CAP. XV.

IAcobus Meyerus 1 non indiligens annalium scriptor refert Attrebati sub Philippo Burgundione extitisse, qui sortilegij manifesti, ac de conscijs interrogati dicerent ex omni ordine, statúque mortalium viros, mulierésque in suum numerum

1. Anna. Flãd. Lib. XVI.

conueniſſe. Triſcala quidam nomine (vt Io. Bodinus in Dæmonomania ſcribit) eorum, quos in Gallia nouerat hac ſortilegij labe infectos, multa millia Regi Carolo IX. indicauit. In Lotharingia memini intra annos ſedecim, à quibus rerum capitalium iudicia exerceo, non minus octingentos eius criminis manifeſtò compertos, Duumuiratus noſtri ſententia capitis eſſe damnatos: præter totidem fere alios, qui vel fuga, vel tormentorum pertinaci tolerantia vitæ ſuæ conſuluerunt. Nam ſicubi fallax eſt, & lubrica quæſtio, certè quæſtorum in hoc criminis genere expectationem vt plerumque eludit, ac fruſtratur: quod & ſuo loco pleniùs dicemus. Omnes autem, quotquot in hoc maleficio deprehenduntur, vno ore frequentiam maximam eiuſmodi conuentuum prædicant. Ianna à Banno [2], & Nicolæa Ganatia [3] tantam eam extitiſſe, quoties illis interfuere, affirmauerunt, vt non parum illas humanę conditionis miſereſceret, cui tot hoſtes, ac inſidiatores ſupereſſe viderent: valdéque mirum eſſe, quod ab eis mortales pluribus incommodis non afficerentur. Catharina Ruffa [4] non minus quàm quingentos à ſe viſos ea nocte, qua primum in eorum numerum eſt allecta. Barbelina Rayel [5] illic viros à fœminis longe numero ſuperari, vt Dæmoni multo procliuius eſt ei ſexui fallaciam intendere. Quod & Torquemadius in Hexamerone ſuo obſeruauit. Certè multo plura in fœminas exempla edi memini, quàm in viros. Nec adeò eſt ſine ratione, quod hæc hominum colluuies frequentius in genere effertur fœminino γύναι φαρμακίς, ſagæ, veratrices, lamiæ, ſtriges, & Longobardis

2. *Maynerij III. Non. Iun. 1585.*

3. *Maynerij VIII. Idus Iul. 1585.*

4. *Vellæij ad Moſellam V. Cal. Iul. 1587.*

5. *Blainuillæ ad aquas Id. Ianua. 1587.*

gobardis

gobardis, mascæ. Scilicet in re denominanda numerum, & frequentiam par est præcipuas partes obtinere. Fabius [6] veneficium in fœmina facilius credi. Plinius [7] fœminarum scientiam in veneficio præualere dixerunt. 6. In declamationibus. 7. Lib. XXV. cap. 11.

Insuaues, atque illiberales in comessationibus Sagarum apponi cibos, & qui prætereà famem nihil depellant: Quæ res multis non iniuria opinionem attulit merum id esse visum, & fantasma: Quod tamen non est perpetuò verum: Nam & aliquando humanis, morticinis, ac alius id genus insuetis carnibus verè vescuntur: at sine sale, ac pane. Ac quid causæ sit, quod se ab iis duobus præcipuè abstineant, probabiliter disputatur.

CAP. XVI.

QVÆ res celebrandorum cōuentuū occasionē maximam hominibus præbēt comessationes, venereę libidines, ac tripudia, eas omnes Dęmō studiosè adhibet, suos vt habeat apud se & freqūetiores, & assiduiores. Tum enim euenit, vt postquam eos tali lenocinio deliniuit, faciliùs præcipites agat ad ea etiam scelera, quæ antè exhorruissent, vt mirus est impellendi artifex, si quem fortè in lubrico constitutum nanciscitur. Quemadmodum autem stupris, saltationibúsque illos exerceat, post dicetur. Nunc, vt conuiuias accipiat tam lepidus, & bellus conuiuator, operæpretium est videre. Ac primùm in confesso est omnibus, quos sic sua dignatur mensa, adeò omnes eius epulas sordere, siue earum apparatus oculis, siue odor naribus percipiatur, vt

tur, vt vel famelico, ac latrãti ſtomacho facilè nauſeam parere poſſint. Barbelina illa [1], de qua proximè mentio eſt habita, & Sybilla Morelia, cibos illic aiunt apponi omnium generum, ſed adeò viles, illiberales, ac malè conditos, vt vix ſint veſcendo. Nicolaus Morelius [2], ita triſtem, aſtrictum, atque amarũ eſſe illis guſtum, vt ſumptos confeſtim prę moleſtia ſibi neceſſe fuerit expuere. Quod peſſimus Dæmon videns, adeò indignè ferebat, vt vix manus abſtineret. Vinum præterea inſtar atri, atque inſyncerí ſanguinis in ſordido aliquo ſimpulo epulonibus ſolitum propinari. Salome [3] Dominicus Petronius [4], Catharina Ruffa [5], Anna Morelia [6], Iacobeta Vveher [7], Anna Richemontana [8], Stephaneta Mercatrix [9], ac plerique omnes eius farinæ nullarum ferè rerum copiam illic deeſſe, præterquam ſalis, & panis: cæteráque adiiciale conuiuium dici poſſe. Et certè temere non eſt, quod illis ſic veluti conſulto deficiuntur, ac ſubeſſe cauſam oportet, quæ tantum vtriuſque odium Dæmonibus ingenerauerit. Eam verò facillimè aſſequetur, qui diligenter perpendent, quàm pugnent inter ſe comparatæ, ac compoſitæ horum, atque illorum naturæ, ac facultates. Dæmonibus inſitum eſt, atque inuſtum penitus omnis puræ religionis, cultúſ diuini odium: cæremonias, ritúſque ſacros; et ſi quarum rerum in iis vſus eſt, eas omnes infeſtas, atque inimicas habet. In veteri porrò lege nulla hoſtia ſine ſale Deo accepta erat. Omnem (inquit Dominus [10]) oblationem ſacrificij tui ſale ſalies: nec ceſſare facies ſal fœderis tui à ſacrificio tuo. Et in nouo inſtrumento [11]: Omnis victima ſale ſalietur:

1. Serræ XIII. Cal. Sept. 1586.
2. Serræ XIIII. Cal. Febr. 1587.
3. Vergauillæ VI. Calen. Sept. 1586.
4. Giruncuriæ menſe Octo. 1586.
5. Vellæij ad Moſellam V. Cal. Iul. 1587.
6. Hadonuillæ III. Calen. Decẽ. 1581.
7. Duſæ, menſe Septem. 1584.
8. Pittelangij XI. Calend. Octo. 1590.
9. Emelini III. Cale. Iunias 1591.
10. Leuitici c. 2. verſ. 13.
11. Marci cap. 9. verſ. 49.

tur: bona enim res est sal: Cuius rei exemplo in hodiernis quoque mysteriis, præcipuéque baptismi, quo renascimur, ac denuò gignimur ad salutem: Item in aqua, quam fugandis Dæmonibus exorcismo lustrant, mos est salem admiscere. In eadem lege veteri [12] panes propositionis, seu faciei (Septuaginta interpretes ἐνωπίους, id est præsentes, ac coram Domino positos verterunt) super altare offerebantur. In augustissimo itē sacramento Eucharistię panis consecratus ipsum verúmque fit & sumitur à Christianis. Quo symbolo panis, & Macedones antè vsos fuisse; si quando fœdus quod sanctissimum vellent haberi inibant, author est Quintus Curtius [13]: Nam panem (inquit) gladio diuisum vterque ferientium libare solebat. Dæmonibus nihil est æquè inuisum, atque iustitia, quæ (vt inquit Orpheus in hymnis)

12. Malachiæ 1. & Leuitic. cap. 24.

13. Lib. VIII.

Καθαραῖς γνώμαις καὶ ἔργα δίκαια βραβεύει.

Et contrà nulla re ad Deos propius acceditur (quemadmodum ait Plato in Theęteto) quàm quę iusta, atque æqua sunt peragendo: Nihil autem est quod homines æquitatis, ac iustitiæ magis admoneat, atque sal: vt Pythagoram censuisse author est in commētariis Pythagoricis apud Laërtium Alexander, vtpote qui seruet, ac tueatur quicquid occupat, sitq; ex re purissima, aqua videlicet marina. Vnde & illius hoc symbolum τὸν ἅλα παρατίθεσθαι, Quę etiam causa fuit, vt Plato diuinis rebus amicissimum familiarissimúmque dixerit.

Splendet in mensa tenui salinum,

inquit Horatius: nimirum quia salis in ea pręcipua semper fuit religio: vnde & Græci cū suo Homero

R

ἱερȣ̃ς ἅλας vbique dixerunt. Et eius adhibitione veteribus creditum est mensam satis consecrari, vti ex Arnobio obseruare est: Sacras (ait) facite mensas salinorum appositu. Panis vsum ad tolerandam vitam sic esse necessarium, vt pro quocumque victu, rebúsque quotidianis, ac necessarijs literæ sacræ illius nomen vsurparint: Quid autem satagunt [14] magis Dæmones, quàm ne mortales æquo inter se iure viuant? ijs ne suppetat, vnde se ipsi alant, ac sustentent satis indicio sunt tam multæ iniuriæ, pestes, calamitatésque, quas humanis rebus quotidie important, tot quæ non cessant inuehere mala, atque incommoda: sed omissis istis, quæ tantùm ad coniecturam interpretatione reuocamus, intermissas epulas instauremus, ac insolentibus, vt antea cibis extruere pergamus. Addit Dominica Isabella [15] aliquando etiam apponi humanas carnes, quod & apud Scytharum Sortilegos, quos Bachsos vocabant, in vsu frequenti fuisse prodidit Bellosorestus [16]: Hunc verò morem à Baccho, quem præcipuis colebant honoribus, deriuatum credibile est: nam & cum Omestem vocatum author est Plutarchus in Pelopida, & Themistocle. Isabella Pardaia [17], Desiderius Financius [18], & Albertinus Magendræus [19] eos, qui sunt amplioris fortunæ, superiores epulis accumbere: Stephaneta Mercatrix [20] argento bibere: pauperiores fictilibus: rursus arcanorum omnium, alijs exclusis, compotes fieri, ac participes. Plerique eorum, qui modò sunt memorati, istis non expleri famem, aut sitim sedari: sed cibi, potúsque auiditatem, atque appetentiam tantam superesse, quanta anteà fuerat maxima. Quæ sanè

14. *Bartholom. Vvesthemerus in phrasib. diuinæ scripturæ.*

15. *Rogeuillæ in agro Tentreo An. 1585.*

16. *Cosmographiæ tomo. II. ca. 6.*

17. *Spinali prid. Non. Maias. 1588.*

18. *Sandcodati prid. Id. Iul. 1581.*

19. *Vuinij in Mediomatricibus. III. Non. Maias.*

20. *Emelinij. III. Cal. Iun. 1591.*

ſanè res multos impulit, vt crederent merã hęc eſſe viſa ſomniorum, ac præſtigias: qualia forte de hortis Tantali, ac pomis Heſperidum fabulati ſunt poëtæ. Cui conuenit & hoc Ioannæ Michaelis[21] referentis neutiquam illis, qui eiuſmodi conuentibus interſunt, integros, certóſque eſſe oculorum ſenſus: ſed omnia perturbata, confuſa atque incerta illis apparere: vti quibus ex ebrietate, metu, ſomno, alióque vitio natant, ac caligãt oculi: aut etiam arte aliqua perſtringuntur. Et certè memoratur Paſetes[22] ſæpè ſuis incantationibus hoc effeciſſe, vt repente conuiuium omnibus epulis inſtructiſſimum appareret: rurſus cùm vellet, nullo tollente, vt ſpectantium oculis momento ſubducerentur. Et Numa Pompilius[23] in frequenti conuiuio arte ſua efficiebat (nam & eum narrant inſignem fuiſſe ſortilegum) vt nullo apponente menſæ ſtatim exquiſitiſſimis epulis magna copia extruerentur. Apollonius quoque Thianæus [24] recenſuit vidiſſe ſe in India Brachmanes, qui præſente ſe conuiuia vaſis, cibíſque apparatiſſima ſtruerent: cùm tamen, qui ijs apparandis, ferendíſue, ac mutandis ferculis miniſtrarent, nulli aſpicerentur. Verùm ne ſic quidem Dæmonum poteſtas coarctanda, ac coanguſtanda venit, vt præter ſpeciem, opinionémque nihil omnino præſtare queant. Nam & veris epulis ſuos nonnunquam accipiunt: ſed ex morticinarum pecudum carnibus, aliíſque rebus, quas homines habent pro derelictis: quod & alibi attigimus. Imò & compertum habemus multorum, qui interfuerunt, verbis ſæpè in eiuſmodi epulum imperata obſonia: huic felem: illi nigrum hœdulum,

21. *In agro Stiuesi IIII. Non. Iun. 1590.*

22. *Erasm. in prouerb. Phasetis Semiobolus.*

23. *Guido Bituricen.*

24. *Philostr. in eius vita lib. III. cap. 8.*

gallum gallinaceum, aut si quæ sunt insueta hominum mensis cibaria, & minimè esculentæ escæ. Tum nota est ex Andræa Alciato, aliísque multis de viatore illo historia, qui cùm de nocte imprudens in sagarum conuentus incidisset, ac rei nouitate, insolentiáque attonitus Dei numen Christiana fiducia implorasset, subitò ex eius aspectu sublata omni mensa, argenti solum craterem reliquum fuisse ex vniuerso apparatu: qui sublatus, ac domum deinde perlatus, cuius fuisset posteà agnitus est: Cui autem vsui esse potuisset, nisi ad infundendum quod pòst biberetur, dici nō potest: nam & fictæ, commentitiæq; potioni æquè imaginarium vas adhibere licebat. Vtrumque igitur rectè, & cum veritate defendas, vt scilicet aliquando ijs, quos sagæ suppeditant, vescantur cibis; qui si desint, aut aliter Dæmoni in cuius hæc sunt arbitrio visum est, vesci tantùm sibi sola opinione videantur. Quod & in profectione ad nocturnos illos cœtus euenire paulo antè meminimus. Nam & ibi sagæ se aliquando præsentes sistunt: sępè etiam, cùm ab ijs absint, ac arctiore somno domi detineantur, videntur tantum sibi adesse, ludificante nimirum sensus Dæmone, cuius fascinationibus multa imagines in dormientium animos solent irrepere: quę deinde vigilantibus veritatis opinionem insitam relinquant, quasi iam non id fuerit somnium, sed potius quædam certa, atque indubitata corporis actio: sic enim versipellis gestit res suas plerumque inæquabili veritate, quo faciliùs imponat, distinguere.

Choreæarum, qui in Dæmonum sacris olim fuit, vsum etiamnum hodie retineri in nocturnis eorum conuentibus: maioremque lassitudinem parere, quàm solent vulgares aliæ hominum saltationes. Item eas ab auersis sagis in orbem tripudiari. Tum vt malo more semper inualuerint: licet ab insauia parum distare constet.

CAP. XVII.

MIra calliditate Dæmones cũ impio gentilitatis errore colebantur, ea sibi cordi esse simulabant, ad quæ propensos homines esse videbant, quo scilicet religionis addito fuco in illis peccandi studium magis, magísque accenderent [1]. Inter quæ saltationum, ac choræarum, nam eæ non paruam ad nequitiam fenestram semper aperuerunt, vel maximam fuisse illis curam testantur quæ de veterum ritibus, ac sacrificijs adhuc extant scripta: apud Græcos [2] quidem quæ iam à Theseo circum aras Deorum canebantur carmina cum tripudijs, solenníque saltatu. Apud Latinos verò institutum à Numa [3] Saliorum collegium, quod etiam ad Antonij Eniphonis, cuius scholam Cicero post laborem fori frequentasse dicitur, tempora peruenisse ex eius de ea re scriptis obseruauit Macrobius [4]. Imo etiam ad Antonium Varium, quem Herodianus [5] testatur, cùm sacrum Holiogabalo suo faceret, mulieres Phenissas adhibuisse, quæ circum eius aram cursitarent saltantes, ac cymbala, tympanáque magno cum strepitu pulsantes: circunstante etiam in Theatri formam vniuerso senatu, atque equestri ordine. Et iá ante à vero cultu ad Idolola-

1. *Basilius ho. in aliq. scripta. loc.*

2. *Plutarchus in Thes.*

3. *Plutarchus in Numa.*

4. *Lib. III. Saturn. cap. 12.*

5. *Lib. V. Histor. de Impera. post Marcum.*

6. Exodi. xx. cap. triam desciscentes Israelitæ [6] circa vitulum ex inauribus conflatilem choros in orbem agitauerant. Nunc verò postquam hanc impietatis caliginem lucis Euangelicæ splendor hominum mensibus excussit, & desierunt pro dijs haberi Dęmones: perrexerunt nihilominus ipsi in clandestinis suorum conuentibus hunc saltandi morem obtinere, ac flagrantius etiam, quàm antea instaurare. Ac quemadmodum eorum epulæ esuritionem, ac concubitus dolorem, ac molestiam, largitiones, inopiam atque egestatem: omnia denique beneficia detrimentum, ac damnum accipientibus semper afferunt: ita istæ choreæ, ac tripudia, quæ alioqui voluptati esse solent, tædia, labores, atque ærumnas grauissimas nusquam non pariunt: siquidem ab ijs adeò defessas se domum reuerti Barbelina Rayel [7], ac pleræque omnes sagæ, quibus contigit interesse, memorauerunt: vt sępè integrum biduum prę lassitudine sibi fuerit decumbendum. Et quod miserrimum est, atque iniquissimum excusationem contrà nemini afferre licet: sed si quis eum laborem ætatis, aut valetudinis occasione detrectat, ac defugit, huic præsto sunt verbera: pugnis, aut calcibus non aliter contunditur, atque accipitur, quàm quæ exossantur malleis salsamenta. Porrò circulares esse omnes choros, qui sic agitantur, atque ab auersis saltatoribus, vti vna Gratiarum in choro depingitur, tripudiari affirmant Achen Vveher [8], Ioanna Gerardina [9], Dominicus Petronius [10], Hennel Armentaria [11], Anna Ruffa [12], Zabella Ioannis Deodati vxor [13], Odilla Gaillarda [14], atque innumeræ aliæ, quas hic, ne sim nimium

7. Blainuillæ ad aquas Id. Ianu. 1587.

8. Alexia Belhoria Blainuillæ XVI. Cal. Iul. 1587.

9. Vergauillæ VIII. Id. Iun. 1585.

10. Forchaij in agro Pãgæ. XI. Calen. Dec. 1584.

11. Girũcuriæ mense Oct. 1586.

12. Dusæ prid. Ca. Octob. 1586.

13. Dusæ Cal. Octo. 1586.

14. Spinali III. Id. Octo. 1588.

nimium longus, prudens omitto. Addit Sybilla Morelia [15] gyrum semper in læuam progredi. Quod & alicubi vsurpatum in Gallorum sacris obseruauit Plinius [16] inquiens illos adorando totum corpus circumagere solitos: hócque in læuam fecisse semper religiosius fuisse. Et Pythagoræ iam multis ante sæculis symbolum fuerat προσκυνεῖν περιφερόμενον. Dubium quæ tam præposteri ordinis causa, atque occasio, nisi si fortè ea est, ne se recta, atque ex aduerso intuentes tam facilè agnoscant. Nam non leue periculum esse putant in iudicio, quòd qui eius sceleris fiunt manifesti, de conscijs sæpè apud quæstorem vi tormentorum profitentur. Ob idque, & sæpè personati, vt alibi dictum est, conueniunt. Idem etiam illud esse potest, quod absurda, indecoráque omnia amant, ac faciunt: veluti cum Dæmonibus eos veneraturi terga obuertunt; ad eos accessuri cessim eunt cancrorum more: supplicaturi manus inuersas retro applicant: collocuturi in terram figunt obtutum, & id genus alia ab omni consuetudine reliquorum hominum alienissima. Vtcunque res sit, ipsa nos experientia satis commonefacit, id saltandi studium inter homines ferè semper malo exemplo inualuisse: vel ad luxuriam, ac nequitiam, quod iam suo tempore conquerebatur Scipio Æmilianus [17] in oratione contra legem iudiciariam Tiberij Gracchi: vel ad fanaticos furores ac dementiam; quibus semper olim à saltationibus fuisse initium testantur, quæ de Mænadibus, Bacchis, Mimallonibus, Corybantibus, Thyadibus, ac Bassaridibus veteres scripta reliquerunt. Quod & sapientissimus Aragonum, ac

Siciliæ

15. Serta XIIII. Cal. Dec. 1586.

16. Li. XXVIII. cap. 2.

17. Macro. lib. III. Saturna. cap. 14.

18. Panormitanus lib. primo de reb. gest. Alph. Siciliæ rex Alphonsus [18] scitè in muliere immoderatius, intemperatiúsque saltante notauit inquiens: Expectate, nam hæc Sybillæ oraculum iam iam est editura.

Solenni iureiurando, quod ipse etiam Dæmon verbis præit, sagas vicissim se obstringere, non prodituras se iudicio facinoris socias: Neque tamen in eo tantùm fiduciæ ponere, quin sibi contrà eum metum alia etiam ratione prouideant, nomen videlicet suum dissimulando, vultuique laruam, reticulum, velum, aut quid aliud, obducēdo.

Cap. XVIII.

NOn est nouum eos, qui sunt eiusdem facinoris conscij, alios alijs per summam etiam execrationem iureiurando sese obstringere, quo sint sibi vicissim magis fidi, nec si contingat deprehendi, tam faciles, ad retegenda, quæ semel consociauerunt, consilia. Sic Iana à Banno [1], & Iacobus Agathius [2] retulerunt sortilegos inter se religiosissimè cauere, ne si quando in reatu eius criminis esse contingeret iudicium in se inuicem, vel exquisitissimis tormentis adhibiti profiterentur: vtq; semper esset præcipua eius silentij fides. Quod & illis sic in religionem vertitur, vt violati in eo iurisiurandi pœnas existiment esse sempiternas. Id adeò Martha Margelotia Brindensis [3] ostendit, quæ cùm post admissorum confessionem sese vehementius cruciaret, ac eius rei causam à Iudice rogaretur, respondit ipse in magno metu esse, ne quia Dæmoni de se, socijsque celandis promissum non seruasset,

1. Maynerij III. Non. Iul. 1585.
2. Leberij IX. Cal. April. 1588.
3. Spinali prid. Non. Maij. 1588.

vita

vita defunctæ luendum esset flammis æternis tale periurium. Apra Hoselotia [4] addit iusiurandum illud solennibus verbis dictari à Dæmone: nec adeò pridem vidisse se Barbaram Margæam, & Ioannam Petroniam eo astringi, cùm in societatē suam primùm conuenirent. Verùm quoniam hæc cautio sæpè parum processit, nec desiere reperiri, qui quæstionis, ac tormentorum vi ad inuitam confessionem adducerentur: vt huic quoque fragilitati prospiciant, hoc præterea satagunt quantum possunt, ne ab ijs, queiscum est criminis societas, vel nomine, vel aspectu dignoscantur. Eámque ob causam [5] nec illos Dæmon, nec ipsi sese vnquam nominatim appellant: sed vbi publicè euocantur, veluti ad comessandum, saltandum, vel quippiam aliud factitandum, id his ferè fit verbis: Ehodum, Thermopolis, Dusa, Haracuria, Lenuncuria: id est, qui adestis ex illis pagis, atque vrbibus, huc concedite. Quod Barbelina Rayel [6], sagæq; aliæ satis multæ, quarum tamen nomina nunc non succurrunt, diuersæ etiam prodiderunt. Rursus nonnisi personati, ac ασβολωμένοι, sæpè etiam (quod obseruauit apud Philostratum Apollonius [7]) farinarijs cribris obuoluti,

Ora vel obducti cortice horrenda cauato, [8]

vnà versantur, maximéq; qui sunt locupletes, quòd eos fortuna insigniores, conspectiorésque faciat: sicuti non semel aduertisse se dixerunt Quirina Xallæa [9], Rosa Gerardina [10], Ioanna Vveher [11], Ioanna Gerardina [12], Odilla Boncuriana [13], Ioanna à Banno [14], & Franciscus Mazileiensis [15]: Ac

4. In D. Apri. suburbijs ad Tullum pertinentibus x. Cal. Mart. 1587.
5. Eluitia Frãcisca Milezij prid. Calen. Iul. 1588.
6. Blainuillæ ad aquas Id. Ia. 1587.
7. Lib. VI. c. 6.
8. Virg. lib. II. Georg.
9. Blainuillæ. V. Calend. Mart. 1587.
10. In agro Stiuensi Non. Noue. 1586.
11. Vergauillæ mens. Sept. 1584.
12. Pagaij. XI. Cal. Decē. 1584.
13. Haracuria XVIII. Cal. Ianu. 1587.
14. Maynerij. III. Non. Iul. 1585. 15. Pangaij XIIII. Cal. Ian. 1584. 16. Serra XIIII. Cal Feb. 1587.

ne cuiquam commentum videatur, Nicolæa Morelia [16], cùm quæstor illius fortè tentandæ gratia hæc diceret meras esse nugas, ad ampliorem fidem indicauit se suam illam laruam adhuc habere domi in arca reconditam; quæ ibi demum perquisita, atque inuenta ea esse ab eius nouerca agnita est, quam ipsa illi in eum vsum adaptauerat, cum primùm vnâ ad nefarios istiusmodi conuentus properarent. Quæ etiam puto causa fuit Longobardis, vt eas Mascas appellarent: Nam & ab illis hoc nomen mutuati Mascaradas vulgari sermone eos vocamus, qui Hilariis personati circum compita currant. En vt semper sunt integumenta atque inuolucra iis qui agunt quod sciri timent, quibúsque & peccatorum conscientia metus semper aliquis exoritur. En quoque quæ fidem faciant non esse vanum, quod fama circúfertur de præsenti sagarum ad illos conuentus profectione; quod & suprà pluribus est demonstratum.

16. Serra. XIIII. Cal. Febr. 1587.

Iniucundæ, ac etiam ridiculæ cùm sint quæ saltantur in Demorum conuentibus cantiones: pro iis nihilominus agendas abs discedentibus gratias, perinde ac si magnæ alicui voluptati fuissent.

CAP. XIX.

QVemadmodum plantæ quædam sic solis conuersioni obsequuntur, vt quaquà se is ferat ceu pedisequæ comitentur; maris æstu, vti vel crescit Luna, ita & accedunt, reciprocant, affluunt, ac remeant eodem modo & hominum animi cantu, numerísque efferuntur, mitescunt, durescunt, molliuntur,

liuntur, ac facilè ad quoslibet motus impelluntur. Gracchus[1] eburneola solitus erat habere fistula, qui staret occultè post ipsum cùm concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut à contentione reuocaret. Et Alexander sic Timothæi musici cātu quodam exasperatus fertur, vt ex epulis ad arma illico prosiliret, ac cùm cōtrario alio esset delinitus, ferociam omnem deponeret, atque ad conuiuas pacatus, sedatúsque rediret. Lacedæmonij (inquit Thucydides[2]) non rei diuinæ faciendæ gratia: sed potius moderandi ardoris, qui ad primum quemque cum hoste congressum, militem accendere solet cantum tibucinum adhibebant; cuius modulatio hoc efficeret, vt sedatè, cunctanterque incederent, ac pugnam capesserent. Contrà qui frigidiore cœlo degebant, minúsque vehementes primùm habebant spiritus, tubarum clangore, lituum stridore, scutorum pulsatione, virorum clamore, tympanorúmq; impulsione ad prælium inflammabantur.

Vangiones, Batauique truces, quos ære recuruo
Stridentes acuere tubæ.[3]

Nimirum variè (vt inquit Aristoteles[4]) animi affectus à Musica parantur: existúntque ex eius modulationibus magnæ morum, atque actionum in hominibus mutationes. Quæ etiam causa Platoni[5] fuit, vt diceret cātum tum Lydium, tum Phrygium adolescentibus, quos liberaliter institutos velis esse, adimendum; quod alter luctu animum deiiciat, atque affligat: alter excitet ad libidinem, & luxuriam. Et certè non malè iis duobus tertium

1. *Cicero. lib. III. de ora. Fab. lib. I. cap. 10. Gelli. lib. I. ca. 2. & Plutar. in vita Gracchi.*

2. *Lib. V. bell. Pelopon.*

3. *Luca. lib. I. de bello Pharsa.*

4. *Politie. lib. VIII. ca. 5.*

5. *In dialo. II. de cap.*

quis adiecerit μανικὸν ſcilicet, & qui fanatico furore inflammat ac percellit; quales memorantur fuiſſe, qui in ſacris Deorum, quos vana ſoluit antiquitas, hymni cantabantur à Corybantibus Cybeles ſacerdotibus (quas & ob id βητάρμονας, id eſt, ad ſonum ſaltantes vocauit Homerus) cum cymbalis, aliiſque Muſices organis, atque inſtrumentis.

Tympana vos, buxúſque vocat Berecynthia matris
6. Virg. IX. Aeneid. *Ideæ.* [6]

A Bacchi Baſſaridibus clamore vaſto, ac diſſono ipſum aërem complentibus.

Quacunque ingrederis clamor iuuenilis, & vna
Fœmineæ voces, impulſáque tympana palmis,
7. Ouid. IIII. Metam. *Concauáque æra ſonant, longóque foramine buxus* [7].

A Gradiui Martis Saliis, qui per vrbem pulſatis ancilibus canebant carmina cum tripudiis, ſolenniq; ſaltatu. Denique ab iis omnibus, qui nocturnis ſacris, quæ ob id νυκτέλια vocabantur, operari ſolebant.

-qualis commotis excita ſacris
Thyas, vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho
8. Virg. IIII. Aeneid. *Orgia, nocturnúſque vocat clamore Citheron* [8].

In quibus & annumerare licet, quos huius temporis ſagæ Dæmonibus permixtæ exercent de nocte cantus, & clamores. Nam ſi ex ſonorum temperata, atque æquabili varietate non modò hominum, ſed & belluarum (vti Herodotus de Arionis Methymnæi delphino refert) mulcentur animi, ac ferociam ſuam exuunt certè diſcordia, ac diſcrepantia ad veſaniam pacatiſſimi etiam adigentur, ac compellentur. Idq; adeò vt modò dixi demonſtrant, qui in præliis adhibentur tympanorum, tubarum, & vociferationum promiſcui tumultus, ac ſtrepitus, qui

& vecordissimos quosque pugnarum apertissima pericula inire compellunt.

Ære ciere viros, Martémque accendere cantu. [9]

9. VI. Aeneid.

Horum autem simile aliquid intercedere oportet in sagarum nocturnis conuentibus, quo ab humanitate omni, si quæ illas fortè adhuc tangit, deducantur. Nam illinc efferatas discedere conuenit, ac quasi rabie accensas: quo scilicet sint ad mortalium perniciem, exitiúmque (cui vni rei incumbunt Dæmones) instructiores, ac paratiores. Ergo miris modis illic miscentur, ac turbantur omnia, nec vlla oratione satis exprimi queat, quàm strepant sonis inconditis, absurdis, ac discrepantibus. Canit hic ad tibiam, vel veriùs ad contum, aut baculum aliquod, quod fortè humi repertum buccæ, ceu tibiam admouet, vt post multos recitauit Margareta Ianina [10]: Ille pro lyra equi caluariam pulsat, ac digitis concrepat; vt narrauerunt Margareta Doliaria [11], Sybilla Capellaria [12], & Sinchen May à Speirchern [13]: Alius fuste vel claua grauiore quercum tundit: vnde exauditur sonus ac boatus veluti tympanorum vehementius pulsatorum; quod obseruasse se meminerunt Ioannes Bulmius, & Desideria eius vxor: Intercinunt rancidè, & composito ad litui morem clangore Dæmones, ipsúmque cælum fragosa, aridáque voce ferunt tota turba, colluuiésque clamoribus, sibilis, pausu, vlulatibus furit & bacchatur. Et omnino talis est, quales Syrbenæorum choros fuisse memorat Athenæus [14] ex Clearcho: in quo scilicet quisque caneret, quod sibi videretur, nec auscultaret, quod præscribebat is qui choro præerat: Aut quale solet esse remigum

10. Morhangij. Cal. Sept. 1587.

11. Vergauillæ. prid. Cal. Nouem. 1586.

12. Ibidem. XVIII. Ca. Decem. 1586.

13. Amantiæ. VI. Calen. Iul. 1586.

14. Dypnosoph. lib. XV.

celeusma, vbi procellæ, tempestatésque impẽdent. Ac cùm his penè euecti sint omnes, qui intersunt: tamen priusquam dimittantur, gratias Dęmoni ingentes ab illis agi oportet, quòd eos videlicet bearit adeò festiuis, ac lepidis cantionibus: Si quis enim hoc facere aut negligit, aut detrectat, præsto illi sunt verbera: ac adeò tam sæua, crudeliáque, vt sæpè integrum biduum ex eorum dolore ei, qui sentit, sit decumbendum: vti Ioanna Gransanctæa, aliæq; eius farinæ pleræq; retulerunt. Sed hæc fortè prolixiùs de re non vtique admodum seria: non fuerunt tamen silentio prætermittenda: vt sciant homines non esse temerè, quòd sic Dæmonibus inconditæ illæ, atque absonæ voces placent. Quamquam & hoc rectè aiunt similes habere labra lactucas.

More hominum Dæmones suos conuentus agere, vbi solita in fidei clientelaris præstatione oscula, amplexúsque à suis excipiant: vnúmque ex omni numero esse veluti principem, cui his honos solenniter exhibeatur.

CAP. XX.

QVI patronis honores lege clientelari debitos præstãt, eorum se genibus aduoluunt, oscula porrigunt, iunctásque manus in illorum passas, diductásque inserunt, demissum, beneuolum, obsequentémque animum istis veluti symbolis profitens. His persimilia Dæmones à suis seuerissimè etiam exigunt, quoties conuentus suos agant, verùm more alienissimo, atque indignissimo, vti solent alia omnia facere. Atque adeò per vnum ex

suo

ſuo numero, qui tum principatum inter eos obtineat. Beatrix Bayona [1] ſponte, ac nullo etiam interrogante recitauit vnum ex omnibus ſolitum eſſe è ſuggeſtu in cella aliqua eminere vultuoſum, ac faſtuoſum, ad eúmque timidum, ac trementem ſuo vnumquemq; ordine accedere: deinde in ſignum obſeruantiæ ei ſe ad pedes abiicere, pronúmque, ac venerabundum coram amplecti. Nicolæa Ganatia [2], Cuninus Gugnotius [3], Franciſcus Fellæus [4], eius ſoror Franciſca [5], ac Barbelina Rayel [6] itidem aiunt è multis ſemper vnum eſſe, ad quem ſumma imperij ea qua conueniunt nocte, redeat. Quem principatus honorem non eſt quod quis fabuloſum exiſtimet, aut etiam ex vulgi errore, ſuperſtitionéque aliqua promanaſſe putet: quaſi ſuperuacaneum ſit ibi ordinem quærere, vbi ſine lege, ordinéque ſunt omnia: ſed ſciat eum eſſe etiam ex recepta inter pios, probatóſque authores ſententia. Nam & Diuus Thomas [7], Franciſcus à Victoria [8], & Antonius Turquemadius [9] de ea Dæmonum in Dæmones prærogatiua, ac poteſtate adeò luculenter diſſeruerunt, vt nihil amplius quæri oporteat: maximéque poſt illud, quod ex Euangelio [10] memorant obiectũ Chriſto à Phariſæis conuitium, quod ſcilicet in principe Dæmoniorum Beelzebub Dæmonia eiiceret: Nam licet ea ſit Phariſæorum oratio, habet coniunctam cum antiqua Hebræorum Theologia opinionem, ſicuti autumant in eum locum interpretes: Et id diſertè ſtatuit Euſebius Cæſarienſis [11], contra Herodem diſputans. Siquidem aſſirmat lamiam illam, quę Menippum infando amore torquebat Dæmonem fuiſſe, qui

1. Gerbeuilæi. IIII. Non. Augu. 1585.
2. Maynerij. VIII. Id. Iul. 1585.
3. Aucherij. III. Non. Ian. 1585.
4. Pangæij. XIIII. Cal. Ian. 1584.
5. Ibidem. V. Id. Nouemb. 1584.
6. Blainuillæ Id. Ian. 1587.
7. 1. part. q. 109. art. 1. & 2.
8. In repetitione Magiæ.
9. In Hexamerone Dial. 3.
10. Matth. IX. & XII. Lucæ. XI. Marci. III.
11. In cõfutatione l. VI. Philoſtrati.

ſe, qui Apollonio maioris, ac potentioris Dæmonis agenti auſpitiis obtemperauerit. Et ſi quando inferiorum ordinum Dæmones detrectant parere, quibus primum euocantur carminibus: vis demum illis denunciatur ab iis Dæmonibus nos ferenda, qui ſunt ſuperiorum ordinum. Quæ potentiſſima, caſtigandæ iſtius vel moræ, vel contumaciæ apud illos ratio eſt. Vti propriis, ac expreſſis ad id formulis docuit Hieronymus Mengus in ſuis exorciſmis ipſe anteà id à Lucano abundè edoctus. Ac quemadmodum Eccleſiæ ſuæ caput eſt Chriſtus, ita & habere damnatos ſuum Coryphæum cuius perferant imperium (hunc Porphyrius Serapidem, poëtarum turba Plutonem appellat) ſubſtantiarum quoque cœleſtium ordines alios eſſe, qui regant, atque imperent: alios rurſus, qui regimini, imperióque ſint ſubditi. Dionyſius [12] in cœleſti Hierarchia tam multis oſtendit, vt otioſæ futuræ ſint omnes rationes, ſi quæ prætereà in eam ſententiam huc afferantur. Et antiquitas maiorum, minorúmque gentium Deos diſtinctis ritibus coluit. Porrò non ſemper eſſe ſatisfactum officio ea, quę dicta, genuum poſitione, ac coxę amplexu: ſed prætereà (dictu indignum) ab inuitis ingerenda eſſe oſcula Dæmonis podici, poſtquam is ſeſe immutauit in hircum horridum, ac multò grauius olentem, quàm hœdi ſolent ineunte bruma multi memorant. Poſt hæc etiam eum migrare (inquit Ioanna Granſanctæa [13]) ad aſpicientium terrorem in immane aliquod monſtrum, vaſtitate, formaq; dolio non abſimile: cui os enorme, fumo permixtas flammas indeſinenter euomat: ídque vt pauorem

25. Cap. 6.

13. Condaij menſe Iul. 1682.

ſuis incutiat: quod ſæpè facere geſtit, quemadmodum alibi commodiùs dicetur. Adorationis etiam modus is omnium vulgatiſſimus à ſagis perhibetur: primùm in genua procumbere: auerſas deinde manus in morem obteſtantium componere: ſed poſt terga, atque inuerſas tum illum verſus porrectas ſuſtinere tantiſper, dum ſatis, ſupérque eſſe voce ſignificauerit. Ita malus, prauúſque diſtorta, ac peruerſa amat omnia.

A Dæmonibus ſæpè magna vi in fruges, ac ſata immitti variarum ſpecierum beſtiolas, quæ ea momento populentur, ac depaſcantur. Quomodóque id fieri contingat.

CAP. XXI.

EST malo Dęmoni cum natura bellum ſic odio immortali imbutum, vt quæ hæc toto conatu, ac ſtudio edere incumbit, ille contrà ad vaſtitatem, atque exitium ſemper adducere contendet. Ac quaſi ad id non ſatis ſint grandines, pruinæ, reliquæq; aëris tempeſtates, atque iniuriæ, quibus ſe vulgo immiſcere creditur; alia prætereà multa, vel ad prodigium adhibere non ceſſat, quibus id tandem conſequatur, & perficiat. Alexia Violæa [1] refert ſe, poſtquam bacchantium more hac, atque illac vnà cum æqualibus multùm diſcurriſſet, ſolitam in aërem ſpargere minutum quendam puluerem, ad id ſibi idcirco à Dæmone conceſſum: vnde erucæ, bruchi, locuſtæ, atque id genus peſtes ſatorum adeò denſæ naſcerentur, vt iis agri illico vndiquaque contaminarentur. Apra Hoſelotia [2],

1. *In agro Tetrao An. 1583.*

2. *Ad Sancti Apri. x. Cal. Mart. 1587.*

3. Haracuriæ IIII. Id. Non. 1586.
4. Haracuriæ XVIII. Cal. Ian. 1586.
5. In agro Stiuēsi Nonis Nouēb. 1580.
6. Castro Salini mense April. 1582.

Alexia Drigæa 3, Odilla Boncuriana 4, & Rosa Gerardina 5 memorant se simili facto ingentem murium copiam non semel in agris excitauisse, qui illico in terram se abderent corrodendis ortarum frugum germinibus. Ioāna Porelia 6 fatetur se eorum, quibus malè cupiebat, iumētis œstrum sæpenumerò immisisse, à quo frequentatis aculeis tandem miserrimè necarentur. Idq; præstare potuisse, quoties volebat sola plantæ quę prima ad manum veniebat euulsione, ac in terram cum præfatione certi alicuius carminis, deiectione. Petronius Armentarius, ac Ioannes Malrisius, quod suo loco fusius dicetur, lupos itidem illiso in arborem gramine aliquo excitabant, qui in illud quod iussissent ouile irruerent, nec nisi edita magna strage finem vastandi facerent. Vvelsch Antonius rogatus, vt sortilegorum sodalitati hortum, quem ponè casam suam habebat, in noctis sequentis saltationes commodaret, primùm quidem negauit se id facere posse, quòd diceret sibi ea nocte peregre esse oportere: sed cùm nihilominus pergerent rogare, atque adeò pro suo iure instare, exorari quidem se siuit: sed tamen sicuti ante causatus fuerat aliò profectus est. Postero igitur mane domum reuersus, ac hortum fortè ingressus eum passim campis, ac limacibus depastum reperit, ipsisq; bestiolis etiamnum oppletam vndiquaque horti aream. Quod tamen tacitus tulit solita scilicet nefariæ illius sodalitatis vestigia agnoscens. Nam & hæc primùm denegandi horti, tandémque domo excedendi fuerat occasio, ne proprij videlicet damni spectator, adeóque minister esse cogeretur. A c quod hic

insurgunt

insurgunt ἀπιστοῦντες, atque increduli quidam homines non esse in alterius, quàm Dei omnipotentis potestate quicquam creare, ac fingere, noui quidem nihil afferunt: siquidem omnia 7 per ipsum facta esse omnes sciunt, & sine ipso factum esse nihil, quod factum est, ne ab angelo quidem vsque ad vermes. Verùm quid vetat illa iam sparsim creata in vnum celerimè locum à Dæmone cogi, ac coaceruari, cui longè etiam difficiliora licere non vno huius disputationis loco apertè est demonstratum? Et haud scio an quæ plerumque inter tonandum vnà cum pluuia in terram decidunt veluti ranarum agmina, illius arte, atque opera ante fuerint sublata, cùm nec in aëre tam paruo momento, quo nubes ibi consistunt, generari, nec ante à sole, vti vapores, expirationésque terræ sursum attrahi, atque euehi posse videantur. Cuius generis & probabile est fuisse, quod Dæmonum imposturis adhuc ludificata antiquitate legimus 8 sanguine, terra, lapidibus, lacte, testis, oleo triduùm etiam aliquando pluisse. Nam ea à natura causam nullam probabilem vnquam habuerunt. Et illa ipsa antiquitas satis alioqui naturæ edocta leges inter prodigiosa καὶ παρὰ φύσιν accidentia semper enumerauit. Iam vt mirum videri non debeat, si quæ bestiolæ contra innatam grauitatem in sublime feruntur: imo inde in terram cum impetu etiam incolumes, ac saluæ proruunt, in eum quem natura dedit locum congeri, ac coaceruari à Dæmone queant. Siquidem vulgo id præstant, qui leuiter etiam Magicis artibus sunt imbuti: Quemadmodum nostra ætate visus est Nanceij Comes quidam è Germa-

7. *Ioan. primo cap.*

8. *Apud. Iulium Obsequentium in libro de Prodig.*

nia vniuersas cubiculi muscas circa infixum in parietem pugiunculum congregans, non aliter atque apes in fuga vberis instar è ramo pẽdere solent. Et alius è tota vicinitate, ac confinio excitos angues in ignem Magico circulo conclusum inducens, ac cum ex ijs quæ corpore immanior erat in illum ingredi detrectaret: coacta est tamen repetito identidem carmine id facere, ac se cum cæteris in obiectum ignem dedere, & prouoluere. Quæ si homines Dæmonum ope adiuti minimo negotio, etiam ad oblectationem præstant: quid quæso facturos Dæmones putamus, vbi ad explendam, quæ illis innata, atque insita est nocendi libidinem, se totos parant, ac deuouent?

Noui semper aliquid à superiore conuentu afferri oportere, quod in alterius sit patratum exitium; nec impune esse, si quis ab iniuria, ac maleficiò vacuus ad sequentem redeat.

CAP. XXII.

QVemadmodum solent heri in villicis procuratoribus, cùm eorum rationes expendunt, segnitiem, negligentiámq; duriùs castigare: ita Dæmon in suis comitijs, quod tempus examinandis cuiusque rebus, atque actionibus ipse constituit, eos pessimè habere consueuit, qui nihil afferunt, quo se nequiores, ac flagitijs cumulatiores doceant. Nec cuiquam adeò impune est, si à superiore conuentu nullo se scelere nouo obstrinxerint: sed semper oportet, qui gratus esse volet, in alium

nouum aliquod facinus fecisse. Quod Dominica Zabella [1] ait ita esse cognitum omnibus, qui nefariam illam militiam sequuntur, vt de hoc vno maximè sint soliciti, ne ad indictos conuentus veniant ab ea ratione imparati. Ac ne in hoc se ignorationis excusatione vlla defendant, improbus ille Magister sigillatim de omnibus, quæ à suis postulat, scholas habet, præceptáque tradit: veluti de frugibus inferenda calamitate; de immittendis in arbores, fruticésue bruchis, papilionibus, erucis, atque id genus infestis vermibus: de fascinando pecore: de segetibus pelliciendis, labefactandísque, ærugine, aut tabe quauis alia: de spargendis venenis, atque adeò de perdendo, quantum in eis est, vniuerso mortalium genere: vt vnumquodque horum singuli testatum sua confessione reliquerunt Hennel Armentaria [2], Anna Ruffa [3], Ioannes Piscator, Coleta eius vxor [4], Matheola Guilleræa [5], Franciscus Fellæus [6], ac ferè omnes, quos ea sortilegij labes aspersit.

1. Rogeuillæ in agro Tentræo Anno 1583.

2. Dusæ prid. Cal. Octo. 1586.

3. Ibidem Ca. Octo. 1586.

4. Gerbeuillæ IIII. No. Maias. 1585.

5. Pangæij. prid. Nonas Decem. 1584.

6. Ibidem. XIIII. Cal. Ianua. 1584.

Dæmones se in variarum animantium formas pro tempore atque vsu inducere: quoties inter suos versari volunt, præcipuamque semper esse hirci, maximè cùm se publicè colendos, venerandosque exhibituri sunt.

CAP. XXIII.

DÆmones non esse prauos mentis in hominibus affectus, quemadmodum Democritus, Auerroës, totáque adeò Peripateticorum schola commenta est: sed potius spiritus, vt sic dicam, essentiales, ac sua natura constantes satis illud Euan-

gelij [1] arguit, vbi memoratur illis rogatu ſuo conceſſum fuiſſe, vt in porcorum gregem abirent. Quomodo enim auaritia, ambitio, ac perfidia in porcos demigraſſent? Rurſus eos cùm veluti in certamen cum homine deſcendunt, non vanis imaginibus, ac ſimulacris: ſed comparatis, quæ ſub ſenſum cadãt, corporibus, ac φανερῶς, καὶ ἔμπροσθεν congredi: ſic eſt non vno iſtius diſſertationis loco demonſtratum, vt ſuperuacaneus futurus ſit labor, ſi quis iterum in eam rem impendatur. Sed hoc operæpretium eſt nunc videre, quas illi formas, ac ſpecies præcipuè ſibi aſſumant, non quidem pro eius elementi, in quo verſantur qualitate, & differentia (quod Pſellus [2] attigit) ſed vti id, ad quod ſe parant, munus, ac officium magis poſtulat, atque exigit. Cùm igitur primum aggrediuntur hominem alloqui, ne is ad inſolitæ rei aſpectum tam facilè expaueſcat, humana libentius ſpecie occurrunt, eáque adeò, quæ præ ſe ferat honeſtiorem aliquam fortunam: nimirum quo verbis ſuis authoritatem, fidémque maiorem adiungant: Illíſque ob id veſtis nigra, & promiſſa magis placet, quòd ea vtatur nemo, qui non ſit apud ſuos in aliquo honore, & & pretio. Quamquam non deſunt, qui ad tegendam potius pedum fœditatem (quod illis perpetuum eſt inſigne, ac veſtigium inſitæ turpitudinis) conſulto adhiberi putent. Cęterùm colorem atrum magis arridere, quia nihil niſi atrum, funeſtúmque ipſi vnquam hominibus moliantur. Ac vbi iam conſuetudine aucta eſt familiaritas, & cœpit pauor frequentatione paulatim decedere, tum pro vſu, atque tempore modò in hæc, modò in illa vertunt

1. Matth. cap. 8. verſ. 32.

2. Ca. quomodo Dæmones occupẽt hominem.

animalia: vtpote, si quempiam per viam comitantur, canem frequentiùs referunt, quod is, etsi assiduè subsequatur, nullam tamen aspicientibus suspitionem malæ rei præbeat[3]. Sic Andræas quidam Italus canem cæcum, & ruffum secum ducebat Anno M. D. XLVIII. qui vniuscuiusque arcana aperiret, stupendáque alia plurima ederet. Sic Cornelius Agrippa [4] cacodæmonem nigri canis specie quotidianum asseclam habebat, cui collare erat loreum Magicis per clauorum emblemata notis inscriptum. Sic Dæmones septem in Nicæa ciuitate [5] inter sepulcra delitescebant sub forma obuios quoque incessentes: donec eos Diuus Andræas [6] rogante populo in solitudines exegit. Sic non ita pridem rusticus quidã apud Vogesos (huic Desiderio Financio nomen fuit) si quando vnà cum popularibus discumbebat, pedibus aduolutum canem habebat, à quo demissa clam manu venenum acciperet, quod deinde cui vellet infunderet. Ex eóque satis multos periisse, priusquam illius fraudis in eum vlla trãsferretur suspitio. Quod si quem transuerso aëre sunt vecturi, vti sæpè euenit, cùm ad conuentus suos nocturnos properant, equum (quod animal in eo genere officij maximam pernicitatem habet) sæpius induunt, ac sessores ingenti quò volunt celeritate transmittunt. Sic memorat Olaus Magnus [7] Hadingum Danorum regem in suum regnum, quo nonnullorum factione fuerat eiectus, per immensa maris spatia ab Othini Dæmone in equi specie esse reductum. Et Torquemadius in Hexamerone recitat habuisse se cum primùm literas attingeret, æqualem cui sub

3. *Eutrop. lib. XVI.*

4. *Vuesperg. in Iustinũ.*

5. *Paulus Iouius in eius elogio.*

6. *Abdias Babyl. Episcopus. lib. III. historiæ Aposto.*

7. *Lib. III. histor. de gentibus Septent. I. ca. 19.*

ſub noctem Gadalupo, vbi Grammaticæ dabat operam, ad deambulationem egreſſo obuius in equo Dæmon perſuaſit, vt poſt ſe in eodem equo ſederet viam vnà confecturi Granatam, quo vtique animus erat poſtridie contendere: Hocq; iter licèt longa diſtans intercapedine, vnica tamen nocte, etiam in tardo, & claudicante equo expediuiſſe: Ac ne quis huic de ſe talia narranti paruam fidem habeat, viris fuit non vulgaris, ac cuiuſuis pretij, vt qui in Caroli V. Imperatoris comitatu Medicinam honeſtiſſimis ſtipendiis fecerit. Et alicubi [8] ſi benè memini habent Francorum Annales (eum quidam aſſeruit fuiſſe Comitē Matiſconenſem) qui ab epulis, quas tum fortè otioſus celebrabat, foras euocatus in præſtolantem præ foribus equum inſilire cogeretur, à quo ſtatim videntibus multis ita ſublimis tolleretur, vt videri illico deſineret: Nimirum ſi dies, eáque hora illi dicta erat, qua ex parte in malam rem eſſet à Dæmone abducendus. Et Inuillæ ad Theriotrophium, pluribúſque aliis in locis huius prouinciæ teſtatum reliquerunt, ſuos à ſe ſæpiſſimè viſos eſſe Dæmones D. Humberti præ ſe ferentes imaginem; qualem vulgo in triuiis depictam videre licet. Iam verò ſi ſortilegos alicuius rei monitos eſſe oportet; & ſunt tamen in præſentia, qui colloquium impediunt homines, in muſcam exiguam migrat Dæmon, iam ob id noto nomine Beelzebub, atque eo habitu vicinas auribus partes ſubit, quo propius quæ vult inſuſurret. Idq; Claudia Symoneta [9] Caſteleti ſortilegij damnata, præter pleraſque alias, quarum nomina nunc non ſuppetunt, vnà cum Antonio filio obſeruauit, in-

quientes

8. Hugo Floriacenſis, Petrus Abbas Cluniacenſis, Gul. Paradinus in Chron. Sabaudiæ.

9. III. Cal. Octob. 1588.

quientes sibi circa tempora obuersatum fuisse illa muscæ specie Dæmonem, cùm in carcerem deducerentur, ac diligenter monuisse, ne se ipsi intentati criminis manifestos sua confessione facerent, quamlibet exquisitis tormentis ad id vrgerentur. Confessos enim certissima, ac sæuissima supplicia manere: contrà si linguam continerent, futurum, vt propediem salui, incoluméque euaderent. Noctu etiam sæpè iuuat in alienas ædes per tegulas, per cancellos, pérque tenues atque angustos alios meatus se vna cùm Lamiis suis intromittere: Huic vsui felis conuenientissima est forma. Hanc sibi assumunt adeò germanam, ac natiuam, vt nisi rabie, qua maiore grassantur quàm solent domestici, vix distingui, ac dignosci queant: Sicuti plerique omnes, quibus aliquãdo ea res perspecta fuit, constanter asseruerunt. Iam si quem hoc vrit, quod sui loci, atque ordinis alius quispiam in pascendo pecore se diligenter habeatur, solicitúmque tenet quomodo conceptum in illũ ex ea inuidia odium, amota omni suspicione, expleat: tum auxiliaris aliquis Dæmon ascisscitur, qui lupi formam prædabundus in eius gregem irruat, ac edita strage serui incuriam apud herum accuset: quam etiam peculij damno tandem sarciri illum conueniat. Id se Petronius Armentarius[10], & Ioannes Malrisius[11] ita factitasse inter alia nefariæ suæ artis portenta ingenuè sunt professi: Ascisscendíque, atque euocandi Dæmonis modum fuisse, euulsum gramen in fortè obiectæ imminentis arboris truncum conceptis quibusdam verbis impingere, quo facto inde lupus statim exoriretur, qui momento designatas ad

10. Dalhemij in vasto regno.

10. Sexaij Transylua-nij.

cædem pecudes discerperet: Nam certè ei ministerio cōuenientius nihil deligi poterat ea fera, quam natura præter alias præcipuè ad prædam instruxisset. Vrsi etiam forma non nunquam gestiunt videri Dæmones, cùm videlicet hoc agũt, vt suis quam mixime terribiles appareant; quod tum præsertim demonstrant, cùm tempestatibus in aëre commotis suam immanitatem ostentant. Idq; obseruasse se non semel recitauit Barbelina Rayel[12], addens consueuisse illos præterea ad maiorem horrorem cymbalorum, tintinabulorum, cathenarúmque longam post se seriem trahere, fremitúque, atque vlulatu horrendo omnia permiscere: In quo tamen illam hallucinatam fuisse facilè crediderim, ac speciem imitationémque pro veritate in tanto tumultu, ac trepidatione præcipitanter accepisse. Quamuis & sic horribili forma à se visum retulerit Hernias[13] D. Pauli (vt quidam ferunt) discipulus: nimirum bestiæ, quæ cetis instar erat, locustásque igneas ore affatim euomebat. Postrema, eadémque gratissima est illis hirci forma, cùm non iam alicui se ministerio parant: sed magis hoc agũnt, vt ipsi obseruantia aliqua suis se colendos exhibeant, atque apud eos maiestatem aliquam sibi constituant. Quam veluti personam quare ei potius actioni adumbret, non est facilè coniicere, nisi si hoc est, quod regem decet eo habitu in publicum prodire, qui maximè eius virtutes exornet, ac demonstret; aut quod de Pythagoræorum μετεμψυχώσει memorant, id corpus iuuat potissimum inire, quod moribus, ingenióque conuenientissimum est. Hircorum

12. Blainuillæ ad aquas Id. Ianua. 1587.

13. In lib. qui Ecclesia dicitur, visione 3.

corum præter cęteras pecudes nobilitatur grauco-lentia: nulla re tam certo suam Dæmon testatur præsentiam, quàm odoris fœditate intolerabili. Hircorum libidinosa obscœnitas etiam prouerbio locum fecit; hoc vnum Dæmon præcipuè satagit, vt suos rebus Venereis quam maximè deditos habeat: Et ne desit occasio, ipse se quoties illis occurrit in eam formam induit, quę huic vsui sit accommodatissima; nec adeò de stupro interpellare cessat, donec ad id, quamuis ingratissimum, iniucundissimúmque illos pellexerit: Hircorum in obuios quosque effusa sæpè petulantia est, nulla non obit, ac pererrat terrarum loca Dæmon, dum offendat in quem impetum, incursúmque faciat: Hirci saliua fructuis (inquit Varro[14]) venenum est, eiúsque dentes satis interitus, ac pestis præsentissima. Quæ etiam causa fuit, vt in lege locationis fundi excipi soleret, ne colonus capra natum in fundo pasceret. Et Astrologi ita id animal receperunt in cœlum, vt eum extra limbum duodecim signorum collocarent: Satanæ viperinus morsus est, afflatus lethalis, & exitiosus: sic postquam è cœlitum concilio, ac cœtu est deturbatus, hominum rebus se importunum præbet, vt nulla maior cautio sit ijs, qui in tutela pecoris Dominici excubant, quàm illum longissimè ab eius septo arcere, ac prohibere. Hircis obtutus trux, ac ferox, frons cornibus aspera, barba promissa, ac inculta; villi temerè pendentes, succincta crura, totúsque adeò habitus corporis ad deformitatem, fœditatémque comparatus, vt aptior ab eo deligi non queat, qui intus forísque fœda, horrenda, atque immania habet omnia. Siqui-

14. *Lib. 1. de re Rustica ca. 2. & Libr. 11. ca. 3.*

dem similes (quod aiunt) conuenit habere labra lactucas. Et omnino qualis qualis ratio fingi possit eorum penes quos huius rei fides esse debet, consentienti renunciatione testatum accepimus hircinum istiusmodi phasma, ac personam Dæmoni longè esse gratissimam: præsertímque, vbi se suis honore aliquo afficiendum exhibet. Quod & Gaguinus [15] scriptum reliquit de quodam doctore Theologo primatum monasticum apud Ebroicas obtinente (huic Gulielmo Edelino nomen fuit) qui cùm illustrem quamdam matronam deperiret, neque tamen eius potiundi spem vllam relictam iam videret, à Dęmone quouis pretio depasciscendos sibi eos amores potius existimauit, quàm non illis tandem frui pro libidine. Ergo id vt impetraret supplex (ea enim pacto addita fuerat conditio) Dęmonem in hirci specie veneratus est. Eam quoque τραγολατρείαν Torquemadius [16] vir Hispanus frequentem apud suos esse memorat. Eos si eius initium longiùs arcessere placet, ab antiquissimis ad hæc nostra tempora iam manasse reperietur. Nam & in Apollinis arce ingentem seu hircum, seu arietem æneum edito in loco repositum fuisse, cui diuini honores adolerentur, Hesychius, alijq́; Græci scriptores meminerunt. Imò & hirco in sacrificijs impensiùs delectatos Dæmones fidem facit illud Thesei; qui cùm in littore maris Veneri capra fecisset, subitò ea in hircum, quasi ea sola grata esset hostia, immutata est: vnde & post Epitragia vocari cœpit. Idem factitatum in Calchæ templo, quod in Gargano monte visebatur, tum in eo vbi Amphiarai oracula reddebantur, & Strabo, & Pausanias

15. *Libr. x. de reb. gestis Franco. regum.*

16. *In Hexamerone.*

scriptum

scriptum reliquerunt. Et Ægipanes, Satyri, Fauni, Sileni, aliáque rusticorum Deorum turba, quos vano errore delusa gentilitas coluit, hircinis deformes membris sese semper visendos præbuerunt.

Quietam, & laboris expertem fuisse, quæ olim euenisse legitur hominum à bonis Angelis per aëra transuectionem: eam verò, quæ nunc circumfertur sagarum à Dæmonibus, plenam esse molestiarum, & lassitudinis.

CAP. XXIIII.

HAbacuc Propheta momento ex Iudæa in Babylonem translatus fuit, vt pulmento, quod messoribus suis vehebat, Danielem in lacu leonum pasceret; in Iudæam ab eo loco pari celeritate relatus. 1. *Danielis 14.* Philippus quoque Diaconus, postea quam Eunuchum Candaces Æthiopum reginæ baptisasset in via, quæ ab Hierosolymis in Gazam ducit, subitò in Azoto visus est: 2. *Actu. Apost. cap. 8.* Et aliàs sæpè spiritus Domini multos rapuisse, ac in longinquissimas regiones incredibili celeritate transportasse in sacris literis legimus. Verùm adeò tranquilla, ac quieta vectione, vt somnio potius quàm vera aliqua migratio esse videretur: vt cuius beneficia semper adiuuant, nusquam decipiunt: Satanæ contrà vbiq; perniciosa sunt officia, suspecta, molesta, damnosa liberalitas, intempestiua studia. Ergo si quando subleuandi laboris occasione suos ille per aërem transmittit, longè grauiori languore confectos relinquit, quàm si in negotiosissimo itinere viam asperam pedibus confecissent. Quemadmodum Catharina

3. Vellæ ad Mosellam v. Cal. Iul. 1587.

Russa 3 Dæmonis, cui se addixerint, fraudes, atque imposturas in medium proferens enumerauit. Addit & Barbelina Rayel 4 se sæpè ex ea gestatione in tantum exagitatam, ac defatigatam fuisse, vt domum reuersę perpetuum triduum decumbendum esset, priusquam pedibus consistere posset.

4. Blainuillæ ad aquas Id. Ianua. 1587.

Hoc quamuis memoratu incredibile, vno tamen ore sagas omnes loqui suscitandarũ nubium potestatem sibi à Dæmonibus sæpè fieri; quas postquam vnà cum iis sunt elatæ, pellant, trudántque quò velint, ac etiam nisi si quid obstat in terras excutiant. Quæque eius molitionis propria, peculiariáque ab illis memorentur.

CAP. XXV.

NOn est dubiũ, quin quod sequitur futurũ sit supra omniũ fidem, ac multis etiã fortè ridiculũ. Hoc certè memini testatũ spõtanea, ac libera assertione plus minus ducentorũ hominũ, qui me Duũuiro damnante incendio, crimen sortilegij luerũt: statis, certísque diebus solitos conuenire se gregatim ad ripam, vel stagni, vel riuuli alicuius, maximéque si quis esset, quem solitudo à prætereuntium oculis sepositum haberet; atque illic aquas accepta à Dæmone virga tantisper diuerberare, dum vapores, fumósque abundè excitarent, quibuscum vna sublimes efferrentur. Illud deinde, quod sic esset excitatum se in nubes densas, ac caligantes induere, quod postquam vnà cum Dæmonibus ei essent inuoluti, agerent, pelleréntque quo erat libitum, ac tandem multa præcipitatum

grandine in terras decuterent. Salome [1], & Dominica Zabella [2] addunt, priusquam eo modo aquam exagitarent, consueuisse in eam immittere vel ollam fictilem, qua nonnihil antè inclusisset Dęmon aspicientibus incognitum, vel etiam lapides tantos, quantam optabant pluere grandinem. Decker Maygeth [3] solitam se vnà cum sceleris popularibus acceptas à Dæmone candelas cæruleas in stagnum Fontersgrube tantisper deuexas, ac lumine pronas tenere, dum id affatim guttis suis instillassent: tum puluerem aliquem medicatum in id quoque spargere, ac disseminare: tandem aquas virgis nigris, quibus à Dæmone suo essent donatæ, identidem ingeminatis quibusdam verbis ad execrationem, detestationémque certis, ac propriis contentissimè etiam diuerberare. Quo facto totus aër statim infuscaretur, at tandem largos tum imbres, tum grandinem in ea, quæ iussissent, loca, nisi si quid fortè obstaret, effunderet. Quę sic excitãdarum nubium ratio non nũc primùm inoleuit, sed & à multis iam ætatibus narrauit Pausanias [4] in Lycæo monte Arcadiæ fuisse vsurpatam. In eo, inquit, fons fuit nomine Agno tam admirabilis naturæ, vt re diuina ibi curiosiùs peracta, quernóque ramo aqua leuiter commota mox densus inde surgeret vapor nebulæ assimilis, qui non multo post effecta nubes, aggregatis item aliis largos imbres demitteret. Non est igitur hoc nostræ ætatis inuentum. Non est etiam vetularum, quarum mentes Dæmon deprauauerit, visum, aut insomnium: sed ipsis vigilantium ac sanorum, qui præsentes affuerant, oculis res certo, ac liquido compertia, atque explorata.

Quam

1. *Vergauillæ VI. Cal. Septem. 1586.*
2. *Rogeuillæ in agro Tetrao 1583.*
3. *Morhangij XIII. Cal. Iun. 1591.*
4. *In Arcadicis.*

Quam & confirmát quę sequuntur ex Malleo Maleficarum narrationes: quas quoque illorum, qui eos scripserunt, fidem secutus non dubitaui hîc exponere. Quæsitores quidam cùm periclitari vellent in venefica muliere, quam fortè in vinculis habebant, veráne essent, quæ de sua in commouendis tempestatibus potestate sortilegi prædicarent, eámque ob id manu sua misissent (nam tantisper dum in reatu manent, Magicas vires omnes illis esse ademptas certum est) secedens illa in confertum arboribus locum ibi scrobem, quam manibus ipsa foderat, lotio oppleuit, quod demum digito mouere non destitit, quoad ex eo suscitatus, atque elatus vapor in nubem opacam concresceret, quàm statim tonitrua ac fulgores crebri intersecarent, maximo cum aspicientiũ metu, ac formidine. Sed illa, bono animo este, inquit: iam faxo, vt nubes hæc in ea quæ voletis, loca tota deportetur: quę cùm illi in propinquas solitudines designassent, eò subita ventorum vi, ac tempestate delata nubes properè in saxa, ac grandines disilijt calamitate interim omni, inter demonstratos, iussósque fines se cohibente, ac cõtinente. Huic quoque παράλληλον est quod sequitur de rustico quodam Suauiensi, cui de siccitate, qua tum laborabatur, vehementius conquerenti, fortè præsens octo annorum filia recepit se, si ita iuberet, ipsius agrum, in quo tunc vnà consedebant, largo imbre statim esse irrigaturam. Ac cùm pater dixisset se id percupere, illáque pauxillulũ aquæ ad id sibi dari postulasset, ad torrentem, qui in propinquo decurrebat, deducta est, vbi ea agitata vnda illius Magistri (aiebat) auspicij,

ciis, cui se mater addixerat, tantum illico pluuiarum cœlo exciuit, vt satis essent ei agro abundè irrigando, cæteris interim quaqua versum perinde atque anteà sitientibus. Huic exemplo affine est & quod sequitur. D. Claudius Perotius 5 Grammatophilacio sodalium D. Georgij apud Nanceium præfectus, vir certè bonus, & cui in re grauiori facilè fidem adhibeas, de istis differenti mihi apud familiares asseuerauit æqualem habuisse se olim fortè, & in eius sceleris societatem cum patre sortilego aggregatum, qui eiusmodi vapores è pelui cui frigidæ paululum antè esset iniectum, videntibus omnibus, vnà aderant in ludo literario, excitaret. Ioannes Charmæus 6, Iana Oberta 7, & alij eius farinę complures, se non per somnium: sed suis vidisse oculis memorant ingentem sui similium numerum secum sic excitatas nubes hac, atque illac vento, emissáve sagitta ocyus percurrentium; ac non aliter, quàm densum fumum scintillæ traiiciunt, atque intercidunt: interímque fragore, atque immani tonitru circumcrepantia omnia audiuisse. Alexia GranIanna 8 narrat, cùm itidé nubibus permixta vectaretur, ac fortè præteriens in eum peruenisset locum, vnde despiceret ex municipibus suis quendam equos pascentem, cui nomen erat Ioanni Vehon, ex improuiso astitisse sibi atra, ac prægrandi figura hominem, qui veluti obsequendi cupidus rogaret, ecqua illic esset, quæ ei rustico malè cuperet: se in promptu habere, vnde illum vlcisceretur. Ac cùm ipsa respondisset sibi cum illo graues esse inimicitias, quod vnicum filium olim in eius pascuis equitium habentem penè verberi-

5. Aquosæ in ædibus M. Mathurini ludimagist.

6. Gerbeuillæ Id. Octob. 1581.

7. Sanpetromontij V. Id. Nouem. 1581.

8. Blainuillæ ad aquas XVII. Cal. Febr. 1587.

bus necasset, Eia (inquit ille) assentire modò, iam saxo ne diutius id inultum ferat: Ac dicto citius in sublime elatus, vel quo nulla queat intendi oculorum acies, illico fulmen cum ingenti flamma, ac fragore in subditos equos contorsit, ex iisque duos prostrauit, vidente ac multum trepidante rustico, qui vix passus triginta ab eo loco aberat: sicuti ipse

9. Blainuillæ ad aquas Id. Ianua. 1587.

est elogio suo testatus. Barbelina Rayel[9] addit dolia transuersa per nubes à sortilegis adnitente Dæmone impelli, ac volutari tantisperdum ei loco impendeant, quem designarunt ad calamitatem: ac tum demum illa disrumpi in saxa, & flammas, repentinóque impetu pessum ire, ac obuia quæque contererе.

Campanarum sonum, quòd eo ad pias preces excitentur homines, Dæmonibus infestum esse, atque inimicum, earúmque non abs re vsum frequentem esse, vbi tonitrua, grandines, reliquæque tempestates, quibus se illi creduntur immiscere, ingruunt, atque impendent.

Cap. XXVI.

IS mos pridem Christianis ioleuit, vt campanis excitentur ad pias preces, ac vota, vbi periculum, difficultásque aliqua impendet. Quod est factitant præcipuè, si quando aër nimbis, tempestatibúsque vehementius commouetur, & grandinem, ac fulmina minitatur. Earum igitur sonum vt audit Dæmon, in maximam indignationem erumpere solet, inclamans prohiberi se incepto rabidarum isto canum latratu: quod Maria[1], vxor Ioannis Sartoris

1. Humburgij Non. Iun. 1590.

in Me

in Metzerech, ac ante eam pleræque aliæ, quas nunc meminisse laboro, certo certius se compe-risse dixerunt. Ac si quando quas ille canes intel-ligat à suis rogetur, eas dedignans suo nomine, vti facere solent, qui in eorum mentionem quos odio aliquo prosequitur incidunt: respondet Be-guenotas illas garrulas, atque obstupentes, quæ nunc, vt auditis, odiosè adeò nobis obganniunt. Hocque Catharina Pigeon [2] ob sortilegij crimen non ita pridem damnata, vnà cum aliis pluribus sua confessione clarum reliquit. Quòd autem id il-li ex animo doleat, nec offensionis affectatam vl-lam simulationem habeat, sæpè experientia com-pertum habuisse se omnes, quæ de ea re interroga-tæ sunt sagæ affirmauerũt: Et id satis indicat, quod non rarò earum pulsatores fulmine percussos audi-uimus, nec ferè mortalium alios eius iniuriæ magis esse obnoxios, quod & alibi attigimus. Impedi-mentum porrò tempestatibus ex ea re maximum creari vulgus sagarum loquitur: Et ea opinio sic quorundam animos imbuit, vt iam præsentius re-medium nullum aliud esse putent, nihílque quod æquè Dæmonum conatus infringat, atque impe-diat. A qua etiã non est alienum, quod scribit Pau-lus Grillandus de Itala quadam venefica (huic no-men fuit Lucretiæ) quam cùm Dæmon dimisso vt assolet conuentu sublatam domum reportaret, au-dito campanæ signo, quod ad Deiparam virginem salutandam dari solet, illico in subiectas sentes, ac dumos quasi viribus defectus abiecerit, vbi à iu-uene quodam, cui tum illac iter erat, visa, atque a-gnita primum quidem aliud figere cœpit, ac com-

2. *Anno M.D. LXXXIIII.*

miniſci:ſed tandē ſuis ipſius iugulata verbis, vt rarò mendacia cohærent, rem vti erat, ſilentij tamen fide prius mercede pacta, omnem iuueni indicauit: Quam cùm is, vt eſt ea ætas arcani parum tenax, ex æqualibus vni incautius prodidiſſet, ea in vulgum quaſi per manus ſparſa ad Magiſtratus aures etiam accidit, qui diſquiſione ampliore teſtatum, ac comprobatum facinus ſeueriſſimè animaduertit: Nequicquam tamē illas pulſari, ac ſonare aiunt Hennel Armentaria 3, Ioāna Oberta 4, ac quædam aliæ aſſeruerunt, niſi id fiat maturè: videlicet priuſquam nubes circumiectum pago territorium attigerit. Equidem præoccupanda facies Domini 5, & manus eius præuenienda eſt, laudaríque multum debet prompta, ac parata in eo ſedulitas, & diligentia: ſed nec importunum, alienúmque orationi tempus eſt, cùm ipſæ iam vexant procellæ attingit calamitas venit tempeſtas.

3. Duſæ prid. Cal. Octob. 1586.

4. Sanpetromontij VI. Id. Nouem. 1581.

5. Pſalm. 94.

Confringens tegulas, imbriceſque.[6]

6. Plaut. in Moſtell.

Nam tam adeò promptum eſt præſens malum tollere, quàm impendens, imminénſque auertere. Quodcumque 7 temporis momentum ad eum orandum tempeſtiuum eſt, atque opportunum. Commentum igitur eſt ſagarum ea ab illarum Magiſtellis adinuentum cauſa, vt hominibus diuinæ opis ſpem omnem inter ipſas miſerias, atque ærumnas præcidant. Addit Feuxen Eugel irritum, ac inefficacem eſſe earum ſonum, ſi quæ ex illis dum luſtrarentur à ſacerdotis concubina fuerit nuncupata. Quod ego ridiculum, abſurdúmque exiſtimo. Ac licèt negent recentiores quidam eam in aëre Dæmones poteſtatem habere, vt grandinem, &

7. Luc. XVIII. verſ. 1.

nem,& alia id genus dira faciant,ob ídque vanam esse,& impiam de pulsandis campanis contra tempestatum vim superstitionem: in hoc tamen conueniunt Dæmonibus interdum multa extraordinaria permitti à Deo, in quibus partes suas non obscurè interponant: Plurimáque adeò ipsos agere,quorum vis sensum nostrum, & vsitatam rationem superet. Quod & ex Iob historia sacra, & D. Pauli Epistolis [8], qui disertè illis aëris potestatem attribuunt satis clarum, manifestúmque est: Ac si hostem aduentare, atque etiam imminere classico significetur,id non illico damnandum est,quasi in eo sono, ac canore Martio aliquod aduersus illius impetum, insultúmque etiam oscitantibus præsidium constituatur. Nam ad arma potiùs conclamatur, vt milites soporem, socordiámque excutiant, diligenter agant excubias,aliáque quæ militem iuuat munia strenuè obeant. Induite, inquit idem D.Paulus [9] tuba Euangelij, armaturam Dei, vt possitis stare aduersus Diaboli insidias:Christianis arma sunt oratio,& gratiarum actio,quæ audito Campanarum signo, quod ad eam rem ex vsu mortalium nunc proprium est populariter capiuntur. Siquidem prope est Dominus [10] omnibus inuocantibus eum in veritate, vota suorum exaudit, aures eius ad preces illorum.Ac quod quidam optimè dixit oratione pia commouetur cœlum [11], recludũtur ostia loci illius inaccessibilis, in quo maiestas Dei inhabitat. Sunt & qui eũ Nolanas [12] pulsandi ingruentibus tẽpestatibus morẽ ambitiosius defendentes addant, & vim illis inesse dissipandi aëris, dispergendarúmque nubium ex sonitus sui

8. Ad Ephes. cap. 2. ver. 2.

9. Ad Ephes. ca. 6.

10. Psalm. 145. vers. 8.

11. Psalm. 34. vers. 16.

12. Petr. Messias varia. lect. lib. 11. cap. 9.

immanitate, & vehementia, quasi si illud non succedat, hoc ei, ceu subsidium aliquod accedere conueniat. Ac non aliæ res, vti sunt tormenta bellica longè potentius, si expediat id præstent, atque efficiant. Quamquam & hoc à nonnullis vsurpari audio: verùm conatu vtique irrito, atque inutili: Qui enim satis validè concutere queat, rem tam multa intercapedine dissitam, tam vasto, atque denso corpore præditam? Quam nec inclusa tonitrua fragore, nec eluctantia fulmina iaculatione, nec flagrantia fulgura commotione sua dissoluere, ac dispergere valeant. Et vt sit dispergendi facultas, quo quæso ruinæ iam, fœtarum grandine nubium. Nam certè dissipatio fragmenta habet, ac κλάσματα, quæ necesse sit momento in ea in quę incumbunt loca præcipitia ferri, ac ruerę. Perinde igitur hoc esse existimauerim, quasi qui olim (vt refert Plinius [13]) popysmis fulgetras Iouem iratum deliniturі adorabant: Aut illud quod est in prouerbio: Vespa cicadæ obstrepens, Catulus leonem allatrans.

13. *Nat. histo. Li. XXVIII. cap. 2.*

Vestigiis veluti vnguium sæpè impressa, atque exarata apparere, quæ fulmine sunt percussa, quod opinione multis adfert admittentis Dæmonis, cui fama est, cùm se in corpus aliquod induit, maximè id placere: quod vncis, hamisque in morem feræ bestiæ sit instructum.

CAP. XXVII.

VSu venit vt quæ fulmine sunt afflatæ, ac percussæ arbores, muri, pauimenta, vestigia sæpè osten

ostendant veluti vnguium; quæ alij à Dæmone, cui rumor est hamatas, atque vncinatas esse manus, credant: alij id, ceu anile, deridentes in naturæ, quæ rariora, ac difficiliora sæpè edit solis causis positum esse affirment. Expeditum siquidem, & promptum esse fulmini in eas partes sua se volubilitate scindere, quę speciem sic incuruatorum radiorum prębeant, vti flammæ, cuius plurimum admixtum habet, proprium est virgatis notis ea, quæ lambit, inscribere. Quod & in Ephesini templi incendio animaduertisse se recenset Aristoteles [1], & passim in ædificiorum, quæ igne consumpta sunt, reliquiis obseruare licet. Tum eius quod corporis est expers in id quod est particeps actionem nullam esse posse, quæ sic ex impressione notam, ác vestigium relinquat. Sed has omnes vna delet ratio ex eo ducta fundamento, quod in huius operis peroratione posuimus Dæmones sæpè ex solida materia corpus sibi comparare: tum eo habitu fulminibus Dei nutu, ac voluntate permisceri, ad deinde multa efficere, quæ sunt præter omnem tributum inanimatis à natura motum, atque ordinem, veluti cùm sursum, deorsúmque meant, ac remeant, quasi aliquid scrutentur, atque inuestigent. Vnde & nomẽ illis σκώπτα: Aut cùm obuia aliquando declinauit [2], vel peruadunt innocenter: aliquando etiam proterunt, ac pessundant. Vt hic etiam ἀντιπεριστάσεα adiiciam, quibus licet Aristoteles [3] naturalem causam attribuat: tamen mira valde ea sunt, habéntque sine dubio (vt inquit Seneca [4]) insitam potentiam aliquam diuinam: vt potè cùm ferrum, aut æs, quo scutum tegitur, liquatur: ligno interim nullam vim exter-

nam

1. *Cap. 1. Lib. III. Meteor.*

2. *Volaterra. Philo. Li. 36.*

3. *Cap. 1. Lib. III. Meteo.*

4. *Lib. II. natura. quæst. cap. 31.*

nam accipiente: loculis integris, atque illæsis conflatur argentum: stat fracto dolio vinum: malorum serpentium, aliorúmque animátium, quibus mortifera vis inest, venenum omne consumitur: prægnantis mulieris, ea superstite, atque incolumi, fœtus exanimatur. Vt non omnino explodenda videatur eorum sententia, qui in istis aliud quiddam, quàm quod in naturalium causarum serie, atque ordine positum est intercedere putant. Maximè cùm id testatum reperiatur consentienti ferè omnium voce, qui se nostra ætate in Dæmonum potestatem tradiderunt, eo modo scilicet solere illos, cùm furunt, ac bacchantur vnguibus digladiari: vti & non pridem Iana Nigra 5 Armacuriaua retulit de Magistello suo, qui Nicolai Bequenotij stabulum noctu ingressus, vt ibi eius equum interficeret, priusquam id aggrederetur facere, exteriorem parietem sic vnguibus exarauit, vt (quod aiunt) ex iis facilè leonem coniiceres. Et memini me nondum ex ephebis egresso, cùm Chermis (quæ mihi patria est) fulmen vniuersas ædes propinqui mihi hominis esset peruagatum, ad extremum eam porticum qua id se foras eiecerat inscriptam profundis, frequentibúsque vnguium vestigiis reliquisse. Quæ, cùm populares rei nouitate adducti magna cum admiratione certatim inuiserent; accurri, & ipse eáque præsens vidi, non sine aliqua narium offensione; cùm sulphuris teterrimo nidore ædes illæ adhuc oppletæ essent.

5. Leberij v. Cal. April. 1588.

Non

Non rectè sentire, qui cum Epicureis negant Dæmones hominibus occursare, solatia afferre, terrores miicere, insidias parare, iniurios, molestos, ac noxios esse: cùm hæc passim tum sacræ, tum prophanæ historiæ perhibeant, hodiernique adeò sagarum omnium sermones vno ore confirment.

CAP. XXVIII.

THeodorus Bysantius[1], totáque adeò Epicureorum schola negauerunt sapienti visum vllum vnquam fuisse obiectum. Si quod enim aliquando auditum sit adparuisse, id pueros, mulierculas vecordes, atque ægrotos, quibus formidines ex imbecillitate animi, ac rerum ignoratione existunt, authores, atque assertores habuisse. Et hæc quidem illis ex alia longe absurdiore nata est opinio: non esse scilicet in rerum natura spiritus, ac Dæmones: proindéque ab illis frustra istiusmodi phasmata, ac terrores metui. Ad quam persuasionem, & Cassius vnus ex ea Epicureorum familia conatus est Brutum virum nihilominns constantem, & moderatum adducere: vti in eius vita recitat Plutarchus[2]. Sed huic reliquę ferè omnes philosophorum reclamauerunt sententiæ: Et ipsa experientia à multis ætatibus repetita eam satis à commenti opinione nunc vindicat: Scatent enim historię exēplis phantasmatum, quæ proprias figuras, non etiam inanes ex metu imagines habuerunt. Illud quod eidem Bruto Philippus apparuit: Athenis philosopho Athenodoro: Curtio Ruffo in Aphrica: Romæ Senatui vniuerso[3]. Quod postremum huius in quo

1. *Patritius Senen. li. v. de reg. tit. 8.*

2. *Plutarch. in eius vita.*

3. *Plinius secundus Epist. lib. VII. Epist. 27.*

versamur argumenti fidem ex eo magis adiuuat, quia non momenti vnius visum id fuit: sed perpetui biennij. Toto enim eo, vt perhibent Antonini Pij (quo imperante id accidit) viographi, Marcus Ruffus senator, postquam è viuis abisset, eodem quo viuens solebat loco: sed mutus, silénsque, sedere visus est: vt innumera alia omittam, quæ posteriorum temporum res gestæ continent. Quibus & Christiani ipsi calculum suum adiecerunt: adhibita tamen distinctione, ac differentia: vt scilicet spirituum alij sint hominibus beneuoli, ac fideles, à quibus salutaria omnia veniant expectanda: alij noxij, atque ἀλάστορες, à quibus pestifera, ac crudelia omnia sint metuenda: Illos si quibus occurrunt, ac fortè prostratos vident, eos sua virtute illico erigere, ac confirmare: vti euenit Agari 4 Abrahami famulæ, cui magna desperatione affectæ ob commeatus difficultatem, quàm in Bersabees solitudinibus, vnà cum filiolo Ismahele patiebatur, Angelus apparuit, ac cùm perterrefactam videret, prohibitam primùm timere amicè solatus est, ac de eiusdem Ismahelis fortuna bene sperare iussit. Idem & Cornelio centurioni contigisse in Actibus Apostolorum legimus: Nam cùm timore non paruo ad primum Angeli aspectum correptus fuisset, ab eo tamẽ statim liberatus est, atque audiit orationes suas, ac eleemosynas Deo gratas, acceptásque fuisse: proindéque securus fausta, prosperáque omnia expectaret. Mulieribus quoque, quæ prima die Sabathi summo diluculo ad Seruatoris nostri sepulchrum accesserunt, visus est Angelus facie instar fulguris coruscanti, veste vti nix candida, ac cùm ad eam oris,

4. *Genes.* XXI. *vers.* 17.

5. *Cap.* 10. *vers.* 3. & 4.

6. *Matth.* XXVIII. *vers.* 3. & 4. *Marci* XVI. *vers.* 6.

oris, habitúsque admirationem expauissent, ab illo admonitæ sunt, metum omnem vt deponerent; atque ita iam confidentiores factæ sigillatim, quod sibi faciendum erat, edoctæ fuerunt. Hos verò alteros metu quos aggrediuntur exanimare, ac sæpè vix viuos cùm recedunt relinquere: nimirum ne sic cõsternatis animo tam facilè sit eorum artes, falaciásque detegere: simul vt siquod adhuc bene agendi consilium superest, id illico excutiant, atque adimant. Nam & Thucydides 7 apud Plutarchum hunc longè vberrimum pauoris fructum commemorat, quòd omnes honestos conatus soleat frangere, ac prohibere. Et Cicero 8 ex veteri poëta: Pauor (inquit) mihi sapientiam omnem exanimato expectorat: Tum Plautus: Pauor territat mentem animi. Quæ etiam causa fuit, ob quam veteres Pana Deum (sub hoc Pamphilus Eusebius, dũ ad Theodorum Episcopum scribens Plutarchi de Thamo historiam recitat, Dęmones omnes comprehendit) existimabant repentinos terrores, improuisásque formidines immittere. Inde tot apud eos lemures, laruæ, lamiæ, Empusæ, Vertumni, aliáque id genus spectra; quæ se vt aspicientibus terrorem maiorem offerrent, modò in hanc, modò in illam speciem immutare solebant: vti eleganter his versibus expressit Aristophanes in Ranis:

7. In lib. de fortu. & virt. Alexandri.

8. Lib. III. de oratore.

Καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τὸν Δία θηρίον μέγα
Ποῖον τὶ, δεινὸν παντοδαπὸν γοῦν γίγνεται
Τότε μὲν βοῦς νυνὶ δ' ὀρεὺς, τότε δ' αὖ γυνὴ
Ὡραιοτάτω τίς. ποῦ ἐπι, φερέω αὐτὴν ἴω
Ἀλλ' οὐκ ἔτ' αὖ γυνή 'στιν, ἀλλ' ἤδη κύων
Ἔμπουσα τοίνυν γ' ἐστί.

Et qui Antonij Abbatis Alexandrini vitam descri-

9. Marul. lib. V. ca. 7.

pſit: Ei (inquit[9]) degenti in Heremo nequiſſimi ſpiritus monſtroſa diuerſarum imaginum facie metum incutere ſunt conati: ferarum more in eum rugientes, vlulantéſque: ſerpentum ſibilationibus perſtridentes: rictibus ringentes: dentibus infrendentes: toruo oculorum aſpectu ſcintillantes: flammas ore naribus auribúſque perflantes: nulláque adeò pauoris omiſſa ſpecie, qua illum terrere poſſent. Cui & germanum eſt illud D. Hieronymi in Hilarionis Abbatis vita talem ſi non formarum, at vocum imitationem, variationémque continens. Ab eo (inquit) ſæpè nocte intempeſta auditi infantum vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercituum, aliáque variarum vocum portenta: vt ante ſonitu, quàm aſpectu territus cæderet. Nimirum in hoc ſupra quàm credi poteſt ſibi placet Diabolus: vt quauis ratione diuexatos homines habeat, ádque omnes concitandorum terriculorum occaſiones ob id ſemper eſt intentus. Ἄτη (inquit Homerus[10]) φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν βλάπτουσ' ἀνθρώπους. Ἄτη (interpretatur Suidas) ὁ διάβολος, ὁ ἀντικείμενος. Qua de re in veterum hiſtorijs alia etiam abundant exempla: quæ tamen hîc non eſt animus attingere, cùm plura hæc ætas datura ſit, quàm vſus veniat. E quibus hoc mihi primum erit de auriga quodam Nanceiano. Eum forte in Henæo ſaltu, qui ſaltus ab vrbe alterum abeſt lapidem ſæuior tempeſtas inter lignandum nec opinantem oppreſſerat. Vt igitur ſe ab eius caſu protegeret, tecto alicui feſtinanter ſuccedendum fuit. Quod dum facit, ſub ea, quæ ſe in proximo denſam, patulámque magis oſtendit,

10. Iliad. 1.

arbore,

arbore, atque ibi consistit, expectans dum sedatur tempestas: Ecce sibi astantem ex improuiso lignatorem alium videt, quem dum attentiùs considerat (vt fit vbi in ignotum, peregrinúmque hominem incidimus) aduertit illi nasum nunc se enormiter in litui morem producentem: nũc in iustam, pristinámque formam momento contrahentem: tum pedes corneos, bifidósque ac totam corporis molem extra modum. Primum igitur ingẽti pauore deiici, ac penè emori: mox, quod (in eiusmodi difficultatibus more inoleuit,) Christiano se symbolo, fiduciáque munire: tandem solum se, vt anteà, videre; atque adeò obstupefactum, vt quæ illi antè in vrbem vel velatis (quod aiunt) oculis errari non potuisset via, tunc ab attentissimo etiam, ac diligentissimo ignoraretur. In quam quoque vrbem sic lingua hærens, oculis stupens, totóque corpore trepidans appulit: vt quæ acciderant narranti facile fuerit credere. Cuius etiam rei fidem non parum adauxerunt, quæ lignatores alij eminus à se visa prædicauerunt: Eo enim loci infuscatus aër, ac densiore fumo obuolutus illis apparuerat. Eiusdem argumenti est, quod sequitur. Desiderij Maioris Scutellani doliaria vasa Nicolaus Stephanus ex conducto religauerat, pactámque mercedem per Iacobetam [II] vxorem (hæc insignis erat venefica) sępius, atque incassum sibi reddi popoſcerat. Hanc Iacobeta interpellandi prouinciam tandem pertæsa, ac præterea frustrati tamdiu laboris indignitate nõ parum commota hoc sedulo agebat, quomodo eam tergiuersationem in Desiderium noxa aliqua animaduerteret: quærebatúrque tantum ad

II. Buxerij ad quereum. III. Cal. Mai. 1588.

id latens aliqua occasio. Commodùm inter hæc iussus est Desiderius in solas terras excedere, quòd eius domum pestilentia fortè inuasisset, habebátque is sub mapalibus seorsum familiam: Ibi eum sera iam nocte cum solo filio degentem Dæmon (sic postulante Iacobeta) adoritur strepitu, fremitúque adeò horribili: vt cœlũ ipsum solutis compagibus in eius casam ruisse videretur: Neque falsum fuisse hunc terrorem, aut à Desiderio malitiosè excogitatum, dum sibi placet vanos in vulgus rumores disseminare, indicio posteà fuit: quod ipse cum filio ex eo in talem morbum inciderunt, qui omnium qui viderunt opinione pro desperato haberetur. Huc pertinet & illa, quæ fusiùs suo loco de nutrice describetur, narratio; cui multa nocte ad puelli cunas vigilanti Dæmon Errici Carmucij, qui illam malè oderat terrorem maximum iniecit, vitris fenestrarum ingenti cum strepitu confractis, ac disiectis. Psellus quoque author est Dæmones sæpè quo terrorẽ eiusmodi adaugeant, lapides iacere solitos, sed ictibus irritis. Tali lapidatione diuexatos fuisse Moguntinos Anno D.CCC.LIII. refert Sigebertus. Et ferri quidẽ ea molestia potuisset nisi longè grauior alia esset consecuta: ex incendio scilicet, quo consumptæ sunt vniuersæ illorum ædes, quas sic anteà Dæmon saxis appetiuerat. Quæ calamitas etiam Columberij, qui pagus sex miliaribus à Leucis abest, nostra memoria accidit. In eius extremo vico, qua iter est Salsuriam, rusticus casam habebat, humilem quidem illam, sed satis pro fortuna lautam, ac nunquam quod esset auditum vllis spectris infamem. Occupauit tamen illam

illam Dæmon solis primum contentus lapillis domesticos citra noxam de nocte impetere: sed vt id ex assuetudine ab illis negligi, ac etiam ludibrio haberi vidit, hunc contemptum non ferens, ignem casę profunda iam noctę iminisit; quo sic momento exarsit vt ferè solo tota exæquaretur. Quæ cùm illac aliquot pòst diebus iter faciens ab accolis inaudiuissem, locum adhuc ruinis deformem ipse præsens videre volui, quo rem omnem clariorem, testatiorémque apud alios relinquerem. Huc etiam non inconcinnè referri potest, quod Torquemadius [12] vir Hispanus vernaculum vernacula lingua refert: Salamancæ, inquit, matrona fuit cuius ædes importunis eiusmodi lapidationibus infestæ vulgo habebantur: Eo rumore excitatus vrbis præfectus periclitari ipse voluit, veráne essent, quæ de ea re adeò constanter prædicabantur: an potius à domesticis tegendæ alicui nequitiæ affingerentur. Nam & in ijs erant duæ non illiberalis formæ adolescentulæ, cum quibus amatores liberius per eam occasionem cõgredi velle, atque in hoc omnem istam fabulam adornare erat suspitio. Ad illas igitur ædes ea se hora præfectus confert, qua ferebatur frequentissima esse lapidatio. Accurrunt vnà populares non minus viginti, è quibus aliquot dimittit, qui adhibito lumine peruestigarent, ecquis in superiore domo esset, qui sic domesticos saxis appeteret. Redeunt peragratis diligenter omnibus latebris, renunciántque omnino repetisse se nihil, vnde ea timeri deberent: Placuit tamen ad imos ædium, quo tum è cœnaculo deuenerant, gradus consistere, atque aliqua mora hoc

12. In Hexamerone. Dial. 3.

quicquid

quicquid esset amplius probare, & experiri: Ecce autem vix dum eo loci constiterant, cùm ingenti tumultu lapides cœpere in agmen deuolui; qui tamen singulorum crura innocui præterlaberentur. Denuò igitur mittuntur, qui viderent, vnde hic lapidum imber sese tam creber effunderet: sed & vbique solitudo, vt anteà reperta iam à multis conceptam de ea re opinionem non parum confirmauit, videlicet hæc Dæmonum arte, ac præstigiis omnia fieri: Auxítque adeò quæ non cessauit grando eorum capitibus allabi, qui se etiam ex illis ædibus præ metu foras eiecerant: Ex quibus tandem vnus loci securitate factus iam ferocior sublatum, ac diligenter oculis notatum lapidem in aduersum tectum hoc præfatus proiecit: Si is à te est, ô Dæmon, eundem mox in me reiice: Quod cùm illico esset factum, licèt casu irrito, desitum est amplius dubitari, quum res ita se haberet, vti illam primū in vulgus matrona ediderat. Et memini me cū grassante Tholosæ pestilentia Anno circiter M. D. LXIII. in Auscorum augusta essem; ac fortè apud D. Abelium in eius vrbis Metropolitana Ecclesia sodalem ludò noctem ducerem: vti tunc ætas erat, atque otium, ab eiusmodi petulanti Dæmone omnibus, qui tum vnà in eodem atrio inclusi eramus exhibitam sæpius inter ludendum non leuem molestiam fuisse; hinc, illinc temerè iactis lapidibus, qui tamen sine cuiusquam noxa, atque iniuria in terram decidebant. Eius atrij foribus pessulum intus obductum erat: nulla in eo præter abacum, mensam, atque sedilia supellex, vnde techna vlla oriri, atque instrui posse crederetur. Et hæ quidem sic sunt bo-

norum, malorúmque Dæmonum in aggrediendis hominibus cōtra comparatæ rationes per eas, quas modò dixi, cauſas beneuolentiæ, odij, ſolatij, terroris, adiumenti, noxæ, beneficij, iniuriæ, quæ ſtudia in vtriſque ſemper alunt diuerſa, & contraria. Quibus & hoc conſequens eſt, quod nobis ab initio dictum eſt ambigi ſine magno errore non poſſe; quin ſint, qui rebus hominum faueant, inuideant, proſint, obſint, patrocinentur, inſidientur Dæmones.

Non modò, vt iam dictum eſt, ſortilegos per aërem à Dæmonibus deferri; ſed & ex eo loco multa in hominum perniciem moliri, ac machinari: demúmque in terram innoxio caſu, ac qualis ſolet eſſe auium, lapſione placida, quietáve deponi.

CAP. XXIX.

QVi negant maleficorum ad ſuos conuentus veram profectionem, imaginariámque tantùm exiſtimant: maximè ſe defendunt authoritate Ancyrani Concilij ſtatuentis hunc errorem prorſus Paganicum eſſe, & impium. Sed hoc Concilium Prouinciale tantùm fuit ſub Marcello Ancyrano Antiſtite, contra quem etiam hæreſis Sabellianæ ſuſpectum Aſterius Apollinarius, & Hilarius ſcripſerunt, vt multi exiſtimant celebratum. Ac quamuis poſt confirmatum in Trullo, canone ſecundo ſextæ ſynodi reperiatur: tamen contrarijs multorum patrum, quos ætas poſterior tulit, ſententijs ea impugnata eſt opinio: Inter quos fuerūt

DD. Ambrosius, Augustinus [1], Thomas [2], Bonauentura [3], Innocentius Octauus [4], & Cardinalis Caietanus [5]: Tum Iurisconsulti non infimi ordinis Alfonsus Castrensis [6], Syluester Prierius [7], Paulus Grillandus [8], Martinus Nauarrus [9], Sprenger [10], ac plerique alij, qui quæstiones inter eiusmodi maleficos sæpè & diuersas exercuerunt. Et certè tutior, potiórque semper visa est ea sententia, quæ rei illius veritatem astruit: Siquidem fundamentum positum habet in ea ratione, de qua vno ore Theologi omnes cõueniunt: videlicet Dæmonibus post lapsum, atque apostasiam integra mansisse naturalia dona: vti sunt immortalitas, potentia, motus, celeritas, scientia, aliaq; id genus veluti dotes, quas à sua acceperunt origine: Bonis autem spiritibus promptum esse, vt vel momento temporis, non tantùm ipsi immensa aëris spatia decurrant: sed & homines nullo negotió vnà secum traducant, satis demonstrant, quæ in eam rem paulò antè de propheta Abacuc, & Philippo Diacono à nobis sunt recitata. Minus igitur mirum iam videri debebit, si hæc quoque præstant mali. Nec adeò ea res exemplo caret: sed & perhibent literæ sacræ [11] hominem fuisse spiritui immundo obnoxium, quem in loca sola sæpè is transportaret, discerptis antè quibus erat colligatus cathenis. Et IESVM ipsum [12] scimus à Diabolo assumptum fuisse ac modò supra templi pinnam locatum, modò in montem excelsum deportatum. Ac ne quis putet hæc miracula eius ætatis propria fuisse, quæ Deus pro tempore, atque Euangelicæ doctrinæ vsu tunc edi, atque apparere voluerit. Nunc verò nec necessariam, nec credibilem ea

1. Libr. x. & xxi. de ciu. Dei.
2. ij. a. ij. æ. q. 95. art. 5.
3. In III. sent. dist. 19. q. 3.
4. In bulla præfixa malleo mal.
5. ij. a. ij. æ. q. 95. super artic. 3. S. Thomæ.
6. Libr. I de iusta hæret. punit. c. 14
7. In tracta. de Strigibus.
8. Libr. II. de sortil. q. 7.
9. In manuali c. 11. nu. 38.
10. In Malleo Malefic.
11. Lucæ. 8. Marci. 5.
12. Matth. 4.

lem ea habere authoritatem, sciat posteriorum ætatum historias: istiusmodi quoq; exemplis abundasse: quemadmodũ amplius in hujus operis perorationē docebimus: & noua alia quotidie se prodere, è quibus pauca quidem, sed clara, ac testata earum prouinciarum, vbi acciderunt monumentis subiiciam. Est Giruncuriæ in Vogesorum prouincia castellum satis firmum, è cuius summa arce, cùm tegularum ordines aliquot fulmine essent disiecti, Sebastiana Picarda [13] non multo post in eo pago sortilegij rea fortè & id apud Iudicem professa est, Dæmonis, suáque simul opera esse patratum: Cùm enim (inquiebat) è nube vna in illam proruissemus eo consilio, vt funditus euerteremus, non fuisse tamen in nostra potestate id exequi: sed tantùm pauxillulum id ruinæ attulimus, vt esset quod eius conatus nos non omnino pœniteret. Simile huic est quod sequitur. Cuninus [14] quidã nomine Magistratum in D. Clementis fano vbi commorabatur obtinens, cùm ruri fœnum inter domesticos curaret, cœlúmque iam magnis tempestatibus commotum cerneret, domum fugam parabat: sed dum ad eam se instruit, subito fulminis ictu proximè se quercus sex radicitus vidit euersas, ac eam, quę septima loco adhuc stabat, totã ceu vnguibus laceratam, ac discerptam. Cùm iam multo magis properaret, amissis etiam prę festinatione pileo, ac ijs instrumentis, quæ tum manibus gestabat: ecce de integro audito fulminis fragore illi visa est in summa quercu, quæ in propinquo erat, hærere mulier, qua (vt credibile est) nubes se eo impetu exonerauerat. Eã igitur consideratiùs intuens,

13. x. Cal. Nouem. 1586.

14. Roncæij ad D. Clementis fanum. Cal. Dec. 1586.

agnouit è vicinia esse vetulam, quam illico sic cœpit verbis increpare: Tune pessima ea es Margareta Vvarina, ad quam quantum nunc comperio non immeritò ante hac sortilegij suspicio apud omnes pertinuit? vnde tu nunc nobis ades isto habitu? Cui illa: ignosce hoc mihi, quæso, ac celatum habe, quod nunc vides, faxo si hoc ita de me promerueris, vt nunquam à me tibi, tuisque vel minima oriatur iniuria? Ac ne quis de istis addubitet sciat non modo esse comprobata Cunini illius relatione, quam iureiurando apud Quæstorem sanctissime firmauit, sed etiam ipsius Vvarinæ agnitione, & extra tormenta sæpius repetita, & in ipso vitæ vltimę momento multis audientibus confirmata. Huc etiam pertinet, quod ex alijs quæstionibus capitalibus, eorumque qui illas exercuerunt side renunciatione compertum habeo. Coorta cum magno fragore, tonitribusque tempestate, qui armenta reliquosque pecorum greges in collis Alemanni iugo custodiebant, is ad vicinos Hucemiæ campos, qui est in Vogesorũ præfectura pertinet, se vt in operto essent in proximas syluas abdiderant. Ecce verò illis ex improuiso visi sunt rustici duo summis arborum, quæ proxime stabant, ramis hærentes, ac velut implicati, adeoque animis consternati, vt facilè indicarent illuc non consilio, sed casu, atque inauspicato aliquo impetu peruenisse. Tum autem vestitus fœditas, ac deprauatio quasi per lutum, senticesque omnes fuissent reptati suspicionem adaugebat, eò ipsi à Magistello suo electos, detrusosque fuisse. postquam is illos hac, atque illac more suo traxisset. Confirmabatur & id eo magis, quod

18. x. Cal. Nouem. 1586.

Romæ ad D. Clem[illegible] ris summa[illegible] Cal. Dec. 1586.

 cum

cùm illic tanto temporis spatio consedissent: quantum satis esset ad probandam, asserendámque oculorum fidem: momento tamen, aduertentéque nemine, dilapsi apparere desijssent. Tandem & dubitationem omnem amouit, quæ non longo pòst tempore consecuta est illorum ea de re spontanea, atque armentariorum verbis consentiens confessio, cùm ad interrogata ex vinculis responderent. Est etiam villa, quæ se Bellimonte Vitellium contendentibus sinistrorsum ostendit: in eius summum tectum cum forte & iidem è procellosa nube præcipites decidissent, magnáque difficultate Rotarius (id erat eorum alteri nomen) afficeretur, quemadmodum ex ea arduo loco se incolumes possent in terram demittere: nam & earum rerum adhuc erat rudis & insolens: hęcq; illi ad insanas eiusmodi nimborum molitiones periclitata primùm fuerat abitio. Amantius, qui à prima pubertate in Dæmonis seruitutem à parentibus abductus maturè se ijs assuefecerat, fidens ibi infit: Bono animo es, stulte, nam qui nos habet sua potestate ad difficiliora habiles, atque idoneos Magister, hoc etiam negotium facile, ac sine vllo periculo expediet. Nec dictum res diutius morata est: nam subito turbine vnà correpti, sine vlla noxa in terram sunt depositi, ipsa tota sic contremiscente domo, vt à fundamentis reuelli videretur. Hócque ipsi diuersi, totidem tamen verbis recensuerunt. Imò & cum villaticis commissi de die, déque tumultu, ac trepidatione omni inter eos liberè, ac constanter conuenit. Ac tandem quos viuos criminis societas conuinxerat, eosdem

mortuos flamma iudicis damnatione absumpsit. Et hæc quidem pauca ad tam multa, quæ superiores attigerunt ceu auctarium accedant. Nam certè si plura numerando percensere velim, facile id mihi sit facere, qui alia etiam in Sortilegorum, quas exercui, quæstionibus viderim: sed vti Iurisperitis loqui nisi laudata aliqua lege pudor est: ita mihi ea commemorare, quorum documenta in aduersarijs meis nulla exscripta habeam, hic est religio: Multa verò, vt iam dixi, à me priusquàm hæc scribere esset animus neglecta sunt, quæ profectò nunc piget non annotasse, quòd eorum vsus sæpè veniat, nec occurrant tamen desiderata, ac requisita.

DÆMONOLATREIÆ

LIBER SECVNDVS.

Non esse in Dæmonum potestate dissolutas morte animas ad sua corpora reuocare. Vt tamen sunt operum Dei adumbratores maximi, id sæpe in speciem eos præstare, dum sese cadaueribus insinuant, ac in ijs motum qualis in viuentibus esse solet interius cient: quemadmodum ἐν κορυμάτοις *euenire videmus. Tum de Petronij Dalbemij impietate, parricidio, prodigiosisque amoribus historia.*

CAPVT PRIMVM.

Νεκυομαντήϊς, & vaticinationis, quæ fit per excitatos ab inferis Manes meminit Herodotus in Terpsicore. Et Homerus [1], Vergiliúsque [2] Mercurium (is magnus incantator fuisse perhibetur) νεκράγωγον, ac animarum ab Orco [3] euocatorem faciunt. Historiæ etiam tum sacræ, tum profanæ frequentissima eorum exempla continent, qui reuocatas ad sua cadauera vmbras humana voce loqui, ac interrogata respondere compulerunt. Saul [4] dubitans vtrum de summa

1. Odyss. α.
2. Aeneid. IIII.
3. Eras. Chil. 1. centur. 1. Adag. 97.
4. Samuelis 1. cap. 28.

marcerum prælio cum Philiſtæis decerneret an, potius bellum in aliud tempus traheret, ad Dei oraculum confugit, ab eo euentum belli ſciſcitaturus: ſed ſilente Deo, ac reſponſum denegante in Endor vrbem proximam ad anum quamdam Manes, vt audierat, elicere callentem ſe contulit, ab eâque dato iureiurando ſe id factum nemini indicaturum, impetrauit, vt Samuëlis animã ab inferis euocaret. Vix igitur ipſa [5] carmen bene adhuc mouerat, cùm ecce imago venerãdi ſenis ſacerdotali habitu amicti ex improuiſo affuit; qui Samuëlẽ ſe eſſe diceret, nuntiarétque Sauli fore, vt poſtridie ipſe cũ liberis acie victus caderet, domeſticúmque regnum vnà cum vita amitteret. Cui exemplo ſimile eſt & germanum illud Lucani [6], vbi militem inducit recèns occiſum à Theſſalica quadam muliere reuocatum ad vitam, ac Sexto Pompeio euentum belli Pharſalici prædicentem. Quod ne quis commentum eſſe poëticum exiſtimet, id Plinius [7] ex Varrone totidem ferè verbis, ac tantùm ſilentio prætermiſſa mulieris incantatione recitat. Bello inquit Siculo Gabienus Cæſaris claſſiũ fortiſſimus captus à Sexto Pompeio iuſſu eius inciſa ceruice, & vix cohærente iacuit tota die. Deinde cùm adueſperauiſſet cum gemitu, precibúſque congregata multitudine petiit, vti Pompeius ad ſe veniret, aut aliquem ex charis mitteret: Se autem ab inferis remiſſum, haberétque quod nunciaret. Miſit Pompeius plures ex amicis, quibus Galienus dixit inferis Diis placere Pompeij cauſas, & partes pias. Proinde euentum futurum quem optaret. Hoc ſe mutuare iuſſum Argumentum fore veritatis, quod peractis

5. Eccleſi. 24. D. Augu. ad Simplicia. lib. 102. q. 3.

6. Li. VII. de bello Pharſa.

7. Lib. hiſt. nat. VII. cap. 52.

mandatis protinus expiraturus esset: Idq; ita euenit. Huic persimile est ei illud, quod de Zacla Ægyptio propheta memorat Apuleius[8]: Is (inquit) grandi mercede pepigerat defuncti cuiusdam adolescentis spiritum ab Inferis reducere, corpusq; ceu postliminio animare. Ergo propitiatus cœlestia sydera, inferna numina, naturalia elementa, nocturna silentia, adyta Coptica, incrementa Nilotica, arcana Memphitica, & sistra Phariaca herbulam quãdam circa cadaueris os, & aliã pectori eius imposuit: sic tumore pectus eius extolli, salubris vena pulsari, spiritu corpus impleri, & adsurgere cadauer, & profari incœpit: ac cum iussum esset mortis suæ arcana prodere noxio nouæ nuptæ poculo peremptum fuisse se pronuntiauit, vt adultero torum manciparet. Hæcq; elocutum tandẽ rem suam terrę restituisse. Non desunt etiam vsus ætatis propria, quæ antiquis illis annumerari possint. Anno M.D. LXIII. fuit Lutetiæ mulier eiusmodi artibus imbuta, cuius nomini hîc propter familiæ claritatem, atque amplitudinem parcendum censui: quam cùm salutaturus de more inuiserem (erat enim ea mihi municeps) reperi cum Neustriis duobus rationem ineuntem, quemadmodum thesauros quorum peruestigandorum facultatem sibi à rege concessam aiebant (Nam Leonina lex[9] quæ prohibet sceleratis sacrificiis, odiosâque legibus arte thesaurum quærere: sicuti & salutares aliæ multæ pridem aulicorum ambitionis studiis exulant) commodissimè nanciscerentur. Atque inter hæc alterum, & seriò quidem narrantem audiui, quomodo non multis antè diebus refixum patibulo cadauer ea causa ad

8. Lib. 11 de Asino aureo.

9. L. vnica de Thesau. lib. 10.

colloquium impulisset: sed ab illo certi nihil exculpere potuisse, adeò ambigua, perplexáque erant omnia eius responsa; & à multis sæculorum ætatibus recepta est hæc persuasio animas posse exciri sepulchris, ac denuò ad sua corpora carminum incantamentis reuocari. Sed ego sic morte dissolutam hominis compagem puto, vt iterum componi, ac coalescere, nisi Dei omnipotentis beneficio aliquo singulari, non queat, [10], aut

10. Psal. LXXII. & Iob cap. 7.

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Omnia miscebit misso diuinitus igni.
—nec quicquam expergitus extat,
Frigida quem semel est vitaï pausa secuta [11].

11. Lucr. lib. 3.

Nam quod ex superiore Samuëlis historia contrà arguunt: hoc non ex omnium sententia est. Neque enim (vt inquit D. Augustinus [12], Tertuliano [13], aliísque orthodoxis authoribus non paucis in hoc consentiens) ea ad veri rationem rapienda sunt: sed potius ad visum, atque intellectum Saulis, qui factus reprobus rectè de ea re sentire non potuit. Præstigias verò fuisse Diaboli vel hæc indubitato demonstrant: quod si verè apparuisset Samuël, non vtique vir iustus, & qui viuens prædicauerat solum Deum esse adorandum, passus esset se à rege adorari. Rursus homo Dei, qui cum Abraham erat in refrigerio, non dixisset ad virum pestilentem, & dignum gehennæ ardore: Cras mecum eris. Et certè eam narrationem exponens Zonara vir Christianæ veritatis obseruantissimus [14], non euocatos Manes Samuëlis dicit, sed tantùm visos euocari. & spectrum hoc non etiam animam Samuëlis appellat. Siquidem (vt disertè statutum in vltimo capite

12. In lib. de ciuit. Dei & l. 11. de mir. sacræ script. c. 12.

13. In libr. de anima.

14. Annal. tomo. 1.

Ancyranæ Synodi[15] reperitur) quæ per incantationes fiunt non verè dicuntur fieri, & in corpore: sed tantùm in spiritu, & specie quadam, quæ oculos fallaciter feriat. Aut si solidum, adeoq; humanum aliquod subest corpus, id vita prius exutum ὀργανικῶς κινεῖσθαι (vt ait Vitruuius) eius videlicet molem intus agitante Dæmone, perinde atque ἐν αὐτομάτοις; Dædaleisque organis euenire videmus, cum metalla (vt inquit Cassiodorus[16]) mugiunt, ænei angues insibilant, aues simulatæ, ac vocem propriam nescientes habere, dulcedinem tamen cãtilenæ probantur emittere. Tripodes Pythij sponte sua se mouent, ac procedunt: hi quidem conuiuis vinum: illi aquam fundentes, quos Apollonium, cùm esset apud Hiarcham, aliósque Gymnosophistas, vidisse memorant. Nam hæc puto Dæmones, quibus est alioqui non parua cum eo, qui vitam hominum continet, spiritu affinitas, longè sua subtilitate, agilitatéque superaturos nemo sanus vnquam ibit inficias. Tum etiam aliud est, quod hoc totum magis cõciliat. Nã cùm spiritus sint spurci, atque immundi: mirum esse non debet, si vti sus in volutabro, ita illi in fœtidis cadaueribus hospitium, sedémque gratissimam habeant. Quæ res facit, vt in sepulchretis, locísque nocentum supplicia, ac cruciatu infamibus frequentes Laruæ id est Dæmones, occursent. Nam stultum sit, & cum impietate paganica coniunctum credere animas desiderio relictorum corporum circa ea obuersari, ac volitare, cum digressis abitio sit in loca, sedésque certas, ac constitutas[17]. Quò etiam pertinere videtur, quod D. Iudas[18] narrat Diabolo (huic Franciscus Vene-

15. *Isidorus. ca. 9. lib. VIII. Etymolog.*

16. *In lib. Variorum.*

17. *D. August. serm. lix. ad frat. in hemero.*

18. *In sua epist. vers. 9.*

19. Problem. sac. scrip. tomo. I. sect.8. probl.433.

tus [19] Hazazeli nomen fuisse ait) certamen interfuisse cum D. Michaële Archangelo de Mosis cadauere: eo fortasse consilio, vt in id illapsus Israëlitis facilius imponeret, atque ad idololatriam domesticum malum fenesttam patefeceret: vti enim non semel postea in aliis multis fecisse Rabinorum libri perhibuerunt. Adeóque pro remedio contra id singulari tradiderunt (ἀλλα τὸ κακὸν προαπειργοντες) si circuli septem circum id sepulchrum, vbi conderetur mortuus, ducerentur [20].

20. Dur. in aduer. in lib. Hol. de morb. int.

Ad hæc omnia accedit, quod Satanas operum Dei sectator maximus hoc apud suos agit sedulò, vt se cum illo potestate, ac viribus conferat, & quam maximè exæquet. D. Petrus [21] Tabitham vita defunctam discipulorum rogatu, quibus illa victum piè suppeditauerat, suscitauit à mortuis: vti ante eũ multis sæculis Helias [22] in vrbe Sarepta viduæ mulieris, à qua cibo adiutus fuerat, filium morbo extinctum ad vitam reuocauerunt.

21. Act. Apost. ca.9.

22. Reg. III. ca.XVII.

Symon ne ei vlla in re inferior videretur, cadauer defuncti pueri, quem Egesippus [23] Neroni propinquitate coniunctum fuisse ait, Magicis susurris excitare conatus est: & iis quidem illud sic mouit, vt ad vitam reduxisse videretur: sed eum mox vti anteà exanime in terram recidisset, cessantibus (inquit Clemens in itinerario) quibus illud illigauerat carminibus, quid fallaci imitationi veritas, certa, atque indubitata Dei virtus temerariis Dæmonum ausis, & conatibus intersit, res ipsa fuit indicio.

23. Egesip. lib. III. ca.2.

Idem Trallis, quę vrbs est Asiæ in Philimonis Demostrati, & Caritus filiæ semestri cadauer euenisse memorat Phlegon Adriani Imperatoris libertus. Damis quoq; & Philostratus [24] authores

24. In Apollonij vita.

thores ſunt Apollonium Thianæum defunctis vitã corporibus lucem ſæpè reſtituiſſe. Et Germanorum ſcriptis vulgata eſt non ita pridem de Aulico quodam hiſtoria, qui accepto de vxoris obitu nuntio, ac quemadmodum eius cadauer eſſet ſepulturæ mandatum, properè domum reuerſus domeſticis rationibus vt proſpiceret, ac multa iam nocte eam cum animo ſuo volueret, vt fit, vbi rei alicuius deſiderium penitius inſidet; inter hæc aduertit illam ſuo more veſtes deponentem, ac notum cubile inire volentem. Sed cùm ne hoc faceret (aliquantiſper reſtitiſſet, qui tam conſtanti rumore mortuam intellexiſſet, victus natiua loquentis voce, & conſpicua ſeſe oſtendentis corporis imagine:) ſiuit eam vnà ſecum concumbere, ac tantiſper in quotidiana vitæ conſuetudine habuit, dum exorciſtæ cuiuſdam efficacibus verbis Dæmoni, qui refoſſum illud cadauer illudendo, ac ſi poſſet perdendo marito obſederat, abeũdi neceſſitas impoſita. Quę certè nulla imponi eo pacto poterat, ſi ſuo ipſa corpore incluſa anima fuiſſet; ſed vti eum, qui quid iniuſtè occupat, leges facilè deiici patiuntur: ita & Dæmonem ex inſidioſa eiuſmodi cadaueris obſeſſione exturbari nemo adeò mirabitur, qui ſciet quantæ ſint adiurationum, atque exorciſmorum in ea re vires. Ij ſunt Manes, & Vmbræ Thyeſtis, Polydori, Tantali, Agamemnonis, Achillis, aliorúmque heroum, quas poetæ circa tumulos ſuos obuerſantes nobis decantant, id eſt, vt cum Euſebio 25 loquar, impurorum Dæmonum ſpectra, ac ſimulachra imbecillioribus Manium ſpecie illudentia, dum inferias, parentalia, expiationes, atque alia id genus ſacrificia

25. *In refutatione ſexta contra Hieroclem.*

sacrificia sibi postulant. Cum enim (ait is) stultam istam ludens opinionem relictis beatorum insulis ad tumulum suum diuersari vellent. Cuius etiam

26. *Apologia secunda ad fratres.*

erroris, atque insaniæ Iustinus Martyr 26 eos redarguit qui se assumpto Obco suis incantationibus euocare profitentur, quod non aduertant pro Manibus Dæmones se excitare. Nam vbique vana adumbratio, imitatióque est veritatis potius, quàm solida certáque vlla eius expressio: multóque magis, vbi semel vita defunctum hominem, ac iam (quod aiunt) Diris peculio annumeratum denuò in lucem ceu postliminio reuersum nostris videre nos credimus oculis, ac iisdem corporis muneribus fungi, quibus integra illibatáque vita antè fruebatur. Rarum, & singulare est in hanc sententiam Petronij Armentarij 27 factum in periocha ita descriptum, vt hic non queat cumulatius. Nam vt eum succuba Abrahel re expertura, quam de obsequendo verbis fidem dederat, ad vnici filij horrendam cædem impulerit; vt eius desiderium impotentius ferenti, ipsóque parricidij horrore penè ad insaniam adacto, spoponderit vitam se puero redditurum, si id se supplex, ac venerabundus rogaret, vt iterata in speciem vita, ementitísque naturæ functionibus, atque officiis eum sibi prodigiosè superstitem per annum integrum ostenderit: vt denique nulla prius tentatum valetudine mors illum denuò occupauerit, reliqueritque confestim fœtore adeò grauem, vt nisi eminus, adeóque compressis naribus aspici potuerit, illic, & sigillatim, & copiosè demonstratum est. Quoniam tamen ea res quædam præterea habet animaduersione non indigna, vt

27. *Dalhemij An. 1581.*

quæ

quæ veteratoris Diaboli in assimulandis, effingendisque hominibus auiditatem infinitam, atque inexplebilem contineant: & illis conclusæ, orationis angustiis commodè contineri non potuerunt omnia: non erit à præsenti instituto alienum aliqua præterea in medium afferre, quibus magis facti eiusmodi fides adiuuetur: causa innotescat: pateant insidiæ: euentus damnetur, atque improuidis, incautisque ad attentiorem fugam exemplum deinceps proponatur. Ac primum sicuti ambiget nemo, qui superiora legerit, Ephialtes, atque incubos esse Dæmones, qui addictas sibi mulieres more virorum constuprent, ac comprimant: nam hoc semper morbum esse corporis, quo viæ spiritus animalis intercipiantur, non facilè cum Medicis senserim: ita & hyphialtes, ac succubos esse, qui se viris habitu, specieque muliebri submittant; non erit creditu difficile: vtrobique enim peccati, quod vnum amant Dæmones, par est admissio, & alterum altero nihilo est factu difficilius: licèt id quidem infrequentius eueniat; siue quia mulierum, quarum in hoc modestiam malitiosè imitantur, consuetudo non est viros de stupro appellare; siue, quia ea colluuies magis ex eo sexu est, quem consilij imbecillitas minus ab insidiis Diaboli tuetur, ac defendit. Et certè in tam multis, quæ hactenus in manus meas peruenere, sortilegorum quæstionibus singulare, solúmque hoc succubæ fuit exemplum. Cui ne prodiret incomitatum, aliud hîc adiiciendum censui, quod à probatæ fidei viro Melchiore Errico Serenissimi nostri Ducis à secretis, & consiliis interioribus aliquando inaudiui. Fuit (inquiebat ille)

Henamenij, in eius loci Dynastæ res procurante, sortilegus quidã, qui iussus à Iudice dicere, vti primùm esset ad tantam nequitiam abductus, ac quibus potissimùm artibus illum Dæmon ad se pellexisset: eam rẽ sic libere, atque apertè esset elocutus. Cùm bubulcus ego prima luce hostiatim armentum cogerem, atque vna è puellis quæ illud stabulis emittebant præ cæteris animum meum amore titillaret, cœpi in eius cogitationem noctes, diésque esse intentior. Tandem euenit, vt eam mihi ardentius inter sola pascua animo voluenti apparuerit similis occultanti se post dumetum. Accurro ad optatam prædam: assequor, atque adeò amplector vel reluctantem. Tandem post aliquot repulsas, ea lege sui facit copiam, si se pro hera haberem, ac vel ipsum Deum illi posthaberem. Conditionem accipio: fruor: imo sic ipsa me deinceps cœpit frui: vt ex vno eius miser semper pependerim arbitrio. Simile quiddam Philostratus [28] refert Menippo Demetrij Cynici discipulo olim accidisse. Is, inquit, cùm Corintho Cenchræas proficisceretur, obuiam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ, lepidæ, ac vt videbatur, prædiuitis, quæ diceret se illius amore correptam, inuitarétque familiariter, vt vellet in domum suam diuertere. Ille igitur vicissim eius amore captus sæpè cum ea concubuit, ac iam de ineundo matrimonio cogitabat: Habebat enim ipsa domum regio ornatu apparatam. Sed Apollonius cùm in ea domo singula considerasset, exclamauit Lamiam esse, quæ propediem esset adolescentem ad extremum vel deuoratura, vel insigni aliquo damno, atque iniuria affectura. Nimirum hunc

28. In Apollonij Thyann. vita.

rum hunc Dæmon inſidijs, captionibúſque ſuis fructum ponit longè maximum, atque vberrimum: Eúmque præterea, quod improbi fœneratores facere ſolent, ſemper acceſsione aliqua nouæ impietatis cumulat, atque adauget: errorem (quod ait D. Hieronymus [29]) errorē trahens, & ſemel flagitijs pollutos in ea magis, magíſque ingurgitans. Huic adeò rei argumento eſt ea, in qua nunc verſamur, hiſtoria. Nam primùm ad infandam libidinem, peſtiferóſque amores illectum ſcelerato vnici filij parricidio obſtringit: tum propter tanti facinoris conſcientiam vltima ferè deſperatione affectum ad impios cultus, qui nequitiarum omnium eſt cumulus, agit præcipitem, ipſum ſe interim talem demonſtrans, qualem iam à prima ſua præbuit origine: diuini ſcilicet honoris æmulum, atque affectatorem eximium. Volens Deus pietatis periculum in Abrahamo [30] facere, ei aliquando apparuit, enumeratíſque omnibus, quæ contulerat, beneficijs, Iſaacum eius filium in victimam ſibi popoſcit. Ille igitur nefas ducens vlla in re Deo nō obſequi aſſumptum filium iam ad deſtinatum montem deduxerat, ibiq́; imperatum ſacrificium erat facturus, niſi Deus ipſe ei intercedens obſtitiſſet; inclamans ſe non talem eſſe, qui eum vellet liberis crudeliter orbare, quem benignè patrem extrema ſenecta feciſſet: ſed experiri tantùm voluiſſe, an talibus iuſsis eſſet pariturus. Idem & ſimius Dæmon affectata à tam multis annis geſtæ rei imitatione nunc facere gaudet. Et certè probabile eſt Abrahelis nomen eum de induſtria ſibi hîc aſciuiſſe, vt eſſet in quo vel eo tenus illius facti veritatē

29. *In proœmio li. 11. commentariorum in Zachariam.*

30. *Genes. 22.*

aliquam referret. Euentus verò contrà documento
fuit eius in hoc præcipuam fuisse curã, ac studium,
31. Ioan. ca. 8. vt ad impiam filij cædem paternas manus contra
insitam, atque innatam hominibus charitatem accingeret. Siquidem fuit is homicida ab initio. Diuinationes, vaticinia, Manium euocationes, ac pleraque alia id genus, quæ eius olim fiebant auspicijs incantamenta hominis alicuius solenni, festáque vel deuotione, vel mactatione fieri solita ob-
32. Genial dier. lib. VI. ca. 26. seruare est apud Homerum in Vlysse: apud Silium in Scipione: apud Valerium Flaccum in Esone: apud Papinium in Teresia: apud Horatium in veneficis fœminis. Humanis quoque hostijs eius aras
33. In Eruth. 34. Parallel. 40. plerique omnes funestauerunt, qui eius cultui addicti fuerunt populi, vti Alexander [32] prolixè recitat: maximéque propriorum liberorum vt de Erichthæo Euripides [33], & Plutarchus [34]: de Aristode-
35. In Messenicis. mo, atque Epebolo Pausanias [35]: de Mario, & Car-
36. De sera numinis vindicta & in Imperato. Apo. thaginensibus idem Plutarchus [36]: & de nouæ Hispaniæ incolis, priusquam Christianæ veritatis lux eis vlla affulsisset, memorat Petrus Bembus historiæ Venetæ Lib. VI. vt hic etiam addam quę de Iephte
37. Iud. 11. recitant sacra Biblia [37]: Qui cùm in Ammonitas
38. Lib. v. antiq. c. 11. mouens vouisset si victoria potiretur, se quicquid redeunti sibi primum domo occurrisset sacrificaturum: ac vnica reuertenti filia virgo adhuc facta
39. Annal. tomo. I. esset obuiam, eam nihilominus in holocaustomata obtulit. Nam licet mactatam Iosephus [38] crema-
40. Ennead. I. lib. VI. tam Zonara [39], Sabellicus [40] ad aram pro hostia immolatam autument: tamen non defuerunt, qui
41. Dauid. Kimbi. ex Hebræorum [41] quorundam sententia hoc sic intelligerent, vt inter dicatas Deo virgines tantùm

conclusa

conclusa fuerit: ac sic (quod aiunt) ex hominum societate, ac vita communi ceu morte subducta, atque exempta. Nam & à patre, priusquam eo voto defungeretur, impetrasse narratur, vt sibi liceret virginitatem suam cum æqualibus per bimestre tempus deplorare. Et certè Omestem Deum, qualem Plutarchus 42 Bacchum prædicat, istud magis decet: Ac si tale illud fuit, quod ego tamē nihil hic statuens Theologorum iudicio relinquo, neque legitimum neque Deo gratum sacrificium fuisse, cum eodem Iosepho ausim asserere. Porrò hæc de Petro Armentario certa, atque indubitata historia est: vti ad Duumuiros Nanceianos peruenit suis quæstionibus, probationibus, atque argumentis instructissima. Cuius prætereà fidem plenissimè confirmauit, quod loci incolæ de pueri ad vitam per speciem reuocatione suis se oculis vidisse apud multos prædicauerunt: Nam quantum attinet ad stupri consuetudinem, quæ fuit Armentario illi cum succuba, aliunde, quàm ab illo, eius rei veritas resciri non potuit. Germanum est illi parricidio quod sequitur exemplum de Bertranda Tonstrice 43: quæ cùm Cremer Iacob filium malè odisset, quòd sibi sublatam ab illo furto pecuniam suspicaretur, noctu domum eius ingressa, effractis à præuio Dæmone foribus, venenata potione illum necauit. Prælucebat operi cum violaceo lumine vxor Stoffel Pannarij: gestabat in nigra testa venenum vxor Quirini Lanionis: caput, quo potio in os certius iniiceretur, cohibebat Briccius Merg 44: ipsa immisericors mater infundebat. Quod & idem Briccius, cùm eodem die quo illa de se apud quæ-

42. In Pelopida & Themist.

43. Forpachij. VII. Cal. Sept. 1587.

44. Ibidem, codémque die.

storem responderet, ita euenisse asseruit: hoc ad rem magis confirmandam addito argumento, quod prius sublata stragula filij artus illa illeuisset, ne tam facilè attrectatus excitaretur. Dominica Zabella 45 se quoque inquinauit, non solùm filij, sed & coniugis parricidio. Alexia Belhorla 46 vnum item, & alterum maritum veneno sustulit. Eodem enim loco habent & cædes, & parricidia: estque illis æquè acer, ac præsens animus ad vtrumque: ita omnem omnino humanitatem, pietatémque exuerunt.

45. Rogeuillæ in agro Tentrao. An. 1583.

46. Blainuillæ ad aquas. XVII. Cal. Feb. 1587.

Luem istam sortilegij sæpè in liberos ipsa parentum labefactatione, ac veluti contagione demanare: dum scilicet Magistellorum suorum gratiam eo facto inire illi student. Ac quomodo ætatis excusatione male id crimen à quibusdam in pueris defendatur: tum propter suam atrocitatem, immanitatemque: tum quod eius vnquam deponendi spes ferè omnis sit erepta, atque oblata.

CAP. II.

INfinita, atque inexplebilis semper fuit Satanæ auiditas: sic vt in quam familiam semel pedem intulerit, inde vnquam nisi ægrè retulisse auditus sit. Et hoc quoque inter alia indubitatum, certúmque indicium semper habitum est contra eos, qui sortilegij postulati, ac delati sunt; quod reperirentur ijs editi parentibus, qui illius criminis antè fuissent damnati.

1. Seneca in Hippolyt.

Redit ad authores genus,
Stirpemque primum degener sanguis refert. 1
Et hæreditarij criminis exempla quotidiana apparens

parent in liberis. Siquidé Dæmon præcipuè satagit suos indies numero cumulatiores vt habeat. Quę res illi in procliui magis esse nequit, quàm si eos, quos iam in potestaté habet, ad liberorum talem corruptelam adigat, atque impellat. Nicolæa Morelia [2] nondum puberem se ad nocturnos Dæmonum conuentus à patre fuisse deductam fatetur. Alia est, quæ quamuis nondum eius ætatis esset, quæ muliebris patientię legem posset accipere: dicit tamen se procul à matre amandatam fuisse in densam syluam, vbi lepidum adolescentem nancisceretur, quem illico facilè deperiret. Quod & ita vti prædixerat, euenit. Sed vt illum in amplexus admisit, sensit illico se illusá: visa est enim sibi è marmore statuam aliquam complecti: adeò rigidus, ac grauis incumbebat. Hennezelio parétes Erricus [3], & Catharina succubam dederunt in vxorem, quæ se Schuartzbourg nomine vocabat. Ei quantum illi primo accessu aduertere licuit, crinale, & vestis erant atri coloris: pedes equinis vngulis deformes. Nec eam tamen ob id minus deperiit: sed statim concubitus voluptatem sacrorum omnium abiuratione auidissimè depactus est. Verùm quasi in frigida oppletam specum immisisset re impedita, atque imperfecta pudens, ac dolens abiit. Dominicus Petronius, cùm nondum annum ętatis duodecim attigisset, itidem ad nefarios illos cœtus à matre, vt vxorem duceret, est perductus. Nam & illi matrimonia frequentari aiunt Coleta Piscatrix [5], ac pleræque aliæ: Imo Bertranda Tonstrix, & Sinchen May à Speitchen [6] retulerunt interfuisse se eiusmodi nuptiis, cùm fortè de nocte ibi fierent,

2. Serra XIII. Cal. Feb. 1587.

3. Vergauillæ mense Iul. 1586.

4. Giruncuriæ mense Octo. 1586.

5. Manerij VIII. Id. Mai. 1585.

6. Forpachij VII. Cal. Septem. 1587.

vbi fontes eius regionis in crucé agi solerét. Ac pro solito munusculo satis fuisse vocatis nuptæ in anū prono ore sufflare. Refert & Agnes Theobalda 7. præsentem se adfuisse cùm Cathalina, & Eugeb ab Hudlingen Beelzebub suo vna item, & altera solenniter nuberent, in illiúsque nuptiis quantum meminerat appositas fuisse è nigra caprea assas carnes. Dominica Falluæa 8, cùm iuncos religandæ viti vnà cum matre diuelleret, ac humi iacentes se, vt fit, à labore recrearent; cœpit post aliquot sermones illam mater monere, ne ad vllius rei aspectum formidaret, si quæ se forte insolentior ostendisset: nihil enim ab illa futurum periculi. Ac cùm hæc dixisset, momento astitisse humana forma aliquid, quod aspicientibus appareret calceario homini simile: erat enim incinctus ventrali sparsim pice contaminato, à quo tandem, cùm esset in eius verba iureiurando adacta, ac in nouæ militiæ signum iniecto in frontem vngue notata, tandem est compressa, ipsa vidente matre; quæ & vicissim se illi stuprandam præbuit, præsente se filia. Inde iuncti manibus in orbem aliquandiu tripudiauere: tandem accepta, vt videbatur, pecunia (nam paulò pòst retractata puluis esse cœpit) dilapso in auras incubo ad sua discessere. Matthæus Amantius Rozeratius 9 scelus hoc sortilegij abs sese excusatione ætatis apud Quæsitorem deprecans; conquerebatur se primum eo obligatum fuisse illa ætate, qua nihil adhuc ipse poterat, quáque per imbecillitatem alieno imperio etiamnum erat obnoxius. Nam vixdum è pueritia egressum vnà cum fratre, & sorore à matre abductum aliquo quasi ad consanguinei

7. *Hess. Pittelangij XV. Cal. Octo. 1590.*

8. *Ruppæ secundum Monerium. prid. Id. Iul. 1587.*

9. *Huecyriæ mēse Sept. 1586.*

sanguinei sponsalia, atque ibi inscios rerum simul coactos se Dæmoni addicere : postquam esset ille multa prolixè ad maiores illecebras pollicitus. Iis & consentaneum est quod sequitur. Adornabant carnifices tormenta, vt à Barbara Gilera [10] criminis istius confessionem exprimerent: Ea illa sedatè intuens, ac despiciens. Quæ hæc (inquit) dementia est sperare à me per vim quicquam extorqueri posse? quæ si velim vestros quantoscunque conatus facilè prohibeam, atque eludam ea quæ mihi expeditissima est aduersus omnes cruciatus, tolerantia: Sed iam vos lubens ista molestia libero. Nam quod me meus ille Magister non cessat obtundere, vt quatuor mihi è multis superstites liberos adhuc tenellos eius tyrannidi adiiciam ; certum est tunc me crudelissimæ morti potius offerre, dum è talibus miseriis, quas hactenus passa sum, pusiones meos eximo. Si enim euado isto non conuicta iudicio, hoc etiam restat: aut ab illo morte ipsa duriora pati aut illud de charissimis liberis etiam ingratam, atque inuitam facere. Eiusdem & argumenti est quod sequitur: Francisca Hacquart [11] vix annorum septem filiam Ianan nomine, vt se tandem simili molestia liberaret, Dæmoni addixerat : idq; inter alia admissa quæsitor fortè indicauerat. Cùm & ei rei consentiens esset filiæ testimonium, fidémque præterea maximam facerent ea quæ ipsa de nocturnis, quibus interfuisse se dicebat, sagarum conuentibus certa, ac propria afferebat: cœpit & omnium opinione eiusdẽ criminis cum matre manifesta teneri. Sed quia indigna ea ætas videbatur, in quam lege ageretur (nam nec vllum

10. Huccuriæ mẽse Sept. 1587.

11. Villa ad Ionam Ann. 1581.

malum venenum adhuc fecisse inueniebatur) recepit loci domina curaturam se, vt ab infanda illa consuetudine, quàm sanctissimis fieri posset institutis abduceretur. Ergo supplicio affecta matre sic apud matronam quandam seruatam, ac monitam per aliquod tempus habuit, vt resipuisse, ac pristinam libertatem, excusso Dæmonis iugo, recuperasse omnibus videretur. Sed malum, cùm nocte quadã inter ancillas media suo more decumberet, sublimem illam Dæmon rapuit, quasi secum abiturus: fecissétque, vt creditum est, nisi ab ancillis allatum esset impedimentum, inclamato sæpius nomine IESV. Sic disturbatus prædam inter tabulati tigna prędictam, ac pendentem reliquit, atque abiit. Nec id commentum fuit ancillarum vanam in vulgus rumorem spargere gestientium, sed ipsa totius viciniæ, quæ ad illarum clamorem accurrit, oculis res cognita, ac perspecta. Tum in filia stupor, ac conseruatio miserabilis, inædia, silentium, vigiliæq; octo dierum, ac noctium perpetuæ satis indicio fuere, nihil horum per fraudem, & malitiam affictum, excogitatúmque fuisse. Nam vltra septimum diem incolumi vita non posse perferri famem author est Plinius [12]. Quod si ad vndecimum trahi aliquando contigit, quemadmodum & is annotauit, id vti, quod modò narratum est, præter naturam euenisse fatendum est. Extiterunt & alij plures nostra memoria sic ab ineũte ætate in malam rem à parentibus abducti, quos quoniam doli iam capaces videbantur, censuimus nos Duumuiri damnandos, vt nuditer virgis cæderentur circum eum locum, vbi viui parentes comburerentur.

12. *Hist. natu. lib. XI. cap. vltimo.*

Quod

Quod & ab eo tempore ferè sic est vsurpatum. Sed ne hac quidem ratione vnquam putaui plenè legibus esse satisfactum: maximè si, vti post dicetur, ætas iam doli capax reperiatur, & constet illos veneuum malum fecisse: verùm oportuisse prętereà, quo publicæ securitati consuleretur, è naturæ humanæ finibus illos eijci, atque extrudi. Nam quod pœnæ ad sontium emendationem, correctionemq; etiam adhiberi solent, verendum est ne hic frustra fiat. Experientia enim deprehensum est eos, qui sic in potestatem Dæmonis transierunt, rarò nisi morte illi adimi: adeò tenax, & sui iuris dominus, sicque ægrè quicquam de suo remittit. Quod si ad exemplum res pertinet; quæ commodior ad nequitiem fenestra aperiri, quę impunitatis spes maior offerri, aut dari potest, quàm si tanti, támque detestabilis sceleris iusta, ac legitima aliqua excusatio admittatur? Viderint igitur qui earum rerum iudicia exercent vtrum leges, quæ ætatis imprudentiam excusant, ac miserescunt, rectè ei malo cõueniant, quod sit non modo desperatum, sed etiam cum ætate vires adaucturum: cùm & in alijs longè leuioribus delictis vltimam sæpè legum tam diuinarũ, quàm humanarum seueritatem adhibitam legamus. Quadraginta duo pueri à duobus vrsis sunt lacerati [13], ea solùm causa, quòd Eliseo proteruè illusissent dicentes: ascende calue. Trebius Germanus legatus de impubere sumi iussit supplicium, vt Marcianus [14] libro vndecimo de publicis iudicijs obseruauit: quod cùm ad pedes domini cubaret, cùm occideretur; eius tamen cædem non prodidisset. Atheniensium etiam celebratur iudicium, quo

13. *Quarto Reg. cap. 2.*

14. *l. Excipiũtur. Ad senat. Syllania.*

nondum ephebus capite damnatus fuit: quod cornici oculos eripuisset. In hoc enim, qualis erat ætate adulta futurus, specimen amplissimum dederat. Quæ res & superioribus annis me, collegásque meos impulit, vt nondum septendecim annorum furem in crucem agendum pronunciaremus: quòd iam tertium virgis cæsus, ac etiam alterum inustus humerum, pergeret tamen furtis, latrociniísque vitam traducere. Eodem affectum supplicio Senatus Parisiensis sententia vndecim annorum puerum: quod æqualem ictu lapidis necasset, ac mortui cadauer occultauisset, memorat Bodinus [15] in sua Dæmonomania. Denique, vt eò, vnde modò digressus sum redeam, æquum non est vnius salutem multorum innocentium, ac immeritorum aperto discrimine redimi. Nam dubium non est, quin quod adhuc ignari rerum ex aliena patrant libidine, id pro sua, vbi ætas iræ, vltioníſque cupiditates plenè accéderit, ardétissimè sint executuri. Et Mæandri in hoc criminis genere sententia semper probabilior visa est: Salutari seueritati postponendam esse inanem speciem clementiæ [16]. Item Sexti Cæcilij apud Gellium [17] acerbitatem vlciscendi maleficij benè, atque cautè viuendi disciplinam esse. Non deessent exempla, quibus pueritiam illam à veneficio instigantibus parentibus, nõ temperasse facilè ostendi posset: Memini enim legere me in istiusmodi reorum quæstionibus, qui faterentur se in extremis vnguibus venenum habuisse ascõditum, quod à parẽtibus accepissent, eiúſque affrictu inter colludendum æquales sæpè infecisse, ac necasse: sed nec personas, nec tempus nunc dicere va

15. Lib. III. ca. 5.

16. Cic. Epist. 11. ad Brutum.

17. Lib. XX. ca. 1.

cere vacat: quòd cùm ea legerem non esset adhuc consilium hæc scribere. Vnum tantum suppetit, quod hæc iam in lucem edituro ad hoc iudicium nostrum Duumuirûm est delatum de nondum septenni infante Laurentio Arselaiensi[18], quem non modò constitit ex ipsius etiam disertis verbis ad nefarios Dæmonum conuentus à parentibus fuisse deductum, vbi vertendo veru, assandísque carnibus minister adhibitus fuerat; sed & ab ingerente se Magistello, qui sibi Verd-Ioli nomen fecerat, venenum non semel accepisse, quo eorum qui vel leuissimam exhibuissent molestiam iumenta deinde necasset: vti euentus ipse comprobauerat. Hîc controuersia inter Duumuiros, & dissensio fuit non parua: quid de eo, qui hæc sic perpetrasset, esset statuendum: contendentibus nonnullis non esse diutius in hac hominum societate ferendum, qui ad humani generis capitalem hostem tam turpiter desciuisset: Non videri commiseratione dignum, qui nihil ipse cuiusquam, cui nocendi libido fuisset, esset misertus: Eius vitæ non esse parcendum, qui alijs vitam per summam iniuriam ademisset, ac quod viueret, nisi Deus prohiberet, esset ademturus: κάθαρμα illum esse, ac vltimæ execrationis hominem, cui ne legibus quidem paganorum, qui tamen pietatem vti nos non coluerunt, parsum vnquam fuerit: Tanto flagitio contaminatum, vti pecus, ad quod accessit mulier[19], haud dubiè interficiẽdum esse, ne quid supersit, quod adeò execrandæ, ac detestabilis rei memoriam vnquam refricet: Innocentiam consilij, quæ alioqui infantes tuetur, nullam dici, ac defendi posse[20]: vbi per-

18. Serra. V. Cal. Iun. 1591.

19. Cap. Mulier. xv. q. 1.

20. l. infans. ad leg. Cor. D.

seuerantia animi iudicium ostendit, quam nemo in eo fuisse negauerit, qui acceptam iniuriam ex interuallo ad animum reuocauerit[21] clã quoq; [22], ac timidè, vti qui malæ rei sibi sunt conscij vltus fuerit. Factum vbi atrox apparet iam non domesticam disciplinam, atque animaduersionem, qualis solet esse in pueros: sed iudicum notionem, ipsámque legum seueritatẽ exigere [23]: Impunitatem delicti propter ętatẽ non dari [24], si modò in ea quis sit in quam crimen quod intẽditur cadere potest: at tale id esse, quo de nũc agitur satis ostendere inimicitias, furta, mẽdacia, æmulationes, ac periuria eius, ceu προσηβικὰ peccata, quibus tamen nemo inficiabitur obnoxiam esse puerilem illam ætatem: vnáque ex omnibus venerẽ ante pubertatem non tentari, quòd ad eam scilicet vires nullæ adhuc satis sint validæ atque efficaces. Quod & sensit Gregorius [25] in antiquis. Denique hoc nunc vsuuenire, vt septennes pueri ad fraudem callidiores reperiantur, quàm qui olim rudioribus adhuc sæculis suam pubertatem erant assecuti. Iam vt verè dici possit adeò pręcocem pręmaturámq; in pueris nunc esse solertiam, ac perspicacitatem, vt earum malitia ætatem (quod loquuntur Iurisconsulti) facilè supplere inueniatur. Contrà qui ad mitiorem sententiam inclinabant: Non videri eum ad hostem transiuisse, qui quid ageret ipse non intelligeret: Quam etiam ob causam olim tyroni [26], qui primùm desertor fuisset, ignoscebatur, vtpote disciplinam adhuc ignoranti. Immisericorditer, duriterque quicquam ab eo factum non pręsumi, cuius ingenium, ac mores nihil æquè, ac crudelitatem abhorreant,

21. l. Diuortium. 11. de Diuor. D.

22. l. diffamari de Ingen. & manum. C.

23. l. vnica, De emend. prop.

24. l. Impunitas, De pæn. C.

25. Cap. 1. de del. ꝯ. puer.

26. l. 2. §. qui militiæ. l. 3. sub f. de re milit.

atque abominētur: Cędium autē, vulnerum, incendiorum, aliarúmque id genus calamitatum aspectum non ferre pueros: sed statim alienis malis illachrimare, atque ingemiscere ipsa experientia satis esse manifestum: vt si adeò quid secus fecisse reperiantur, id prodigio simile existimandum sit, credendúmque potius in eo illos voluntatem suam nullatenus accommodasse: cùm tamen nullum sine ea crimen vnquam contrahi possit. Non magis illos necis cuiquam afferre causam, quàm ferrum, fustem, lapides, venenum, aliáque quæ ad alterius pernitiem adhibentur instrumenta; in quæ tamen sanus ideò sæuit nemo, quod ad cuiusquam cædem, atque exitium vsui fuerint, & adiumento. Nam hoc sit canum in ore proiectum mordere lapidem, eo qui vibrauit omisso ac neglecto. Sacrata equidem olim capita, ac deuota fuisse Dijs Manibus, quæ impune à quouis occidi, ac violari possent: sed ea illorum fuisse, qui se volentes, ac scientes ei detestationi vltro obtulissent: pactis videlicet per annum cibis publicis, ac purioribus: ídque vel lustrandæ patriæ: vel expiãdi alicuius sceleris, morbi, ostenti causa: vti fuit caper ille emissarius apud Hebræos[28]: sed eorum omnium nihil in puerum illum rectè dici posse, qui nihil mercede spoponderit: qui non sit periculum publicum, aut scelus alienum morte luiturus: in cuius denique supplicio nullum aliud exemplum statui possit, quàm quo naturæ ipsi probrum inferatur, quæ consilio primam hominum pueritiam non satis proinde instruxit, ac muniuit. Quod pecora etiam, quæ semel nefanda hominum libidine sunt foedata, ac conta-

27. *l. 1. ad leg. Cornel. De Sica. C.*

28. *Leuit. c. 15.*

minata iubentur interfici, ac eorum memoria obrui, nō eamdem habere rationem. Multum enim interesse cæde perimatur, quod ad cædem iam natum est animal: an vita adimatur homini, cuius causa cæteris animantibus natura vitam concessit, ac tribuit. Nec leges ipsas omnibus easdem pœnas ob eadem facinora semper irrogasse: sed huic pro dignitate, atque amplitudine minuisse: illi pro tenuitate, humilitatéque adauxisse, ac cumulasse; æqualitate enim (inquit Plinius) in ferendis sententijs nihil inueniri posse inæqualius. Indignè igitur eum facere, qui homines, belluásque eodem iure censeri postulet. Nihil innocentiæ, simplicitatíque puerorum aduersari, quod acceptæ iniuriæ diu reminiscantur: quod eius referendæ occasionem libenter arripiant: quod caueant in facto deprehendi. Nam & hoc bruta animantia facere, quibus tamen ob id nemo rectè vllum animi iudicium tribuit. Atrocitatem [29] facti ex affectu facientis consistere: ob ídque eum, qui occidit, cum vulnerare tantùm vellet, mitius legibus puniri: in impuberem autem nondum doli capacem agi iniuriarum non posse: tantum abest, vt de earum grauitate quæstio ei moueri debeat. Siquidē eius, quod non est, nullas esse qualitates iura vbique prædicant. Frustra igitur hîc distingui inter domesticam disciplinam, & exempla publica; cùm non minus repugnet iuri, quod in porportione constitutum est (ἀνάλογον vocat Aristoteles) ætate adhuc tenera infantem palàm, ob factum homicidium, supplicio affici, quàm adulta hominem ob id ipsum virgis domi cædi, ac castigari. Omnino infantiam doli

29. *l. 1. §. 1. de iniurijs. D.*

expertem

expertem esse; nec quicquam, quod malitiæ imputari debeat, in eam cadere posse: Sic enim cùm se admodum impuberem siue μειρακύλλιον κομιδῇ Demosthenes dixisset, rectè eo dixisse adnotauit Vlpianus [30], vt intelligeretur non fuisse adhuc doli capacem: Nec quicquam contrà facere videri, quod virgarum metu metiuntur pueri: æqualibus, si quæ intercedit contensio, inuident: moderatores ægrè ferunt, ac sæpè oderunt: manus ab alieno non abstinent. Nam hæc rudimenta tantùm esse vitiorum, atque incunabula, non etiam consummata, quæ humanis legibus coërceri, ac vindicari oporteat crimina, ac peccata. Porrò quod nunc maturius quàm olim sapere, atque intelligere dicantur hanc veterem esse multorum temporũ querelam.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem. [31]

Cuius sententiæ authorem Horatium multis post annis secuti Saluius Iulianus [32], Domitius Vlpianus [33], Iulius Paulus [34], ac Iurisconsulti alij plerique: omnes tamen negauerunt pupillos doli esse capaces, nisi qui essent propè ipsam pubertatem, id est (vt interpretur Callistratus [35]) quibus semestre tantum tempus ad pubertatem deesset, vel ad summum annus, vt explicauit Galenus in Aphorism [36]: Neque enim eos ante id ætatis delectum rerũ habere vllum: Denique [37] venia dignum videri, qui aliquid ex eius præcepto facit, cui necesse habet parere. Quantum autem parentibus liceat in liberos tenellos adhuc, atque obnoxios omnes qui volent memoria

30. *l. 3. § 1. De sepulch. viol. Iac. Cuiatius obseruat. l. VI. cap. 22.*

31. *Horat.*

32. *l. apud § si quis cum tutor. de Do. excusa.*

33. *l. Impuberẽ De furt. l. Heredib. sub f. de Dolo.*

34. *l. 4. de tribut. actione.*

35. *l. non tantum in p. de exc. tutorum.*

36. *III. Aphorism. 20.*

37. *l. in fraudem, De his quæ vt indig. auf.*

memoria repetere, quales ipsi ea ætate fuerint, facilè iudicabunt. Et secundum hanc sententiam quod mitiorem interpretationē habere videtur, est pronuntiatum. Verùm quòd ea animi labes vix elui posse dicatur; ac si qua tandem ratione queat, præcipuam eam esse, quæ posita est in quotidianis eorum monitis, ac institutis, qui se à communi hominum vita ad duriorem, rigidiorémque pietatis cultum contulerunt: visum est includi eum oportere in Paulianorum cœnobium, quod eo loci, vbi reus agebatur, necnon ita pridem extinctum est. Plerosque enim omnes dicere nullam spem bonæ mentis reliquam fore: nec esse quod prætereà expectaretur, si non ea via resipisceret. Quod faxit Deus Omnipotens, Deus luminū, misericordiarum ac spirituum pater, vt tandem homines quod deinceps sequantur in iudicando exemplum habeant, & certius, & planius. Nā certè ex eo, qui adhuc extitit, sortilegorum numero nemo quod sciam auditus est, qui se ad bonam frugem recepisset. Sed contrà vno ore ferè omnes autumant sibi, postquam semel fidem Dæmoni suam obstrinxerunt, non licere impunè eam vnquam fallere. Ac siquãdo id faciendi subeat libido, aut illius tædium aliquid eos capiat, fortè quòd promissa non perficiat, quòd intolerabiliter sæuiat, quòd instet vbique importunus: non licere tamen id facere propter eius iuges, assiduasq; dehortationes, minas, verbera. Quod & Ioannes Bursarius 38 hoc ipso mense frustra sè sæpissimè tentasse asseuerauit.

38. *Dombrotij XIII. Cal. Augu. 1591.*

-facilis descensus Auerni:
At reuocare gradum, superásque euadere ad auras.

Hoc

Hoc opus, hic labor est.

Ista tamen fateamur oportet omnia ex Dei omnipotentis motu pendere, & arbitratu. Eámque emergendi difficultatem non tam esse ex assiduitate Dæmonis, quàm ex eo quòd iusto Dei iudicis deserti Sortilegi & eius gratia spoliati suopte robore ac viribus non possunt se eius vinculis expedire.

Humanis cadaueribus sortilegos abuti ad sua maleficia: præsertímque, si quæ sunt vel abortu egesta, vel supplicio interfecta, vel denique cæde aliqua indigna, atque inhonesta perempta.

CAP. III.

SOrtilegos sæpius humanis cadaueribus ad maleficia sua abuti authores sunt Porphyrius[1] in libro de sacrificiis, & Psellus in eo quem scripsit de Dæmonibus. Nimirum (inquiunt) quia animæ liberatione terrenæ contagionis iam factæ vaticinatrices: contagionem tamen aliquam è superiore contubernio adhuc retinentes, circum corpora volitare, atque obuersari creduntur. Quod mihi neutiquam sit verisimile: Nam nec vllum vnquam desiderium est eius custodiæ, vnde quis euaserit, nec defæcato, ac puritatem suam demum adepto animo cum fœtido, ac putido corpore vlla necessitudo rectè intercedere potest: & omnino tanta morte fit vtrinque secessio, donec manifestamur coram tribunali Christi, quanta vnquam dari vel cogitari queat[2]. Credibile est igitur hæc ita consultò, ac malitiosè à Demonibus esse adinuenta, vt

1. Cap. de vero cultu.

2. Ca. 5. II. ad Corinth. vers. 10.

naturam humanam magis, magísque ludificantes eius reliquiis ad eam, quam moliuntur mortalium perniciem maiori cum contumelia abutantur. Reperiebantur (inquit Tacitus [3] de Pisone veneficij suspecto loquens) solo, ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & deuotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum: semusti cineres, ac tabe obliti, aliáque maleficia queis creditur animas numinibus infernis sacrari. Quod & Apuleius [4] attigisse videtur, dum causam recenset, ob quam cadauera Larissæ in Thessalia peruigili noctis custodia seruari solerent. Nimirum (inquit) ne sagæ mulieres, quibus ea regio abundabat illa contumeliosè demorsicarent, præsegmináque ad exitiabiles viuentium fortunas conuerterent. Hoc & nostrę ætatis maleficis hominibus moris est facere: præsertim si cuius supplicio affecti cadauer exemplo datum est, & in crucem sublatum. Nam nō solùm inde sortilegiis suis materiam mutuantur: sed & ab ipsis carnificinæ instrumentis, reste, vinculis, palo, ferramentis. Siquidem iis vulgi etiam opinione inesse ad incantationes Magicas vim quamdam, ac potestatem. Mulierum quoque fœtus abortione egestos nulla alia probabiliori causa itidem vsurpant: alij quidem è detracta eorum cute mēbranulas adaptātes quibus barbaro, ac ignoto aliquo charactere inscriptis demum vtantur ad ea, quæ maximè cupiunt, consequenda. Qua de re Agrippa, Petrus de Abano, & Picatrix tres damnatæ Magiæ proceres plura, quàm è re hominum sit, præcepta reliquēre. Alij verò totos, integrósque decoquentes; dum vel in cine

[3] Annal. lib. 11.

[4] lib. 11. de Asino aure.

in cinerem ariditate abeant: vel in massam adhibitis, ac commixtis quibusdam aliis coalescant. Quod & Baptista Porta Neapolitanus [5] in libro secundo Magiæ naturalis obseruauit sua ætate factum. Id genus φαρμακοποιὸυς membratim in sua facinora abortus diuidentes, non modò ab obstetricibus, verùm etiã à meretricibus proditos retulit Plinius [6]. Et hodie frequentes habet, quæ sub Lotharingica ditione est, Alemania: vti sæpè deprehendi ex eorum quæstionibus capitalibus: Anna Ruffa [7] agnoscit operam suam commodasse se Lollæ cuidam veneficæ in eruendo eiusmodi cadauere, quod ad fani Dusani maiorem portam recenti funere obrutum fuerat; atque ex eius exusti cineribus medicasse potionem, qua deinde ad certam eorũ, quos vellent peremptos, vterentur perniciem. Catharina Metensis [8] addit se ad ingratiorem saporem admiscere solitam lupinum, filices, inulas, fel bubulum fuliginem, & si quid est quod amarore superet. Nam etiam inuitis & obnixè reluctantibus ea in os ingerunt, vti alibi dicetur. Briceij Meg [9] conueniens est huic testimonium, de refosso scilicet infantis cadauere, quod eius pater (huic erat nomen Faber Vvolf) pridie extulerat: In hócque tantum diuersus est à superiore, quod non assatum in cineres, sed elixum in massam confecerit, quo commodius inde vnctionem pararet. Ossa porrò in cinerem redegisse aspergendis nemorum arboribus, vt glande sua deficerentur. Fuxenæ Eugel [10] ab hoc non est aliena assertio, dum narrat eiusmodi cineres in ventos cum execratione, ac deuotione spargi solere: vel ad vrendos arborum

5. Cap. 6.

6. lib. XXVIII. cap. 7.

7. Dusæ Cal. Octo. 1586.

8. Ibidem prid. Non. Sept. 1586.

9. Forpachij VII. Cal. Sept. 1587.

10. Bulacij mẽse April. 1586.

flores: vel ad interficiendas segetes. Maria Ioãnis [11]
11. Humburgij Non. Iun. 1590. Sartoris in Metzer Esch cõmorantis vxor recitauit Ioãnetam Soniaus Mathes vxorẽ, cùm partum intempestiuè eiecisset, eũ clã in quo habitabat cubiculo defodisse: Sed cũ id olfecissent sagæ quædam, eum illas postmodũ refodisse, atque in vnguẽtum confecisse: vnde & ipsa scopas aliquando illeuisset, quibus insidens sublime illico esset elata, atque in Bruch (is dictus comitiis locus erat à Magistello suo Rousgen) deportata. Vvelch Antonius [12] idẽ quoq; 12. Guermingæ. XIIII. Cal. Ian. 1589. sibi narratũ retulit ab Grosʃ Nichel, & Beskesʃ, vxoribus vtraq; ex sortilegij societate notissima sibi fœmina non adeò pridem refodisse se è cœmiterio Guermingensi duo eiusmodi cadauera, quæ parẽtes Bernhardi, & Antonius Lerchen recẽs humo condiderant, eáq; igne cõsumpta in Magicos suos vsus conuertisse: resecto prius vnà cum humero, costísque continentibus, dextro brachio: in vsum scilicet luminis, si cui de nocte venenatam potionem fortè vellent infundere. Res hæc prodigio est, & fabulæ similis. Extremi eius membri digiti flamma sulphurea, ac violacea tantisper ardebant, dum perfectum, absolutúmque esset, quod aggrediebantur negotium. Eáque demum extincta tam integri, illibatíque restabant, quàm si lumini fomitem nullum ante præbuissent. Idq; quoties opus fuerat cum eadem digitorum incolumitate repetitum fuisse. Quod & Bernhardi [13] illius vxor non 13. In Guermingen. XIII. Cal. Feb. 1590. multo post quàm hæc ab illo prodita sunt, totidem ferè verbis retulit. Nihil etiam inficiata, quod in proprij partus contumeliam flagitium admiserat: dum illum in Magica sua portenta sic ipsa mi-

ſerè dilaniauit, torruit, atque aboleuit. Equidem qui volet ſuperiorum temporum res geſtas memoria repetere, quotidianas etiam, ac vulgares attentiùs conſiderare: neque exemplo res hæc noua: neque, quam quæ Dæmones quotidie edunt miranda plurima, à fide alienior videbitur. Refert Plinius [14] vidiſſe ſe, cùm vigilias pro vallo ageret inhærentem militum pilis fulgorem ſtellæ effigie, & antennarum cornibus ignes hinc inde ſæpè ſine damno inſediſſe, quos eius temporis nautæ Caſtorem, & Pollucem: hodierni (vt audio) Diui Anſelmi ignes vocitant: Sed eſto, habeant hæc cauſam ab exhalationibus terræ, vel maris, quæ extremis lignis adhęrentes agitatione flammam concipiant. Detur lignorum eas oras, atque extremitates, ceu magnes ferrum trahit, ita expirationes illè ſugere, ac morari: qui fit vt ignis cæterarum rerum edaciſſimus, huic tamen ad exardeſcendum atque iacturam tam facili parcat, ac ne leuiſſimum quidem ſui veſtigiũ relinquat? Nam certè inquit Plutarchus [15] ignis velut fera aliqua vorax, rapáxque quicquid in propinquo eſt conſumit. Iam quod in corporibus, quæ ſenſus expertia ſunt, incredibile videri poſſit an non in animatis monſtro ſimile prorſus videbitur, ſine vllo ſcilicet doloris ſenſu, ſine vlla viuæ cutis iniuria, ac læſione circumſedere diutius ignem. At Lucio Martio [16] in Hiſpania interemptis Scipionibus concinnanti, ac milites ad vltionem exhortanti flammam ex capite emicuiſſe: Idem quoque Seruio Tullo dormienti in pueritia contigiſſe: Et Anagniæ ſeruo [18] tunicam arſiſſe, inter mortuóque igne nullum flammæ apparuiſſe veſtigium

14. *lib.* II. *ca.* 37.

15. *In lib. vtrũ aqua an ignis ſit vtilior.*

16. *Valer. Antias apud Plin. lib.* II. *ca.* 107.

17. *lib.* I. *ab Vrbe condita.*

18. *Iulius Obſequens de prodigÿs.*

19. lib. 11. Aeneid.

Romanorum perhibent historiæ. Et Vergilius [19], qui (vt inquit Macrobius) rebus fictis sæpius veras inuoluit, Ascanio ex eo augurio regnum portendit:

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactúque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Potius igitur est, vt dicamus istiusmodi ignem non eum esse, qui id, in quo viuit, depascitur: qualem in vsu quotidiano habemus: sed ementitum, & sola specie à Dæmone adumbratum: vti & in difficiliores longè promptissimum est hominum oculos fallere. Erraticos equidem flammarum globos memini legere me in sagarum confessionibus, qui iis de nocte sæpè essent obuersati, ac humana voce locuti. Sed hîc aduersaria mea me deficiunt, quæ locum, tempúsque suggerant. Etsi eos non alios fuisse credibile est, quàm quos philosophi depingunt nobis ignes fatuos, è cliuosis sępè etiam palustribus locis viatoribus apparentes. Nam quod à naturalibus causis suam illis arcessunt originem, nihil quidem à se alienum faciunt, qui cuncta è naturæ fontibus deriuant, nullam aliunde rerum fabricam, atque opificium admittentes. Sed ferè iam vulgi visum, ac spectrum illud esse existimantis obtinuit sententia. Galli (inquit Pontus Tiardæus [20]) appositissimè lingua patria vocant *Aduiz*, id est φάντασμα; quo nomine eiusmodi impressiones, quæ visum tantùm feriunt, appellari solent. Quæ non est omnino à ratione aliena persuasio: Nam primum motus non conuenit, quo transuerso ignis naturaliter nunquā fertur, nisi cùm fomitem suum sequitur:

20. In lib. de vniuersit.

ſequitur: quem nemo dixerit in locis, per quæ ſolet decurrere fatuus ille, & ad concipiendam flammam facilem, & ad alendam ſatis copioſum perpetuò, & vbique reperiri. Tum quòd viatores in ſtagnorum, fluminúmque voragines, aliáque præcipita pellicit: id verò ſine ſuſpicione non eſt inſiti genij alicuius mali, atque inſidioſi: qui ſic hominibus facem ad exitium, interitúmque præferat: vti in nefario illo opere, de quo modò inſtituta eſt oratio, eueniſſe probabilius eſt: extremis ſcilicet membri è cadauere reuulſi digitis non hæſiſſe verum ignem: ſed inſediſſe tantùm ignea imagine Dæmonem, miſeráſque iſtiuſmodi humanæ vitæ reliquias, ceu inſtrumentum, materiámque ad eam rem propriam ſibi præcipuè delegiſſe; quo ſuis opinionem iniiceret illis efficacem ineſſe vim aliquam ad ardua, & difficilia: maximéque ſi præceſſerit inauſpicatum aliquid, vti puerperia illa vel abortu edita, vel etiam à veneno, cæde, aliáque vi aliqua cauſam habentia. Nam in hoc demum ſeriò triumphat. Hæc illi ſumma hic fructus atque merces longè vberrima iucundiſſimáque eſt omnium, quas vnquam inſtruit inſidiarum. Vnum, atque alterum poſterioris generis dum propero, adiiciam. Pergamenſes (inquit Paulus Diaconus [21]) cum à Sarracenis obſiderentur à Mago quodam (vt in deſperatis rebus malo exemplo fieri ſolet) conſilium exquiſiuerunt, qua ratione vrbem ſuam obſidione liberarent. Eum verò reſpondiſſe futurum, vt id certò facerent, ſi dextras ſuas in ollam intinxiſſent, in qua fœtus è grauida matre per vulnus detractus ebuliiſſet: Quod cùm religiosè admodum

21. lib. xx. rerũ Romnarũ ſub Theodoſio.

dum

dum fecissent: nihilominus omnes in hostium potestatem venerunt: Id enim Dæmonem non alia causa commentum fuisse credi par est, quàm vt cumulato per summam crudelitatem parricidio Pergamenses immaniori scelere aucti perirent. Nec eo illi scelere soli cruentati, contaminatíque reperiuntur. Scribit Berosus, si modò Berosi sunt quæ circunferuntur scripta, cùm Megasthene Mirtilo, & aliis nōnullis vetustioribus immissum olim fuisse à Deo cataclysmum ad vlciscendos mores hominum, è matrum apertis visceribus infantes euellentium, ac diripientium: vel ad nefandas suas epulas, & conuiuia: vel ad miscenda, parandáque aliijs venena. Priori ascribere licet, quod Aristoteles [22] recitat in libris de Moribus ad Nicomachum, mulierem extitisse adeò natura vitiosam, ac deprauatam, vt è grauidis mulieribus facto vulnere fœtus detraheret, ac deuoraret. Quod Apollonius [23], Diodorus [24], & Aristophanis interpres [25] lamias olim factitasse memorant. Et Horatius [26] alicubi meminit.

Neu pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Hodiernas etiam idem vsurpare suprà ex amplioribus verbis Dominicæ Isabellæ [27] meminimus. Posterioris generis esse potest quod sequitur exēplum, mihi non multo antè, quàm hunc centonem emittere cogitarem, oblatum. Ioanni Molitori à Vvelferdingen [28] anniculus erat infans, præcipuè eius deliciæ: Hunc Agathina à Pittelingen, Anna à Miltzingen, & Mayeta à Hochit cunis clam detractum in ardentem rogum imponunt, quem ipsæ ea causa in perarduo monte, la Grise, nominato

22. lib. VII. cap. 5.

23. Apud Philostratum lib. IIII. ca. 8.

24. lib. XX.

25. In vespis.

26. In libr. de arte Poët.

27. Cap. 16. lib. 1.

28. Hess. Pittelangij. XII. Cal. Octo.

extruxe

extruxerant, eiúsque exusti cineres studiosè colligunt: tum rore ex segetum aristis, graminúmque summis herbis excusso perfundunt: atque massam vtique friabilem concinnant: aspergendis scilicet vitibus, satis, atque arboribus: quo statim læso flore perirent, fructibúsque suis deficerentur, sed forsan plus satis de re, cuius tam parum grata, iucundáque est commemoratio.

4. D. August. lib. xxi. de ciuit. ca. 14.

Perdifficiliter vitari posse quas venefica hominibus struunt insidias: quod de nocte in obseratas, clausasque domos ignota specie, ac forma illabantur: arctissimo somno decumbentes diris suis artibus obruant, prodigiosaque alia multa edant; contra quæ nullum tam præsens est remedium, quàm quibus nos lectum inituri Deo tradere, ac commendare solemus precationes. Tum quædam de ea per incantationem inducendi somni ratione.

CAP. IIII.

ABs re non est quod passim formidabiles sunt, qui sortilegij suspecti habẽtur. Etsi enim non est illis infinita quibus volunt nocendi potestas, vti in Sarræ maritorum percussore Asmodæo innotuit: quoniam tamen nostra nos, sic volente Deo, peccata illorum iniurijs sæpè obnoxios reddunt: quod etiam Vuelsch Antonius [2] propria confessione sortilegij manifestus prodidit: & nemo adeò est

Integer vitæ, scelerísque purus, [3]

quem admissi alicuius conscientia non stimulet, ac terreat: nemo in colenda religione tam attentus, &

1. Tob ca. 8.

2. In Guermingen. XIIII. Ca. Ian. 1589.

3. Horat.

diligens cui præcipitantibus fortè negotijs non accidat, eas preces, votáque omittere, quibus se in Dei præsidium, ac tutelam quotidie commendare solet 4: non iniuria metus ille securissimum quemque tentat, atque afficit. Tum quotidiana eius rei experientia satis est documento, quam non leue ab ea re periculum plerunque nobis impendeat. Siquidem vel inopinantes, ac sæpè dormientes de nocte venenis suis aggrediuntur; vel etiam vigilantibus sic struunt insidias: vt humano consilio, ac prouidentia vix vitari posse videantur. Extant quidem variæ de his in alijs huius libri partibus narrationes, quæ lectori in hoc abunde satisfacere queant: verum quoniam se denuò hic ingerunt, & non omnino iniucunda, ingratáque futura est eorum commemoratio, non pigebit & sequētia paulo copiosius illis ascribere. Ac primùm memoratu non est indignum, quod testis quidam auditus in ea quæstione, quæ capitaliter est instituta contra Margaretam Luodman 5, recensuit. Ea inter secus à se admissa hoc quoque sponte agnouerat, se nocte quadam testis illius ædes fuisse ingressam, eo animo, vt somno sopiti faucibus venenum infunderet: ídque incœptum quin perficeretur parum abfuisse: ita in procliui videbantur esse omnia. Sed (malum) contra quàm putabat excitatum illum fuisse à somno, adeò vt re infecta cum facinoris socijs ipsa se in fugam dare cogeretur: consectante interim illo manu armata, ac tandem cùm assequi non posset, minas ferocius intentante. Ea igitur de re ad ampliorem cognitionem interrogatus is testis omnem, vti illam saga prænarrauerat, certis, disertísque

4. D. August. lib. XXI. de ciuit. ca. 14.

5. Vergauillæ. X. Cal. Feb. 1587.

diſertíſque verbis recenſuit: videlicet appetitum ſe, ſicuti dictum eſt, veneno: hócque vnum, ne præberent, illis fuiſſe impedimento, quod fortè expergectus: neque enim earum vnguine adhuc illitus fuerat, ſe crucis ſymbolo, ac precatione Dominica contra tantum diſcrimen, atque periculum muniuiſſet: verúmque omnino id eſſe, quod illas cum telo multum viæ eſſet proſecutus, nec tamen aſſecutus. Catharina Metenſis, ac Hennezelius adoleſcens[6], de quibus proximè habita eſt mentio, Iacoba Vveher[7], Gaſpar Haffner[8], Margareta Ienina[9], illa Margareta Luodmam, Sennel Armentaria[10], ac ferè omnes eius criminis rei deprehenſi in Germania, quæ eſt ditionis Lotharingicæ, concorditer aſſeuerant eam ſibi à Dæmonibus (modò ijs per aliquot annos fuerint operati) penetrandarum ædium facultatem eſſe tributam: vt ſcilicet per quaſuis anguſtias nullo negotio viam ſibi faciant in mures, feles, locuſtas, ac alia eiuſmodi puſilla animantia, prout vſus poſtulat, cõtracti, atque imminuti; intromiſſóſque denuò priori formæ reſtitui, ſi velint; ac tum commodè inceptum peragere, quale ſuperius eſt declaratum: videlicet illiniendo primùm eo per artus omnes, cui moliuntur interitum, ne euigilet: tum firmiter, ac validè os illi diducendo, ne potionem agitatione excludat: tandem venenum in fauces ingerendo admota lucerna, quæ ſulphuream flammam euomat: ſtupẽdum illud eſt, quod teſtatum de ſe reliquit Margareta illa Ienina, quæ cùm Iaquelinum filium ſuum malè odiſſet, quod de conſequendis in proximas Alſatiæ nundinas pecunijs ſæpius obtunderet, ac il-

6. *Vergauillæ mẽſe Sept. 1587.*

7. *Ibidẽ Cal. Octo. 1584.*

8. *Morhangij XVIII. Cal. Sept. 1587.*

9. *Vergauillæ. X. Cal. Feb. 1587.*

10. *Duſæ prid. Cal. Octo. 1586.*

lius tandem se quauis ratione flagitationibus expedire decreuisset: Id vt faceret nocte intempesta vnà cum ijs, quas patrando sceleri socias sibi adiunxerat, à Dæmone in illius ædes, quæ erant in Saxbringen, est inuecta: vbi dormientem ex composito adoriuntur, ac lecto deturbatum ante focum constituunt, viuum assaturæ, si in se fuisset: sed fato aliquo impeditæ animum suum ad aliam iniuriam conuertisse. Ac forte humi repertam testam eius lateri, facto prius vulnere, quod tamen momento coalesceret, inseruisse; vnde etiam post multorum mensium vexationem, videntibus multis, erupit. Non absimile huic est quod sequitur Bertrandæ Tonstricis[11]: quæ se earum ope quibuscum sortilegij erat sodalitium, Elisę cuiusdam collo ob denegatum lactis vrceolum os infixisse agnouit. Item illud Sennel Armentarię[12] recensentis se in summum pedem cuiusdam Philippi Pistoris nomine os è verucecina coxa inseruisse: cum prius admota piscis spina vulnus fecisset, quod deinde callo obductum ingentes, ac diuturnos dolores illi pareret: vt ab eo Pistore posteà etiam rescitum est. Ac quoniam in earum noxarum mentionē incidimus, quæ sic secretis, ac stupendis sortilegorū artibus contrahuntur, hanc postremā adiiciam, quæ non parum admirationis est allatura. Ianæ Blasiæ Thermopolitanæ[13] gener erat nomine Raynerius, vnáque ambo in ijsdem ædibus ipsi habitabant. Huic Raynerio Claudius Gerardus eius popularis femoralia concinnanda pridem locauerat, nec instando tamen adhuc efficere potuerat, vt ea sibi aliquando vtenda redderet. Pertæsus igi

11. *Porpachij* VII. *Cal. Sept.* 1587.

12. *Dusæ prid. Cal. Octo.* 1586.

13. *Valfracuriæ inno.* 1589.

ſus igitur tantam ceſſationem ad Raynerium tandem ire pergit, vt ſciret ecquando finem tergiuerſandi eſſet facturus: is tum fortè domo aberat, ſoláque ſocrus Blaſia ad focum cum familia ſedebat. Ab ea igitur pannũ ſuum ſibi reddi poſtulat, quãdo ſe tam ſæpe bonus ille eius gener eſſet ludificatus, reperturum eſſe ſe qui induſtriæ æquè, atque ille eam operam nauaret. Quam rem illa indigniſſimè ferens, verbis tamen tunc ſibi eſſe abſtinendum rata, dum re hominem poſtmodum vlciſcitur, rogat vti velit in pauculos dies, intra quos ſine fruſtratione id quod poſcebat eſſet allaturus eam moram ferre: Interim etiam vna ſecum ad focum pauxillulum ſedere nõ dedignaretur, atque ex pomis quæ recens ibi cocta videbat ſibi quæ vellet haberet: Iamque Gerardus id facere non ſemel recuſauerat, cauſans ſibi non eſſe diutius illic morãdi otium, & omnino nullum tum eius cibi, quem offerebat, eſſe deſiderium: cum ex pomis illis vnum eius volæ manui cum tanto ardore adhæſit, vt alteram ei excutiendo ſtatim admouere cogeretur. Verum dum id facit vtraq; ſic conglutinantur, vt in vnum coaluiſſe viderentur, medij pomi ardore interim ſic increbreſcente, vt res illi parum abeſſet ab inſania. Inclamat igitur obuios quoſque obteſtans, vt ſui miſereſcerent. Afferre quiſque pro ſe ei malo quod poterat remedium: hic aquam reſtrinhguendo ardori: ille inſtrumenta dirimendis, ſeparandiſque manibus: ſed cùm nihil horum quicquam prodeſſet, & iam palam eſſet id illi mala aliqua arte confectum eſſe negotium, ex vicinis accurrens conſideratior vnus monuit, vt eo reduce-

retur, vbi illum id malũ primùm inuasisset. Quod cùm factum esset, cœpit bona illa Blasia, ceu ridiculum quid contigisset, hominem ludibrio habere: nihilo minùsque à superiore brachio ad manũ vsque quod intererat tantisper demulcere, dum id pomum illi excideret: Quo facto confestim sedatus est dolor, cœperúntque illi manus liberè, vt antea, suum facere officium. Quibus in historijs hæc præcipuè obseruatu digna mihi uidentur: Primùm, quod Dæmon vti Imperatores nisi veteranos milites certis militiæ præmijs non donant: ita eam se in alienas formas immutandi potestatem, quę sortilegorum persuasio est, iis tantum faciat, qui emerito multorum annorũ spatio fidem suam quamplurimis maleficiis probauerunt. Idq; esse illis veluti quoddam authoramentum, ac mercedem diuturnæ seruitutis, & fidelitatis. Quod & Erricus
14. Carmutius [14] disertè testatum sua confessione reli-
Bangæij. Anno.1583. quit post alios eius farinæ non paucos: quorum tamẽ nomina ex Aduersariorum meorum fasciculo desideratæ chartæ me hîc recensere non sinunt. Al-
15. terum non prætermittendum silentio videtur [15] de
Matth.24. ca. vers. 44. sopore, quo antè sagæ solent eos deuincire, quibus venena sua sunt infusuræ. Quæ res nos admonet Euangelici illius nobis iugiter esse excubandum, ne fur domum perfodiat, ac dormientes, inopinantésque opprimat. Tutissimas autem eas esse vi-
16. gilias quas Deus nostris inuitatus precibus pro no-
Psal.90. bis agit. Qui habitat [16] in adiutorio altissimi, in
17. *Psal.126.* protectione Dei cœli cõmorabitur. Contrà insidiis obnoxias, quę non sunt eius ductu, atque auspicio. Nisi dominus [17] custodierit ciuitatem, frustra vigilat,

gilat qui custodit eam. Ac quod quis istiusmodi soporiferas Magias derideat, quasi aniles, & fabulosas, non sum oppositurus quod Homerica Helena [18] vinum ministrasse dicitur εἰς τὸ ἐπίληθον κακῶν, id est malorum obliuionem: vel vt Plinius [19], locum eum citans interpretatur, somnium: quod Papinius de virga: Virgilius [20] de ramo vi Stygia soppirato; Nam poëticam fictionem hæc habere videntur, & ipsamet luce veritatis indigere. Sed tantùm ea quæ vsus, experientiaq; quotidiana confirmant, in medium allaturus: Quis enim nescit multa esse quæ naturaliter vel infusa, vel admota non somnium, aut soporem tantùm, sed etiam stuporem, torporémque aduersus vehementissimos quosque cruciatus inducant? Quæ ναρκωτικὰ, nec chirurgi ignorant, si quando ab humano corpore membrum aliquod absque doloris vllo sensu resecturi sunt. Cuius artis facetum quidem, sed tamen commiseratione dignum exemplum memorant de Narbonensi adolescente à Thracio pyrata in seruitutem abducto: cui interea, dum ex medicata potione altior somnus obrepit, tam bellè testes exsecti sunt: vt experrectus seipsum miraretur sic adepta virilitate nouum hominẽ. Rursus aliud à Mattheolo [21] recitatum de Hetruriæ asinis: quos cicutæ pastus adeò graui somno consopire solet, vt pro mortuis sæpè efferantur: detracta etiam, ac direpta iam pellis bona parte, vix tandem excitati se in pedes erigant, miseréque rudentes ad præsepia sua proripiant. Et prostant in pharmacopolarum officinis multa eo præcipuè nota, ac cõmendata vsu, vti sunt lolium, solanũ, iuncus vulgò Euripice dictus, Man-

18. Odyss IIII.
19. lib. XXVI. cap. I.
20. lib. VI. Aeneid.
21. lib. IIII cap. 74. in glos.

dragora,

dragora, castoreum, papauer.

Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem[22]

22. Ouid. 2. Meta.

Nox legit.

Quæ si somnum arctum, atque diuturnum conciliandi facultatem habent earum rerum sola vi, ac potentia quas natura ad id proprias administrat: quid quæso suis artibus, ac machinis efficient Dæmones, qui non modò rerum omnium, quas edidit natura latentes, atque arcanas vires perfectissimè callent; sed & sic volente Deo multa possunt etiam sine vllius rei aduentitiæ, atque externæ adiumento? Nam certè aliunde esse non puto, si modò vera sunt, quæ de Epimenidis Cretensis, aliorúmq; plurium somno tam multorum annorum memorant Pausanias, Eudemus, & Simplicius: cùm is secundùm naturam neutiquam accidere, ac tandiu durare potuerit. Siquidem (inquit Aristoteles[23]) quorum est officium quoddam, & munus à natura tributum: ea si modum temporis in quo data est vis agendi, & facultas excesserint: tum ipsa necessariò præstare munus suum non possunt. Ergo ab aliqua alia vi superiore, ac potentiore pendere necesse est; & aliud omnino esse, quàm quod natura efficere consueuit. Qui superandis silentio tormentis sæpè à sontibus gestantur characteres ignorabiliter literati (vt cum Apuleio[24] loquar) à natura causam efficacem somni habere non possunt: cùm tantum id temporis somnum concilient: quod sit alioqui à somni quiete propter doloris acerbitatem alienissimum. Tum in perexigua lamina, chartáque vulgo exarati, ac descripti reperiuntur: quas res nos alio tempore gestamus, sine somni vel minimo lenocinio

23. In lib. de somno & vigil.

24. lib. III. de Asino aur.

nocinio

nocinio, atque illecebra. Et tamen per hæc contemni dolores, ac sæpè quæstoribus in eruenda veritate impedimentum afferri, etiam non infimi ordinis Iurisconsulti existimauerunt. In ea quæstione quæ Silerij [25] Christianæ Serenissimæ Danorum Reginæ cōsiliarij percussoribus in Germania, non ita pridem, est habita, ex cædis consciis vnus (Benigno illi nomen fuit) eius quidem pœnam facilè effugere poterat; quod tum, cùm in eum inquireretur, peregrè esset, ac saluti fuga posset consulere: sed fretus characteris Magici, quo à circumforaneo quodam donatus fuerat, fiducia, ipse se iudicio volens obtulit. Nec in eo sua spe quicquam frustratus est: Siquidem prius quàm ipse tormenta omnia sunt defatigata, atque ita & incolumis, & inconfessus illis solutus est. Verùm iam è reis eximendus, cùm tanti sceleris conscientiam amplius ferre non posset, eius se sponte fecit manifestum; ac tandem capite luit. Ac quod quis dicat hæc in volente, atque adeò obnixè enitente minus mira esse: quia nimirum nulla post eam, quam Deus permittit Satanæ, tanta sit in res hominum potestas, quanta ea est quæ ab eorum approbatione, assensionéque proficiscitur: hanc verò inuitos etiam somno sopiendi facultatem non ita accipi debere: Quod si sic pridem actum sit de vniuerso genere mortalium, sciat [26] nihil, aut parum abesse à consensu negligentiam aut etiam patientiam: quæ sæpè hosti incurrendi, inuadendiq́; occasionem præbet: vt qui arcem eo imminente necessario præsidio, excubiisque non muniat: perinde faciat, ac qui ipsam volens, prudénsque tradat. Quo etiam pacto

25. *Paris de puteo in sindica. de Tortura.*

26. *L. 1. § Magistrum de vxo. act. l. cùm in plures. § locator D. locuti l. 1. § sciē tiā de tribus act.*

occupatam iure ille sibi vendicare potest: quemadmodum & ex lege vsucapionum 27, qui possessionem vacuam occupat vi possidere nō videtur. Imputent igitur sibi illud infortunium, qui se somno dant, non antè implorato, flagitatóque Dei omnipotenti auxilio: cùm, vti modo dictum est, id illis tutissimum præsidium sit, ac propugnaculum aduersus omnes tenebrarum principis insidias: Sed dormituris mens perniciosis cogitationibus sępius vagatur ad instar fornicantis Hierusalem (vt cum D. Hieronymo 28 loquar) quæ omni transeunti pedes suos diuaricat.

27. l. sequitur. §. Item si vacuā, De vsurp. & vsucap.

28. Ad Rusticum Monachum, Ex Esaia ca. 57.

Metamorphoses adeò multis tum veterum, tum recentiorum exemplis decantatas speciem, non etiam veritatem habere earum rerum, quas præ se ferunt: decipi enim oculorum sensus Dæmonum, qui eas ostentant, præstigiis. Quæ porrò sic assimulatam speciem comitantur actiones: etsi ea quidem veræ reperiuntur: nihilo magis tamen rei veritatem astruere, quod constat eas à Dæmonibus, qui operi admittuntur, identidem proficisci: vt est illis ad quælibet prompta natura, atque expedita.

Cap. V.

HIc non est animus Apuleij asinum denuò in scenam producere: aut quas poëtæ comminiscuntur, Metamorphoses nouis exemplis tueri, ac defendere: sed hoc quod multorum assertione contestatum, ac ipsa experientia comprobatum habeo, in medium proferre. Dusani, Vergauillęi, Forpachenses, & ferè omnes qui hactenus in Austri regni

gni prӕfectura deprehensi sunt sortilegij, quorúmque percontationes in manus meas peruenere, se ex homine in felem toties migrasse retulerunt, quoties se in alienas ædes latenter intromittere volebant, sua vt ibi noctu venena spargerent. His astipulantur, & conueniunt testimonia multorum, qui se ab illis, cùm in eo essent corporis habitu, insidijs appetitos dicunt: rem, locum, personas, tempus, cæterásque circunstantias, atque accidentia, quibus fides magis constare potest, eadem omnia cum illis referentes. Barbelinæ Rayel[1] hoc recens est, quæ se in felem indutam fuisse fassa est: vt ea specie, ac figura Ioannis Ludouici domum & facilius ingrederetur, & tutius peruagaretur. Quod cùm aliquando faceret, ac eius infantem bimum incustoditum reperisset, puluere medicato, quem tum in pedis palma conclusum gestabat, eum consperſit, ac interemit. Petronius Armentarius[2], cuius paulo antè memini, si quando, quod in prochiui est inter pares, odio, aut inuidia mouebatur, contrà vicinorum pecorum custodes in lupum se, conceptis quibusdam ad eam transformationem verbis, immutabat: demúmque tutus eo prætextu ab omni noxæ suspitione obuiam quamque pecudem dilaniabat, ac discerpebat. Ioannes Malrisius idem factitasse se memorat, cùm Sexæij trans syluas armenti custodiam haberet.

Vidi sæpè lupum fieri, & se condere syluis
Moerim.[3]

Viderunt & Dolani non ita pridem lycantropos duos Senatus sui supremo iudicio dânatos, ac supplicio publicè affectos: Huius & argumenti est ea

1. *Blainuillæ ad aquas Id. Ian. 1587.*

2. *Dalhemij. An. 1581.*

3. *Vir. AEclog. 8.*

narratio, quam accepi ipse à clarissimo Comite Paulo à Salm sacri cubiculi in regia Lotharingiæ summo præfecto: Is cùm addubitarem præstigiæne essent, quæ sic aliena forma oculis apparebant: an haberet ea res aliquam veritatem: narrauit mihi Hess Pittelangij, quo in oppido ditionem obtinebat, vetere instituto deberi ab incolis sibi, familiæq; suæ gratuitas, ac anniuersarias operas: Eas cû forte ij præstitissent, facta cum carris suis lignatione, ac vicissim pro remuneratione cibum caperent, in castelli atrio orta, vt fit, rixa inter canes, quas secum habebant: ex ijs vna in proximum hypocausti furnulum se condidit: Ac cùm huic cæteræ adlatrarent vehementiùs, incolarum vnus introspiciens, ac præ cæteris aspectu horridá intuens, suspicatus id quod erat (ná ea regio Strigibus vulgo est infamis) telo, quod tunc gestabat, in eius os iniecto vulnus graue inflixit: Quo accepto statim illa se foras proripuit; saltem desijt amplius videri. Postmodum totam vrbem peruasit rumor, vetulam esse quamdam, quæ decumberet ex vulnere, quod vbi accepisset nesciretur: Suspicari omnes, quod verum erat, rabidam esse illam canem, quæ in atrio telo esset percussa: Atque tum ex hac suspitione, tum ex ea, qua pridem laborabat fama, comprehensa, & in custodiam tradita; tandem etiam de hoc disertè interrogata, liberè rem omnem, sicuti hîc recensetur, simul & maleficia alia quam plurima patefecit. Adderem & hîc quod in citima Burgundia non pridem accidisse à viro vtique fide digno acceptum habeo, de hospite quadá; quæ cum diuersoribus inter cœnandum felis specie petu-

lantius

lantius insultaret, ab eorum vno truncata pede altero postridie vnimana reperta est: Sed id quoniã ille obiter tantum narrauit, nec est quod plenè hîc referre possim, satius esse duxi prætermittere. Postremum de hac re erit mihi quod aliquando accepi à clarissima heroide D. Diana Dommartinensi vxore illustrissimi principis D. Caroli Philippi Croij Marchionis ab Haurech patroni mei clementissimi; cuique fortunarum mearum, quales quales sunt, accessiones præcipuè acceptas refero. Narrauit igitur illa mihi non ita pridem Thiecuriæ, qui pagus in eius ditione est, mulierem fuisse eiusmodi malis artibus addictam: cui & ea induendi alienas formas à Dæmone facultas esset tributa. Eam igitur, cùm eius pagi opilionem odisset impendiò, ac quoquo pacto malè mulctatum cuperet; in eius gregem pascentem lupi forma, atque habitu aliquãdo irruisse: sed ab illo accurrente iniecta, atq; impacta securi vulnus in fœmore accepisse: quo debilitata coacta esset se illico in proximum dumetum inferre: vbi ab assequente opilione reperta esset vulnus obligans vestis discissæ peniculamentis, quo sanguinem, qui ex eo magna vi diffluebat, sisteret: sicque eo indicio delatam, ac compertam rem omnem, vti hîc recensetur, agnouisse, ac tandem luisse ignis supplicio. Enimuero nec nunc primùm abiit in vulgus ea de prodigiosis istiusmodi transformationibus opinio: sed & veterum fuit ista iam à multis sæculis inueterata persuasio: vti eorum libri non vno hoc loco testantur. Euanthes 4 magni nominis author recitat ex Arcadum annalibus gentile fuisse in Anthæi familia

4. Plin. lib. VIII. ca. 22.

hoc fatum, vt vſus ex ea quotannis ſortito ad ſtagnum quoddam perductus poſitis veſtibus tranſnaret, confeſtímque bellua ex homine fieret, ac nono poſt anno, ſi interim humanum ſanguinem non guſtaſſet, priſtinam formam reciperet. Neuros etiam, qui Boryſthenem accolunt, ſemel quotannis ad aliquot dies lupos effici, ac rurſus exacto ſpatio, quod ei ſorti attributum eſt, in priſtinum habitum redire ſolitos recenſuere Herodotus [5], & Solinus [6]. Et Agrippas, qui Olympionica ſcripſit, teſtatum reliquit Demænetum quemdam in lupum fuiſſe immutatum, quòd infantis, quem Arcades Ioui Lycæo mactauerant, viſcera deguſtaſſet. Quod & Lycaoni Pelaſgi filio contigiſſe refert Pauſanias, cùm mactati pueri ſanguine aram Ioui Lycæo ſacram reſperſiſſet. Nec id ſolum ita contigit illa ætate, illíſque moribus, quibus nulla adhuc Chriſtianæ veritatis hominibus lux affulgebat, ne quis hic temporis cæcitatem cauſetur: Sed & Bulgariam Baianum [7] quemdam habuiſſe eius Symeonis, qui aliquando in ea imperauit, filium, qui ſe in lupum, aut quamuis aliam beſtiam, cùm vellet, mala arte immutaret. Et Ruſciæ dux quidam cùm audiuiſſet in ditione ſua eſſe hominem, qui ſe in eam, quam vellet, formam mutaret: accerſitum illum, ac prius cathenis conſtrictum, iuſſit in hoc artem ſuam properè vt oſtenderet: Quod cùm ille dixiſſet ſe quidem lubenter facturum, modò in propinquo conclaui liceret ſoli paululum eſſe, ídque illi eſſet conceſſum; Eueſtigio egreſſus lupi quidem natiua ſpecie, ſed iiſdem quibus anteà cathenis impeditus in magnam omnes, qui aderant, ſui

5. In Melpomene.

6. In Polyhiſtore cap. 20.

7. Sigibert. in chronic. Luith. lib. III. ca. 8.

8. Torquemadius in Hexamer. dial. 6.

ſui admirationem traduxit: Sed in ferociſſimos duos canes, quos Dux in inſidijs ad id collocauerat, incidens miſer diſcerptus, dilaniatúſque eſt: Nec quicquam ad ſui tutelam alioqui commodiſſima ea lupi forma adiumenti afferre potuit. Vt omittam dicere, quæ de ſocijs Vlyſſis Homerus: de Aſino aureo Lucianus, & Apuleius, poſt tam multas Ouidij metamorphoſes prolixè ſunt fabulati. Nam omnino ſi quis de hac re rectè ſentire volet; etiam ſi ſolis naturæ notionibus, atque intelligentijs ducatur, hoc concedat neceſſe eſt: ſic comparatas eſſe rerum omnium formas, ac ſpecies poſtquam ſemel ſunt ingenitæ: vt niſi cum ſuo interitu immutari non poſſint: Neque vllum omnino eſſe à priuatione ad habitum regreſſum, ac viciſſitudinem. Quod ſi etiam vltra animum volet intendere, atque ad ea erigere quæ Chriſtianum hominem ſapere decet: iam infidentior non dubitabit ſtatuere horum nihil poſſe Dæmonem: cùm nec euellendi quidem pili vnius ex hominis capite poteſtatem vllam ex ſe habeat. Quę enim demētia eſt credere quicquam, quod ſit creatum, & conditum poſſe eius, qui creauit opus etiam excellentiſsimum pro libidine labefactare, ac peruertere: aut in eo corpore, quod ſit ad omnem rationis vſum inhabile, animum, qui ſit ratione præditus, vel tantillum poſſe morari, ac conſiſtere? Nam certè (ait Cicero) habilem, & aptam ingenio humano figuram corporis natura dedit. At, inquies, id ſic permittit ille 9, qui hominum mala in bonum etiam finem conuertit: ſed, cedò, cui vſui? aut quis id ita eueniſſe in vlla ſacra legit hiſtoria? Nam certè Na- 9. Act. cap. 3. & 4.

bukad

10. Daniel. 4. bukadnezar[10] ad infimum animantium ordinem, ob affectatos honores diuinos, aliquando redactus est: nunquam tamen oris, vultusque habitum deposuit: sed tantum eodem cum illis pastu, hospitioque per aliquot annos vsus cœli iniuria villos, vnguesque contraxit: qualibus bruta animantia tegere, armaréque natura consueuit. Incredibile igitur, atque absurdum est quemquam ex homine lupum, vel aliud aliquod animal verè fieri posse. Et tamen aliquid id esse oportet, quod sic à tam multis obstinatè defenditur: nec frustra est, quod de eo mortalium adeò crebri sermones circumferuntur. Et certè Magica hæc esse portenta, ac præstigias, quæ habeant speciem, non etiam veritatem earum rerum, quas ostendunt: plerique omnes, qui hoc totum certius expedunt arbitrantur; idque duobus ferè modis euenire: vno vbi Dæmon eorum, qui sic sibi immutati videntur, φανrασίαν immissis perturbationibus labefactauit. Tuc enim fit, vt non sicuti ipsarum est natura, sed prout illorum afficitur, ac mouetur sensus, sese ostendant. Quod & Pyrrhonios Academicosque iam olim obseruasse refert Gellius[11], & Medicis in confesso

11. Lib. XI. cap. 5. est, sæpe eorum qui æstu febrique vehementiore iactantur sic sensum deprauari, vt alienissimas formas, ac simulachra pro veris firmissimè concipiant, ac amplectantur. Cuius argumenti illud esse potest, quod narrant de eo, qui se in fictilem vrceum cōuersum adeò obstinatè credebat, vt accedentes propius à se obnixè prohiberet, veritus scilicet ne se illidendo comminuerent. Hæcq; erat illi assidua apud domesticos querimonia, quod, vt de-

cebat

cebat, in edito aliquo loco, ac minus iniuriæ obnoxio ab illis non statueretur: sed potius negligenter in obscuro cubili collocaretur. Fuit & alius, qui sonantes frænos, atque alia ferramenta in aluo se habere crederet: nec prius ex eius animo tam ridicula euelli potuit opinio, quàm solers Medicus aluum exoneranti in cella frænos supposuisset, quos à se postea egestos putaret. Adeò fœcunda est absurdarum, atque insolentium rerum imaginatio: si quando in vitium labitur. Quam etiam ob causam Plato [12] simulachrorum magistram: Aristoteles [13] thesaurum formarum: alius quidam philosophus portentorum officinam appellare non dubitauerunt. Altero autem modo vanas eiusmodi species extrinsecus adhiberi appositione, aut adumbratione rerum, quæ talem præ se ferant imaginem, qualem Dæmon tunc ex vsu esse existimat. Hícque error foris grassatur externos sensus obiectu mentitarum formarum ludificans. Sic Homerus, ac Vergilius si quem vel pugnę in vltima difficultate subductum, vel in eam ad laborantium opem, atque auxilium inductum describunt, ita oris, vultúsque toto habitu à Dijs, penes quos ea erat cura, transformatum meminerunt: vt ab illis etiam, quibus cum quotidiana erat consuetudo, ac familiaritas, non agnoscerentur. A quo non est alienum quod Vincentius [14] narrat de quadam muliere, quam Iudæi oratu (quòd eius voluptati minus vellet obsequi) malefica in equam adeò appositè conuerterat, vt non modò popularibus omnibus; sed & ipsi marito talis esse crederetur: solúmque D. Macharium, quòd vir esset sanctimonia rariore præditus,

12. *In Sophista.*

13. *In lib. de sommo & vigilia.*

14. *lib. XVIII.*

non fuisse præstigijs illius captum: sed eam perpetuò pro muliere, vti reipsa erat, agnouisse. Huc & non malè referri posse crediderim curationis effictæ, atque ementitæ, quod sequitur, exemplum. Vxorem admodum adolescentem duxerat vir senex ianuæ Castri Bassumpetrani tum fortè attributus custos; alteriúsque, qui cum ante nuptias stupri consuetudinem habuerat, etiamnum vxorem attrectabat: Dolens igitur illa mœcham sibi induci, nec ætatis flore, nec formæ liberalitate vlla ex parte conferendam: vicinæ mulieri, vt fit, ęgritudinem suam aperit, consiliúmque si quod habet sibi super ea re dari postulat: Iubet vicina (Lahire nomen ei fuit) eam bono esse animo: habere enim se in promptu, quod ei malo adhibeat remedium: herbulámque ex horto lectam illi porrigit, ex qua si ius marito condiat, illico missum facturus sit peregrinum illum amorem. Condit in proximam cœnam, atque apponit

medicatis frugibus offam.

Eum ex illo primùm capitis grauedo: deinde somnus arctior complectitur, quo postridiè tãdem solutus ademptam sibi virilitatem omnem, non sine pudore, reperit. Narrat tamen vxori infortunium, quod alioqui diutius illam celare non poterat: Quę se sua imprudentia, ac leuitate deceptam videns: quòd, dum parrem alteri inuidet, toto ipsa excidisset: rem omnem marito vti incœpta, perfectáque fuerat aperit: erratíque veniam petit, huius in eum amorem, quo illum summo prosequebatur, causam reiiciens: Ignoscit facilè maritus, qui sciret se ad id malum per lasciuiam, ac libidinem occasionem

nem primum obtulisse: locíque Dynastę (huic Francisco à Bassumpetra nomen fuit, eius patri, cuius sic celebre nomen est inter eos, qui partes Catholicas in hodiernis Francorum tumultibus sunt secuti) ordine omnia exponit. Is igitur sui officij esse ducens, & homini quem in famulatu habebat sartam, tectamq́; valetudinem curare, & scelus adeò indignum dignis in muliere venefica poenis animaduertere: accersitam, ac minis territam eò adegit, vt quibus sic per sortilegium, fraudasse videbatur hominem, ea illicò ei restituturam se reciperet: Quod & fecit alia quadam herba, quam degustaret, illi præbita: Sícque ipsa suo indicio comperta, ac deprehensa flammis non multò post meritum luit supplicium. Vnde liquidò constat nihil quicquam veri ibi inesse: sed vbique falli, ac decipi inspicientium oculos. Nam qui magis ea pars à corpore execta redintegrari possit, quàm caput, aliáque eius membra semel abscisa, atque amputata. Verùm est pręterea aliud, quod vrget vehementius, atque in quo fidei huius argumenti magis laborare videtur: scilicet non tantùm hæc in externę faciei, corporísque adumbratione posita esse; sed & interiores motus, atque affectiones habere, quales ei animanti cuius specie illuditur natura indidit, atque ingenerauit: vti sunt in currendo velocitas: in superando robur, ac firmitas: in dilaniando feritas: in vocando auiditas: in penetrando facilitas: in currendo leuitas, atque id genus alia quæ vulgo præter hominum consuetas vires iis insunt, qui sic è statu suo in beluinum demigrant. Ea enim Satanam illis re ipsa pręstare quotidiana experien-

tria deprehenditur. Siquidem validissimas quasque pecudes in agris facilè prosternunt, discerptarumq; carnibus, etiam crudis vescuntur, si in eos fit impetus, cursum tam citatis passibus fugiendo explicat, quàm lupus, aut pernicissima alia fera facere posset: in aliorum ædes etiam occlusas de nocte, vti feles, illabuntur, & omnino animantium, quorum speciem, figurámque assimulant, mores, naturamq; proximè imitantur. Quæ etiam non est quod quis putet esse captiones, & præstigias, quibus vt suprà sensus nostri ludificentur; cùm eorum omnium post ipsam actionem restent vestigia, atque documenta: videlicet ipsa grassantiũ in facto deprehensio, fuga, assecutio, vulneratio, pauperiei quàm fecerunt, vel potius damnorum quę dederunt manifesta iniuria: iisque omnibus consentanea, ac sæpè voluntaria facti confessio: vt verius sit dicere hæc quidem ita vti apparent reipsa euenisse: sed administro Dæmone, qui tales præter naturam conatus ea, quàm maximam habet, facultate, ac potentia (huic enim, vt inquit Iob [15], humanæ omnes sunt impares) adiuuat: vti in Energumeno illo fecisse credendum est, qui validissimas, quibus constringebatur, cathenas, ac compedes nullo negotio discerpit, ac comminuit [16]. Nam id humanis viribus non potuisse effici notius est, quàm vt pluribus ostendi debeat. Vt omittam narrare, quæ de Quærcetensibus monialibus historiæ quædam memorant [17]: illas scilicet Dæmonum ope, atque auxilio ad procerissimas quasque arbores instar feliũ perniciter adrepisse: ex earum extremis ramis mirabiliter pependisse: voces quarumcumque animantium

15. *Cap. 41.*

16. *Lucæ. 16.*

17. *Christianus Masseus Chronico mundi lib. 20.*

tium

tium feliciſſimè expreſſiſſe, ac multa alia in quibus ſtupor maximus ineſſet facilè effeciſſe. Sic igitur facultates, vires, atque actiones earum animantiũ, quarum præ ſe ferunt imagines, imitari fatebimur: vt parum ab ipſa veritate abeſſe videantur: reipſa autem tales effici, quales apparent: non erit ei promptum credere qui hominis dignitatẽ, excellẽtiámque penitus volet intueri: vt ſcilicet ad Dei imaginem creatus fuerit: vt in eo totius opificij mundani typus mirificè eluceat [18]: quam etiã ob cauſam μικρόκοσμον illum appellauere, vt paulominus ab Angelis cum Deus minuerit, omnia illi ſubmittens, ac ſubiiciens, vt baptiſmo abluerit, atque expiauerit: vt eius corpus à mortuis ad æternitatem immutabilem olim ſit ſuſcitandum. Nam quis hæc tot, tantáque beneficia ſic ludibrio haberi ſuſtinebit, vt ea in abiectæ animantis viſceribus, medullis, ac tergore ceu ſepulchro aliquo vnquam condi poſſe exiſtimet? Et certè hæc ſalua religione vix credi poſſe puto, cùm & Aquileienſi Concilio [19] impietatis damnati reperiantur, qui in aliam formam, quàm quæ à Deo rerum omnium parente primùm eſt indita, quicquam immutari poſſe affirmant. D. quoque Auguſtinus [20] eos grauiter, ac ſeuerè reprehendit, qui credunt Dæmonum arte, vel poteſtate hominis corpus in beſtialia lineamenta poſſe conuerti: ſi quidem ſoli Deo, nõ etiam transgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc rerum viſibilium materiam. Et ea etiã pleriſque omnibus Ethnicis ſemper alienior viſa eſt ſententia: Inter quos fuiſſe & Plinium [21] rerum alioqui creditu difficillimarum narratorem confidentiſſimum, magis mi-

18. *Pſal. 8. & Hebræor. 2.*

19. *26. quæſt. 5. cano. Epiſcopi.*

20. *lib. XVIII. de ciuit. Dei & lib. III. de Trinit.*

21. *lib. VIII. ca. 22.*

rum. Nam eius in historia naturali expressa illa de re hæc est oratio: Homines in lupos verti, rursúmque sibi restitui: falsum existimare debemus, aut credere omnia quæ fabulosa sæculis comperimus. Et Olaus Magnus [22] dum eius lycanthropiæ patrocinium contentiosiùs etiam arripit, ac ad id exempla vndique conquirit, hæc duo imprudens inter alia commemorat, quæ ipsius sententiam potiùs conuellunt, ac labefactant: Cellaria ceruisiarum ingrediuntur (inquit de lycanthropis loquens, eius enim verba nihil immutauero) ac illic aliquot ceruisiæ, ac medonis tonnas epotant, ipsaque vasa vacua in medio cellarij vnum super aliud eleuando collocant. Et paulo pòst: Intra Lithuaniam, Samogetiam, & Curoniam est paries quidam ex quodam castello diruto reliquus: Ad hoc certo anni tempore aliquot millia eorum conueniunt, ac vniusquisque agilitatem saltando explorant, qui hunc parietem transilire nequiuerint: vti pinguioribus forte euenit, flagellis ab eorum Præfectis cæduntur. Nam quid hîc reperias, quód non sit hominum magis, quàm luporum; In cellas descendere; zythum è serijs expromere, ac bibere: vacuas serias serijs ordinatim superimponere; ad mille vnà coire, ac conuenire: de agilitate obnixè inter se contendere, poena etiam in tardos graui proposita: nec deponere obesitatem, si quæ antequam in lupum verterentur fuerit contracta? Quæ omnia perinde sunt, quasi quis commessantium, colludentium, ac concertantium hominum turbam aliquam nobis narret; ignoto tamen, atque ementito corporis habitu. Quæ fraus (vti iam

dictum

22. lib. hist. de gentibus Septentr. 18. cap. 14.

dictum est) facilè oculis incantationi; ac præstigijs fieri potest, salua nihilominus, atque incolumi rei veritate.

Satanam in veneficorum societatem sæpè suos asciscere, ad eaque multa adhibere non ex se quidem virulenta, ac venenata, sed tamen virosa, ac putida: Curque id ita faciat.

CAP. VI.

RArum est, & à nemine quod sciam adhuc obseruatum veneficij, quod sequitur, exemplum. Fuxen Eugel, [1] & Catharina Haffner [2] aiunt hoc negotij sæpè sibi à Dæmone datum fuisse: cùm grassaturæ veneno se in alienas ædes intromittebant, vt designatos ad cædẽ homines collo, vel intestinis (sic enim loquuntur) quãtum possent comprehenderent, ac cohiberent. Tum eum præsto affuisse, putidámque carunculam è morticina aliqua pecude in os illis altè ingessisse: quod non aliter ac præsentissimum aliquod venenum illos statim necaret, atque extingueret. Quæ res nos admonet suam Satanam nequitiam semper integumentis aliquibus in nostram perniciem inuoluere: Quis enim nescit nihil nostræ opis eum, si quid molitur, indigere? Rursus, quis vnquam audiuit morticinæ pecudis frustulo tantum virus inesse, vt necis caussam sic necessariam, ineuitabilemq; habeat? aliud certè est quod agit: nempe vt suos in eius rei flagitij societatem trahat, dum adiutores operis facit. Ac quoniam intercedere aliquid oportet, quod oculos

1. Bulacij mẽse April. 1586.

2. Vvergauillæ VI. Cal. Octo. 1586.

oculos ipsos eius testes habeat, vsurpare eum quod spurcæ, impuræq; suæ naturæ maximè conueniat: cadauerum scilicet putidas eiusmodi reliquias: vt alibi fusiùs dictum est.

Variorum quæ Sortilegi occultè mortalibus inferre solent malorum exempla: quibus formidabiles eorum deteguntur artes, atque insidiæ.

CAP. VII.

MAlos genios hominibus nō modò ex sese infestos esse, sed & sedulò agere suos, vt habeant ad illorum cædes, ac damna quàm paratissimos, instructissimósque, alibi iam demonstratum est. Verùm quoniam vel deprehensionis metus: vel rei difficultas, ac magnitudo: vel denique consilij inopia, earúmque artium ignoratio, quæ valent ad occultam perniciem: sæpè negotium impediunt, aut remorantur, præsto illis semper adsunt, non cessantes commonere, instare, materiam suggerere: ac si opus est, se cædis, scelerúmque socios, ministros, ac satellites offerre, ac præbere. Ianæ Vldericæ [1] animum non leuiter tetigerat, quod Ioannes Canardus mercedem, quam ob præbitam in pecoris publici custodia operam sibi dari postulabat, paulo ferociùs denegasset: faciendum igitur aliquid erat quod ei vicissim doleret, ne hoc sic inultum abiret: nam leuissimas etiam offensas condonare sagis summa crux est: tantúmque is labor, ac difficultas erat qua ratione iniuriæ suspitionem à se remoueret, si quæ ob eam rem ad Canardum forte per-

1. *Lanfracuria.* VII. *Id. Maias.* 1588.

tè perueniret. Nam iam totum municipium rumor oppleuerat, cum Vlderica iurgandum non esse qui vellet se, suaque sana, ac salua habere. Recepit igitur Dæmon id ea via aggredi, quæ suspicionis nihil, quod in eam transferri posset, haberet: ac properè Canardi ædes, tum quidem occlusas per fenestram ingreditur, ibíque eius puellum in cunis dormientem adeò commodè suffocat, vt catharro extinctus credi posset. Sed miseros parentes non fugit eius infortunij causa: Nam in Vldericam aliquanto post sortilegij ream auditi testes id eius flagitium esse magna fiducia dixerunt. Quod tantum abest, vt deprecari voluerit, aut inficiari; vt magis ipsa confirmauerit singula quę in eo facinore intercessissent: diligenter etiam, ac studiosè denarrando. Barbelina Rayel [2] cum Dæmone suo rationem aliquando inijt, quemadmodum Claudio Maminço, à quo tamen nulla anteà lacessita fuerat iniuria, damnum aliquod inferret: nam illis sæpè pro eodem est, meritos atque immeritos lædere (vt alibi nobis dictum est ex Sebastianæ Picardæ amplioribus verbis) placuit consilium de exequendo noctu negotio, ne si interdiu id fieret facilius in facinore deprehenderentur. Accedunt igitur ad eius vnà cum vxore decumbentis, ac dormientis lectum: Iuxta erat infans fasciis conuolutus. Hunc cunis detractum parabant in proximum fluentem mergere: sed experrecta mater nouo infantis vagitu manibus, vt fit in tenebris, primùm cunas cœpit tractare, tentatura si fortè is introrsus se demisisset, laxatis fasciis, aut iis contrà agitatione se astrinxisset, vti illi antè non semel euenerat. Sed cunas nacta

2. *Blainuillæ ad aquas Id. Ia. 1587.*

vacuas, potius nihil habuit quá vt cubito ſurgeret, ac veſtigaret ſicubi illũ reperiret. Qua re prępedita, ac intercluſa bona illa mulier hoc ſolũ otij habuit, priuſquam per caminum cum Dæmone ſuo auolaret, vt infantem in lecti ſpondam abderet ne illum pręproperą, ac feſtinans mater tam citò, ac volebat, reperiret: hoc etiam negotij diſcedens factura, quando eam peiùs mulctatam relinquere non poterat. Id ſibi ita eueniſſe prodiderunt Mammęus ille, atque eius vxor cùm contra Alexiam Belhoriam (in quãtum eius facti ſuſpicionem licet iniuria transferebant) teſtes audirentur. Nam non multo poſt Barbelina illa ob ſortilegij ex vehementiſſimis indiciis ſuſpicionem comprehenſa factum id eſſe ſuum non illius Belhoriæ agnouit: Huius ſunt & quæ ſequuntur facinora in Ioannem Ludouicum, quem multis, vt aiebat, de cauſis oderat. Huic primùm traiicienti riuum quendam, ac ad molendinum properanti adnitente Dæmone tritici ſaccum vehiculo excuſſit etiam grandem: tum eius equis ſuperiniecit pulueris à Magiſtello ſuo medicati nonnihil: quo factum eſt, vt ex illis duo è veſtigio morerentur: reliqui morbo conflictati langorem in multos dies traherent. Deinde, ac non multo poſt felem mentita, atque hoc habitu eius domum noctu ingreſſa, eodem puluere bimum adhuc puerum lethaliter infecit; Tandem & medicatum pirum in via, quam is Gerbeuillæum contendens inituru erat, depoſuit, quaſi id è viatoris pera fortè excidiſſet. Quo is imprudenter ſublato, ac guſtato ſtatim graui morbo correptus vix præ dolore domum pedes ſe referre ſuſtinuit: hæcq́;

ſingula Dæmonem vti euenerunt non ſolùm prædixiſſe: ſed etiam illud de ponendo in viam piro conſilium eius proprium fuiſſe. Catharina Ruffa 3 agnouit, ſolitam ſe de nocte per caminum in ædes alienas inferre, vt detractos cunis infantes pronos in culcitram ſterneret, ac ſic extingueret: relicta etiam occaſione, qua eius infortunij cauſam maritus in vxorem cum offenſione perpetua reiiceret. Nam hoc adeò Dæmon ſedulo agit, vt ſint rixę frequentes inter eos, qui ſe aliqua amicitiæ, coniunctioniſque neceſſitudine attingunt. Catharinę Metenſis 4 inimicitias, atque odium concitauerat in ſe Lolla Gelæa: Hanc ob id illa impendiò vlciſci cupiebat; ſed qua ratione id faciens noxæ ſuſpicionem effugeret non videbat, quòd ſuas inſidias ſciret ab ea diligenter obſeruari. Reperit igitur viam Dęmon, qua id tutò exequeretur: ac monuit, vt poſtridie cùm è fornacibus Salinæ, quæ Duſæ omnium quas habet Lotharingia celeberrima eſt, vnà candentes carbones ſitellis ſuis pro more domum referrent, præſto adeſſet, cùm Lollæ ſua ceu turbine deiiceretur, ac in eius os properè halitum ſuum efflaret: ſic enim futurum vt partum ſuum ante tempus atque in maximis doloribus eiiceret. Quod vti verbis præceperat, ita reipſa eſt conſequutum. Namque ad ſignum deturbatæ ſitellæ à Dæmone perflata Lolla impuro Catharinæ ſpiritu eueſtigio in vehementiſſimos partus dolores incidit: vixque domum maturè ſatis peruenire potuit. Iana Granſanctua 5 ſera iam nocte nens ad lucernam ſola animo voluebat, quemadmodum de Barbara Gratioſa, à qua paſſa erat iniuriam, pœnas expeteret.

3. Vellæ ad Moſellam v. Cal. Iul. 1587.

4. Duſæ prid. Non. Sept. 1587.

5. Condaÿ menſe Iul. 1582.

Præſto affuit Dæmon felis ſpecie conſpicuus: authórque fuit, vt limacis teſtam in puluerem comminueret, eóque illius veſtem conſpergeret. Amplexata hoc conſilium obſeruauit ſicubi commodè id explicare poſſet. Nec longiùs illam remorata eſt occaſio: Nam repertam Barbaram obſcuro ſtabulo in pecudum præſepia paleas comportantem vnà cum pecudibus, quæ ibi erant, illo puluere ſuffudit: fuítque is protinus omnibus ad vnum lethalis. Eo poſtea minus noxiè vſa eſt in plectenda filia Antonij Giboſi: nam cùm itidẽ illo eam abundè aſperſiſſet, membra eius leui tantùm morbo debilitauit: ac cùm aliquot poſt dies ſanandi animo illam eodem reſperſiſſet, à morbo recreauit. In quo obiter hoc aduertendum venit pharmacis quibus ſic vtuntur non eſſe inſitam aliquam vim certam vel necandi, vel ſanandi: neque enim eadem res ad tam repugnantia ſimul efficax eſſe poteſt: ſed ea omnia Dæmonem pro ſua poteſtate latenter moliri, atque efficere: ſatíſque illi eſſe, ſi ſagæ operi manus tantùm admoueant, quo ſe noxæ, maleficiíque conſcias reddant, ac participes. Huc & referri poterit, quod ſcribit Plinius [6], fontem eſſe in Dodona: cui ſi quis ardentes faces immergat, extinguat: ſi extinctas admoueat, accẽdat. Nam hæc prodigia eius Dæmonis, qui ibi edebat oracula, fuiſſe nemini dubium eſſe debet: neque in iis ſibi natura quicquam vnquam vendicauit: Rurſus & illud Plutarchi [7] de Cicerone venefica, quæ eadem virga mentem adimebat, & reddebat: homines in pecudes immutabat, iterúmque ſibi reſtituebat. Refert & Petrus de Abano [8] viſum à ſe præſtigiatorem,

6. *Lib.* 11. *ca.* 103.

7. *In dialogo, An bruta animalia ratione vtantur.*

8. *Different.* 156.

giatorem, qui taurum ei in aurem concepta quædam verba immurmurando, ceu mortuum humi prosterneret: illúmque repetitis iisdem verbis suscitaret, atque in pedes erigeret. Sed pergamus cætera huius argumenti narrare exempla. Alexiæ Belhoriæ 9 frequentes erant rixæ cum marito, vt assolet vbi quotidiana est domi inopia, atque egestas: résque in tantum odium peruenerat, vt iam non voluntate, sed difficultate vlciscendi tantùm teneretur. Hoc ad se Dæmon recipit facere, si se dignum iudicaret, quem de ea re obsecraret. Adhibentur preces quam demissis verbis voluit prouinciam suscipit: forte eo die, qui dies erat pridie Natalium Seruatoris, miser maritus in vicinam vrbem erat profectus, ibi vt compararet quæ vsui esse solent familiæ genialibus illis diebus: ac sera iam nocte domum redibat. Hunc in itinere violenter correptum, ac verberibus acceptum Dæmon seminecem deiecit in cryptam Donalibariæ (id nomen illi loco est) ac ad bonam eius vxorem auolans, ei quæ à se gesta erant nunciauit. Quibus auditis, in viam se dat confestim: tum vt officiosam se hoc de eius reditu studio, ac cura demonstraret: tum maximè, vt ipsa oculis suis videret, quam adeò pridem animo suo concupiuerat illius miseriam, ac calamitatem. Ac tandem iacentem, & lamentabiliter infortunium suum conquerentem nacta, Hem mi vir (inquit) conabar tibi obuiam, quæ te scirem ruri adeò multa nocte: sed quid hoc sibi vult, quod te sic humi prostratum, ac dolentem video? Edocta igitur quod iam ipsa sciebat illum sublevauit, ac quod potuit humero adminicularа domum redu-

9. Blainuillæ ad aquas XVII. Cal. Feb. 1587.

xit, vbi ex plagarũ intolerabili dolore illa ipsa nocte interiit. Postridie inclamata vicinia eius cadauer, vt erat cæcis, ac liuentibus ictibus saucium, nudum exponit: narrátque, vti pridie sicariorum manibus elapsus eo habitu domum se anhelans retulisset. Quod apud omnes facilè fidē obtinuit. Nam neque ea ætate erat, ac forma, vt mœchos introduxisse putaretur. Iacobeta Equiina [10], cùm parum sibi gratos quosdam videret transuerso saltu iter suum habentes, ac aliqua ratione vellet illis esse nocitum, quod in ore promptum habuit, id est illico imprecata: scilicet vt in eos viarum errores inciderent, vnde se explicare non possent. Quod & vti expetiuerat ita accidit. Nam de via degressi tam longum deerrauerant, vt domum tandem reuersi vix præ lassitudine se sustinerent. En, vt hominum vita Dæmonum insidiis, cõtumeliisq; est obnoxia! Quę res eos assiduè admonere debet, quàm intenta in Deum mente semper esse debeat, vt is præsidio suo eos sepiat, angelis suis eorum mãdet custodiam: de laqueo venantium eos seruet, liberet, eripiat [11].

10. Sexag. Trãs-syluas VI. Id. Oct. 1585.

11. Psal. 90.

Sparsas à sagis humi herbas, puluerem, festucas, aliásque id genus quisquilias supergredientibus necis, vel morbi certissimam causam, prout illis nocendi consilium fuit, ac voluntas, afferre: cęteros omnes, quibus parcere decreuerũt, saluos, incoluméṡq; euadere. In quo mirè elucent Diaboli in affligendis, perdendísque hominibus artes, ac machina.

CAP. VIII.

SVPRA demonstratum est ex sagarum verbis non obscuris morborum, sanationúmve causas

ex eadem sæpè re eas petere, ac mutuari. Rursus aspectum ab iis aliorum vestibus puluerem mortiferum nonnunquam esse, cùm eum ipsæ citra noxam vllam attrectent. Denique qui inde sequitur morbus nulla alia arte ferè esse medicabilem, quàm quæ ab illis volentibus proficiscitur: eámque plerumque vnius, atque alterius verbi prolatione; vel manus solo contactu; sæpè etiam earum rerum adhibitione, quarum vsus vulgo aduersus morbum nullum est efficax, constare ac contineri. Quæ omnia satis indicant rebus, quas sic adhibent, nec iuuandi, nec nocendi facultatem sua natura inesse: sed quicquid id est, quod sic prodigiosè efficiunt, hoc totum sibi Dæmones vi aliqua, cuius ignoretur causa, & ratio, asserere, ac efficere. Siquidem exempla earum rerum continent, quæ nulla naturæ probabili causa nituntur: sed potius ab eo, quem ipsa in agendo, patiendóque tenere solet, modo, atque ordine sunt alienissima: Quod & ex sequentibus testatum, manifestúmque magis fiet. Odilla Boncuriana 1 recitauit moris esse sortilegis, qui in facinore deprehendi timent, venenatum puluerem ibi disseminare, qua viam facturos putant, quibus calamitatis aliquid struunt, ac moliuntur. Cui conuenit illud Rosæ Gerardinæ 2, quæ se Stephanum Obertum popularem suum in morbum lethalem coniecisse fassa est: cùm eius limen tali puluere antelucanis horis conspersisset. Iacobus quoque Agathius 3 eam tollendæ vxoris Hilarij à Banno longè commodissimam viam se à Dæmone edoctum fuisse memorauit. Isabella Bardæa 4, & Martha Mergelatia 5 nunquã se frustra eam contra quemquam tentasse

1. Haracuria XVIII. Cal. Ian. 1586.

2. In agro Stiuensi Non. Nou. 1586.

3. Leberij IX. Cal. April. 1588.

4. Spinali Pri. Non. Maij. 1588.

5. Brindusij Anno 1588.

tentasse: præsertim si hoc à Dæmone suo iussæ essent facere. Francisca Perina[6] pira aliquot, quæ ex arbore vicini (Riberiano ei nomen erat) deciderant, transiens sustulerat: ob quod ei ἐπαυτοφώρῳ ἁλούσῃ durius vapulauerat. Id ergo illa dolens, ac aliqua ratione vlcisci cupiens non longè abiit, quin Dæmon explendi desiderij occasionem aliquam aperiret. Ea verò fuit iter, quo Riberianus summo mane ad operas suas cōtendere solebat, herbula, quam tum illi tradidit vt insterneret: Quod cùm fecisset, ac ille insidiarum ignarus locum eum esset supergressus, illico in eum morbum incidit, qui vitam illi non multo post cruciabiliter abrumperet. Benedictus Drigæus[7] id consilij sibi à Dæmone datum fuisse ait: eius vel vestem, vel ianuam veneno inficere, cui mortem vellet afferre. Barbelina Rayel[8] se contra Franciscum Tibicinem, (cuius viciniæ non pridem commigrauerat) id adhibuisse. Ac cùm posticum, per quod pecus adaquabat, puluere virulento contaminauisset, postridie ex eius equabus tres esse ad præsepe repertas exanimes, atque supinas. Claudius Morelius[9], cùm pro foribus Vvolfangi Hadonuillæi affinis sui id fecisset, ac eo loci forte iter haberet: eius filia, confestim contracto morbo, ex eo non multò post miserè interiit. Illac etiam equus iter habens crus fregit. Idem simili fascino mulctauit Nicolaum Augustinum Serræ Castellanum, cum quo erant illi inimicitiæ: Ac cùm eius vicem aliquot post dies miseresceret, quem tam diuturno, ac graui morbo conflictatum videret: non potuit tamen opem vllam afferre, aut à morbo vel tantillum recreare, vetante, ac prohibente id

6. Baiis IIII. Non. Iun. 1588.

7. Haracuriæ XVIII. Cal. Ian. 1586.

8. Blainuillæ ad aquas Id. Ia. 1587.

9. Serræ III. Non. Dec. 1586.

Dæmone, cum quo de ea re sæpiùs tamen expostulauerat. Catharina Metensis [10] acerbè ferens pistoris cuiusdam repulsam, à quo mutuum panem rogauerat: Ei vt hanc rependeret gratiam, Dæmonis sui implorat auxilium. Astat is momento pro suo more diligens, atque officiosus ad quamcunque vindictæ occasionem: atque ea gratia illi herbas suggerit conuolutas papyro, monens eo loci illas vt dispergeret, vbi frequentior is, eiúsque esset familia: Nec mora acceptas effundit in porticum, per quam necessarius in vicum erat egressus: Cui dum insistit pistor, póstque eum vxor, & liberi, omnes eodem morbo correpti non prius cōualescunt, quàm saga ducta misericordia à Dæmone impetrasset, ex ea valetudine vt emergerent Atque in id herbas denuò accepit, quas clàm eorum submisit cubili sicuti facere edocta fuerat: sícque confirmata à morbo valetudine ad pristinam sanitatē omnes rediisse. Catharina Latomia [11] acceptam etiam à Dæmone herbam transuerso limini ædium Ioannis Antonij subdiderat; quod vt eius vxor est supergressa prorsus ei lac in mammis exaruit: ex qua penuria postmodum infans, quem tum fortè lactabat, interiit: quod vnum maximè in votis habebat. Nam vt sortilegis inter animantia hominum semper est præcipua cædes: ita inter homines infantium, ac eorum, quos ætatis innocentia, atque integritas magis commendat longè est gratissima: vti recensuit aliquando Iacoba Cauallia [12]. Drigæus etiam ille, & Odilla, quorum modò memini cùm in eius pagi, vbi domicilium habebant collatione, indictioneq; ab exactoribus præter modum (quan-

10. Dusa Prid. Non. Sept. 1586.

11. Haracurtæ Non. Febr. 1587.

12. Sexaij v. Id. Octobr. 1585.

tum ipsi suas facultates reputabant) essent censiti: atq; eam iniuriam insigni aliquo damno coërcere, ac vindicare cuperent: non defuit qui pro ea offensione gratum, conueniénsque consilium afferret Dæmon. Tale autem id fuit, vt ibi quàm latissimè venenum spargerent; vbi eius pagi pecus frequentiùs pabulari solebat. Quod, vt magis esset illis in promptu, indicauit posse confici ex primis quibusque, qui se offerrent, vermiculis: vbi essent satis ad dispergendum attriti, & comminuti. Hoc igitur cùm fecissent, intra dies paucos periere in eo pago pecudes centum, & quinquaginta (vt Drigæus recitauit) vel centum, & sexaginta (vt Odilla:) diuersi enim interrogati cætera præterquam in numero conuenerunt. Id etiam res ipsa comprobauit: nam totidem ferè illo tempore sunt ab eius loci incolis desideratæ. Ecce vt sparsæ herbæ, puluis, vermiculi, aliæq; id genus quisquiliæ non morbum tantùm faciunt, aut necem afferunt, quod alioqui per contagionem factum defendi posset, vti in rerum pestiferarum aspiratione, aut contactu euenire solet: sed & mēbra frangunt, ac debilitant, lac minuunt, deducunt, ac perimunt. Ea igitur nisi arcano aliquo Dæmonis ministerio præstari non posse manifestum est. Et id adeò confirmat, quòd ei tantùm noxia sunt, cui perdendo, aut lædendo sunt destinata: Cæteri enim omnes tutò, ac citra noxam supergredi, & calcare solent. Quod & Alexiæ Drigeæ [13] quod sequitur factum iam indubitatum reddit. Ea filicis manipulum à Dæmone suo acceperat per eam viam spargendum, quam Claudij cuiusdam pastoris filia, qui cum illi simultas intercesserat,

13. Haracuriæ IIII. Id. Nou. 1586.

cesserat, frequentius inibat: eo consilio, vt illam confestim perderet. Id tamen vnum verebatur, ne illud infortunium alios etiam, qui eam viam ingrederentur, quibúsque nihil nocitum esse vellet, læderet. Iussit igitur Dæmon de hoc vt quiesceret, quòd sors nisi eam, cui poneretur, non esset attactura: Quod vti prædixerat, ita & postridie euenit. Nam sola ex omni vicinia pastoris filia illac itando mortis causam contraxit. Humberti etiam Castellani non multò post valetudinem miserrimè afflixit: cùm eius sedile eadem herba perfricuisset: fuítque illi soli ea fascinatio pernicialis: cùm tamen multi alij antè, póstque eum in illo sedissent. Huic & alia duo exempla non malè adiungi poterunt: vnum de Ioanna Poirelia [14], à qua medicatam offam cum vniuersa vicini familia degustasset: ei tamen soli interitum attulit, quem ipsa animo ad cædem destinauerat: alterum de Hubertula Buxeriana [15]: huic iniquè iniurius fuerat è municipibus quidam N. nomine, eúmque abundè vltura iam sibi videbatur, si vaccas quinque quarum prouentu se, familiámque suam sustentabat veneno tolleret. Periculum tamen erat ne in facinore deprehenderetur, si sua manu illud ipsa patraret singulos medicata virga cõtingens, quem morem in aliis suis veneficiis tenere solebat. Isto igitur metu vt eam liberaret eius Magistellus, monet, vt antelucanis horis pascua, ad quæ frequentior pecoris erat appulsus, venenato, quem à se antè acceperat, puluere conspergeret: Restare quidem primum illam, ac vereri ne ea lues ad vniuersum pecus perueniret: cui tamen volebat parcere,

14. Costuræ ad Castrosalinum, mẽse April. 1582.

15. Buxerij ad quercum III. Cal. Mart. 1589.

præterquam N. illius vaccis, quem vnum tali infortunio mulctarum cupiebat. Recepit Dæmon intra eum quinque vaccarum numerum futuram esse omnem noxam: Idq́; euentus tandem comprobauit; nam solæ illæ ex omnibus perierunt, aut in morbum inciderunt. Facessant, igitur iam nunc, qui nugas esse dicunt, quæ pacta sagis rumor est cum Dæmonibus intercedere: cùm res ipsa de se sit indicio, multorúmq; prætereà mortalium iustissimis querelis testata, ac comprobata reperiatur: quàm tamen vix sentiant stolidi quidam: adeò bis stulti nullo malo sapiunt.

Quid causæ sit, quòd Diabolus Maleficorum sæpè assensum postulat, vbi quid alicui calamitatis molitur, ac struit: Plurimáque, quæ id illum more facere demonstrant, exempla.

CAP. IX.

QVOD homines Diaboli opera affligantur morbis insolitis, quorúmque ratio Medicis cōnstare non possit, satis Iob [1] docet historia: Et
1. Cap. 14.
quæ D. Lucas [2] recitat de muliere, quàm spiritus in-
2. Cap 13. vers. 11.
firmitatis sic decem & octo annis alligatam habuit, vt eius ex neruorum contractione totum corpus esset incuruum. Verùm quod priusquam id aggrediatur facere suorum ille ad hoc assensum sępè postulat, quasi aliter debiles eius vires futuræ sint: nō paruam dubitationem semper attulit existimantibus multis hoc inde esse, quod pridem, si quæ vult arbitratu suo faceret, pessum iissent omnes mortales,

les, quibus is nunquam non fuit hostis infestissimus: Ideóque illi à Deo iam à primo, quo è statu suo deiectus est, tempore occlusam fuisse omnem contumeliis libidinem, nec hominibus nisi per homines vllam illi esse nocendi relictam facultatem. Quæ quidem etsi defendi potest opinio, nec ea etiam sententia malè stare videbitur, quæ Satanam vti carnificem, & ministrum iræ Dei pleraque omnia in hominum perniciem per se agere, ac moliri astruit: eúmque consensum consulto, atque ea causa, illum exigere, vt in sceleris societatem, conscientiámque suos asciscat gratiam aliquam promereatur; dum eius quam tantopere concupiuerunt, vltionis compotes facit, potentiam suam ostentet, ac venditet: dum ea præstat, quæ omnes omnium hominum vires vincere, ac superare videntur: à sortilegis denique omnem noxæ suspicionem auertat, atque amoueat, dum eam infert illis absentibus, ac ne digito quidem opus adiuuantibus. Et hæc quidem, quæ sequuntur, documenta non obscurè illa de consensu indicant, ac commonstrant. Beatrix Bayona 3 cùm Petronium Maxentium, à quo grauiore aliqua lacessita fuerat iniuria, vlcisci vellet: id tandem Dæmon, cui se illa addixerat, facturum se recepit, modo ipsa assentiretur. Nec mora vt hoc se dixit cupere, statim ille Petronij adhuc infantem filium aggreditur, necátque: ac postridie, quasi re benè gesta, gloriabundus id illi nunciat. Hoc etiam ad contumeliam adiiciens, matrem quidem impatientissimè mortem ferre filij; sed ne eo quidem luctu ad vitam illum esse reuocaturam. Iana Gallæa 4 sola imprecatione Catharinam Symonetam vale-

3. Gerbeuillæi IIII. Non. Aug. 1585.

4. Mirecuriæ VII. Id. Dec. 1583.

tudine tentauit: vt & alios plures antè fecerat: exploratum multo vsu habens nuda eiusmodi voluntate damnũ inferri posse: prout pacto illi cum Dæmone antè conuenerat. Idem Barbelina Rayel [5] sæpè optatu suo à Magistro factum memorauit: quem præterea non tantùm ad exequenda istiusmodi vota pacatissimum, sed & in renuntianda legatione diligẽtissimum semper esset experta. Nam nec ita pridem vix Diris popularẽ quendam suum deuouere cœperat, cùm canis horridę specie is astitit, nuntians iam peractum esse opus ex eius animi sententia. Rosa Gerardina [6], Anna Drigæa [7], Iacotius Iacotinus [8], Iacobus Piscator, & Coleta eius [9] vxor, atque alij complures pro certo asseruerunt intabescere ferè omnes, quibus Diras sunt imprecati. Quódque ipsi apertè moliri non audent, solere per Dæmonem suum in eos, quos odio aliquo prosequuntur, occultè exequi. Nicolæa Morelia [10] fassa est oratu suo illum atro inspersisse puluere Nicolai Dominici equos, dum is eos ad vicinum fontem appelleret; vnde grauissimo morbo correpti in summa miseria non multo pòst interiissent. Præterea cùm è familia Dynastæ eius pagi, quem incolebat, coco venenum fecisset, ac morbus tantùm mortis expers esset secutus: primùm quidem durissimè ob id Dæmoni vapulasse; tum coactum fuisse hoc illi prouinciæ demandare, vt damno grauiore eum afficeret ac si vellet extingueret. Qua accepta momento aduolauit in eius culinam, ac potionem, quæ tum illi fortè ad sanationem in mortario miscebatur, mortifero puluere à nemine conspectus inspersit: vnde & non multò pòst is è viuis abiit. Hoc

5. Blainuillæ ad aquas Id. Ianua. 1587.

6. In agro Stiuensi Non. Nouemb. 1586.

7. Haracuriæ Id. Nouem. 1586.

8. Mirecuriæ mense Oct. 1586.

9. Gerbeuillæi IIII. Non. Maij 1586.

10. Serræ XIIII. Cal. Feb. 1587.

Hoc mihi sua fide narrauit Dynasta ille, quod præsens adfuisset, omniáque otiosè etiam obseruasset. Ei exemplo etiam non absimile est hoc Nicolai Carpentarij, quem Martha Margelatia Brindensis[11] per Dæmonem suum mortifero puluere absens etiam conspersit: quòd is iuxta prædiolum, quod illa habebat, lignorum fecisset congeriem, quæ illi esset impedimento. Rursus hoc Iaquelinæ Xaluetæ[12], quæ retulit satis sibi semper fuisse, quoties perditum vellet vel hominem, vel pecudem, id solo etiam nutu Dæmoni suo, vt fieret, indicare. Quod & eius popularis Hubertula[13] cùm insequenti anno sortilegij itidem rea perageretur, hac etiam narratione confirmauit. Rure redieramus (inquit) multo opere fatigatæ, quod faciundum locauerat Leonardus quidam nomine, expectabamúsque auidè dum cœna nobis apponeretur. Ecce verò eius filia desidiam mihi vni ferociùs exprobrare, ac iubere: interea vt in lintea fortè ibi vt lauarentur cõgesta lixiuium infunderem: Ob quem ego superuacaneum laborem cùm indignabunda Diras illi imprecarer, non longè abfuit Magistellus meus, qui properè se hanc proteruitatem in illam, si ita iuberem, vindicaturum polliceretur: Quod & me allubescente præstitit. Nam ad matrem ruri operas postridie curãtem trepida accurrit filia, nuntians puellulum fratrem tutelæ suę commissum casu, cui ipsa obsistere non quiuisset, calida esse perfusum, iamiámque animam exhalare: Quod ego audiens, cuius opera id esset factum facilè conieci: Et non adeò multo pòst accurrit Magistellus ille meus, narrauítque mihi quemadmodum mea gra-

tia

11. Spinali Prid. Non. Maias 1588.

12. Buxerij ad quercum IIII. Cal. Maij 1588.

13. Ibidem III. Cal. Mart. 1589.

tia hoc bonæ illi negotium confecisset. Non euasuram siquidem, quin parentibus pœnas grauissimas segnitiei, desidiæq; qualem ipsa mihi adeò ferociter exprobrauerat, dedisset. Postremum erit in hanc sententiam de Iana Armacuriana 14. Ea spicarum fasciculos tres ex agro vicini substraxerat, Atq; in Alexiæ Cabusiæ proximum hortum, quod is occultando furto maximè esset oportunus, deposuerat: sed non ita clàm, quin & Cabusia fortè tum in semota aliqua horti parte opus faciente aduerteretur. Quæ cùm, vt est mulierum ingenium, vicinis quod viderat palam fecisset; atque ex eo Iana non modò malè audiret, sed & iam in discrimē aliquod veniret (nam furto etiam subducti ex alieno horto oleris pœna est fustium in Lotharingia) dici nequit quanta ira, atque indignatione in illam exarserit: vtq; post hæc non cessauerit omnes vias, rationésque exquirere, quo tam insignem iniuriam pro libidine tandem exequeretur. Ergo ardentiùs hoc in solutione meditantem Dæmon ille, cui sese addixerat eam aggreditur, increpátque ignauiam, quæ hanc in animo suo ægritudinem passa esset tandiu residere, eum paratum se, atque obsequentem ad quamcumque vindictæ occasionem toties esset experta: Assentiretur modò, aut prouinciam demandaret: sic enim nō longiùs inultam iri eam linguę petulantiam. Nec mora, vt se id dixit Iana cupere, aduolat sedulus ille minister ad Alexiam (iumenta tum fortè ea asseruabat in pascuis, atque ex eis vnum quod in proximas segetes euaserat ad armentum tentabat reducere) turbine correptam impingit in humum tanta vi, vt illi crus frangeret

14. Leberij v. Cal. April. 1588.

frangeret, de cęteróque relinqueret adeò ex eo casu attonitam, vt domum seminecem referre oporteret. Diuersa, atque altera nihil præmonita quid alterius ferret narratio, totidem tamen verbis historiam hanc recensuere Iana illa, atque Alexia: tum & euentus multis ipso aspectu cognitus eam manifestissimam reddidit. Hic occurrit à multis agitata quæstio, tantúmne homini in hominem vnquam licere posit, vel si fauentes, obsequentésque habeat, quotquot sustinet orbis Dæmones, vt sola deuotione, imprecationéque cuiusquam capiti agris fortunis damnum, ac perniciem inuehere queat. Et id quidem ita fieri posse iam à multis ætatibus crediderunt veteres: vti indicant quæ adhuc extant duodecim tabularum fragmenta [15]: QVI FRVGES EXCANTASSIT. Et alibi: QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT. Inde enim facilè intelligere est arcanas quasdam, & vetustas execrationes iam tum fuisse; quarum ea vis foret, vt cui semel obnuntiarentur nunquam exitium, perniciémque vitaret. Quod etsi alicubi deridet Seneca [16], inquiens id fieri non posse, tam palàm esse, vt eius rei causa nullius philisophi schola intranda sit: non est tamen quod quis se ob id in hoc minus credulum præbeat: Siquidem ad imbres, qui attrahi cautibus, ac repelli à quibusdam credebantur, suam ille refert orationem: Quæ res homini, qui totus à naturæ legibus pendebat, nisi alienissima, absurdissimáque videri non poterat. Naturam (inquit in libro de Ira [17]) mutare difficile est, nec licet semel mixta nascentium elementa conuertere. Tum professione Stoicus erat: vti scri-

15. *Plinius lib.* XXVIII. *c.* 2. *& libr.* XXX. *cap.* 1.

16. *Lib.* IIII. *Natural. quæst. ca.* 7.

17. *Cap.* 18.

ptis à se libris ferè omnibus demonstrat. Et qui eius ex Tacito, Suetonióque vitam decerpsit, testatur. Quæ philosophorum familia, nisi quod naturę conueniens, consentaneúmque esset, semper respuit, ac reiecit. Deniq; huic, si contrà planè sentiat, reclamat quæ passim apud probatæ fidei authores reperiuntur exempla, ac documenta. Nomphis in quarto Herculeorum libro rem refert haudquaquam fabulosam (inquit Plutarchus [18]) aprum immensæ magnitudinis Xanthorum fines inuasisse; qui sata, frugésque circumquaque deuastans à Bellerophonte sit interfectus: Cúmque pro eo beneficio nihil illi gratiæ esset repensum, rogasse impensius Neptunum, vt eam ingratitudinem vlcisceretur. Quapropter salsum quemdam humorem per eorum agros scaturiisse, sic vt quicquid in ijs nascerentur eo humore corruptum deficeret. Nec prius tanti mali finem affuisse, quàm mulierum precibus victus Bellerophon Neptunum, vt Xanthis tandem ignosceret, exoraret. Quæ etiam ex eo probabilior mihi videtur oratio, quod hodiernarum sagarum Magistelli, quos dubium non est pro Dijs olim coluisse homines, simile quid etiamnum factitant. Nam si quid illis fortè fit quod doleat, præsto adsunt qui iniuriam vindicent Dæmones: vel etiam grauius, seueriúsque quàm ipsæ exoptarint. Tum rogari gestiunt ei malo vt opem, salutémque aliquam ferant sic ex offensione vltionem: ex vltione noxam: è noxa supplicationē impiam, ac detestabilem vno ductu aucupantes. Qui cumulus longè est maximus earum nequitiarum, ad quas homines abducere tentant. Et certè is ferè sagarum

18. In libr. de clar. mulie. cap. 9.

ſagarum nunc mos eſt, vt ad leuem quamque offenſiunculam indoleant: iram inde contractam cum magna acerbitate euomant: tandémque ſedatæ, ac munuſculo aliquo delinitæ malis à ſe apportatis remedium adhibeant. Quod & in Bellerophonte illo nunc obſeruare eſt, dum incandeſcit, dum affligit infortunio, dúmque per eius infortunij occaſionem afflictos eo adigit à ſe vt rebus lapſis opem auxiliúmque ſupplices petant. In quales etiam difficultates, atque anguſtias tridui perpetui aduerſa tempeſtate coniectus Xerſes, quarto demum die à Magis impetrauit eam vt compeſcerent. Quod & fecerunt (inquit Herodotus [19]) quibuſdam animalium inciſionibus incantatis ventis, inſtauratíſque Thetidi, ac Nereidibus ſacris. Sed vt incœptum de imprecationum arcanis viribus ſermonem perſequar: maximéque quæ homines ipſos tum priuatim, tum publicè afficere ſolent, ac percellere nota eſt illa ex antiquis hiſtorijs verborum conceptio (Liuius carmina deuotoria appellat) qua Dictatores, atque Imperatores euocatis numinibus vrbes, exercitúſque deuouebant. Referam autem ex Macrobio [20] integram quod habeat omnibus numeris expreſſam deteſtandæ in caput, fortunáſque alterius iræ diuinæ formulam: nullibíque quod ſciam adeò luculenta reperiatur. Dis pater, ſiue Iouis Manes, ſiue quo alio nomine fas eſt nominare, vt omnes illam vrbem, exercitúmque quem ego me ſentio dicere fuga, formidine, terrore compleatis: quíque aduerſus legiones, exercitúmque noſtrum arma, teláque ferent, vti vos eos exercitus, eos hoſtes, eóſque homines, vrbes,

19. In Polymnia.

20. Saturnal. lib. III. ca. 9.

agrósque eorum, & qui in his locis, regionibúsque, agris, vrbibúsque habitant abducatis: lumine supero priuetis: exercitúmque hostium, vrbes, agrósque eorum deuotas, consecratásque habeatis illis legibus, quibus quandoque sunt maximè hostes deuoti: eosq; ego vicarios pro me fide, magistratúque meo vt pro populo Romano, exercitibus, legionibusq; nostris do, deuoueo. Si hæc ita faxitis; vt ego sciam, sentiam, intelligam tum quisque votum hoc faxit rectè factum esto. Quibus atris tribus Tellus mater, téque Iupiter obtestor. Quum tellurem dicit, manibus terram tangit: cùm Iouem dicit, manus ad cœlum tollit: cùm votum recipere dicit, manibus pectus tangit. Qua deuotione Stonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenates intra Italiá: extra verò Carthaginem, & Corinthũ tum multos exercitus, oppidaq; hostium Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarúmque gentiũ funditus periisse prisci loquuntur annales. Et eius equidem virtute effectum plerique putant, quod nonnullæ recitant historiæ; vt scilicet in exercitu nulla prębente se idonea alia causa viri vna, & equi metu subito corriperentur, in fugámque verterentur. Nam à Pane, vel aliquo Deorum eiusmodi deuotionibus incitato, ac commoto (quam etiam ob causam Pausanias [21] πανικὸν: Pindarus [22] δαιμόνιον φόβον appellasse videtur) eorum terrorem immitti solere existimauerunt. Quinimo nec hostes tantùm, sed & ciues istiusmodi Diris innectere solebant, si aliter à nefario aliquo incœpto, ac rei publicæ pernicioso eos reuocare non poterant. Actæius in via, per quam Crassus [23] iter facturus erat, succensam cratem

21. *In Phocaicis.*

22. *In Nemeis.*

23. *Plutarch. in vita M. Crassi. Cic. in li. de Diuinatione.*

eratem constituit: cúmque ad eum locum Crassus peruenisset, assistens is, & sacra quędam, ac libationes faciens diras admodum, atque horrendas execrationes obnuntiauit, Deos quosdam inauditos anteà, atque horrendos nomine appellans: Nec eas illi frustra fuisse meritò creditum est ob eam, quæ non multo pòst secuta est, Parthicam cladem, & insignem equidem, ac memorandam: Denique nec contemnendi periculi res ea grauibus etiam, ac constantibus viris olim visa est quacumque de causa, aut à quouis ipsa denuntiaretur. Pisoni (inquit Suetonius [24] de Germanico loquens) decreta sua rescindenti, clientelas diu vexanti non prius succensere in animum induxit, quàm veneficijs, & deuotionibus impugnari se comperit: tum enim domesticis vltionem mandauit, si quid sibi accideret. Quod & hodie ijs interminari solemus, quibuscum nobis rixa est, si qua præsertim veneficij suspicione laborant: nempe si deterius aliquid contingat nos eius causam in illos esse reiecturos. Et hæc quidem cautio sæpè profuit: Nam à mala sua libidine istius metu illos retractos, ac reuocatos fuisse experientia non semel est comprobatum. Et ea quidem Latinorum animos non primùm imbuerat opinio. Nam & Athenis templum suum Diris fuisse statutum Hesychius scribit: Aristophanésque meminit in Horis. Puto eadem de causa qua febri, Vertumnis, ac Veiouibus ijdem Latini posuerunt: ne scilicet eiusmodi denuntiationibus prouocatæ obessent, nocerent, incommodarent: Nam tum vulgarem earum imprecationem fuisse indicant quæ eius ætatis oratores scripta re-

24. In Caligula, cap. 3.

liquere. Ἐπεύχεται (inquit Æſchines in oratione κατὰ Κτησιφῶντος) μήτε γῆν καρποὺς φέρειν, μήτε γυναῖκας τέκνα τίκτειν γονεῦσιν ἐοικότα, ἀλλὰ τέρατα &cæt. Quæ execrationum verba nunc quoque ſagis noſtris ſæpè in buccam veniunt, ſi quid fortè mendicantibus denegatur. Neque enim alia earum frequentior oratio eſt, quàm vt vniuerſa eius familia fame pereat, qui ſtipem non confert: pariat irata Lucina materfamilias: prodigijs, portentíſque tota domus infeſtetur. Nec equidem (quod deplorandum eſt) votis ſemper innotuit, cuius & nos alibi meminimus: Idem eadē in oratione Æſchines γέγραπται γὰρ οὕτως ἐν τῇ ἀρᾷ· εἴ τις τάδε φησὶ, παραβαίνοι ἢ πόλις, ἢ ἰδιώτης, ἢ ἔθνος ἐναγὴς ἔστω τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τῆς Ἀρτέμιδος. Et hoc quoque crebrò vſurpant ſagæ illæ: Nam non modò ſingulorum res domeſticas, ac priuatas, ſed & plurimum communes, ac publicas Diris ſuis interuertunt, ac peſſundant: Illis bouem, iumentum, vxorem, liberos, vitam denique ipſam: his vniuerſum pecus, ſegetes, vindemiam, ac ſæpè integros pagos, & oppida. Et habent ad nutum qui vota ea ſtatim exequantur. Dæmones morbo, ſyderatione, fulmine, chaſmate: ſi modò eæ res, in quas ſunt concepta, Dei præſidio ſunt deſtitutæ: nam aliter ne hilum quidem nocere poſſe certum eſt: quod & pluribus alibi oſtendimus. Tum diuerſi ſuam quiſque prouinciam ſortiuntur, vti olim Dij gentium: alius aëris tempeſtates, alius maris procellas commouebat: alius hunc, illúmue morbum incutiebat: alius aliud pariebat infortunium. Et haud ſcio, an inde in quorumdam animos is nunc demanauerit error: vt quibus malè precari volunt, eos morbo quem in alicuius indigetis

getis poteſtate eſſe credunt feriri optent: veluti cùm DD. Ioannis, Antonij, Manij, Anaſtaſij mala malè ominantur ἐπιληψίαν, ignem ſacrum, impetiginem, μανίαν intelligentes. Nam ea hominibus immittere cœlites illos multi putant: eóque adeò nomine ſæpè ſunt venerabiles, ac etiam formabiles. Quàm bene viderint qui iſtis ducuntur opinionibus. formidabiles

--nec enim liueſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe Deos[25]. 25. Claud. de rapt. Proſer. lib. II.

Niſi Diuos ſibi fingunt, quales habuit errorum tenebris obcæcata illa antiquitas vbique diros, truces, noxios, atque adeò miniſtros earum pœnarum, quas quiſque de alio per ſummam etiam expetere vult iniuriam, ac contumeliam. Porrò quod quis dixerit iſtis iniurijs atque infortunijs facilè obnoxios fuiſſe illius ætatis homines, qui ſe volentes in Dæmonum poteſtatem permittebant: qua conditione nō æquum ſit cenſeri, quos Deus nunc in tutela, pręſidióque ſuo vt iam in familiam cooptatos latere voluit, non ita res eſt: Nam habuerunt tum Hebræi, tum Chriſtiani ſuas ἀρὰς, καὶ κατάρας, in tanta etiam religione, vt nemini fas eſſet qui in eas nō iniuria incidiſſet euadere. Ochozias [26] Rex centurionem cum quinquaginta militibus, vt Eliam ad ſe attraheret, miſerat. Repertum ille in montis vertice deſcendere iuſſit, & ad regem venire: In hoc enim ſe miſſum, vt ni ſponte ſua faciat, vi coactum eo pertrahat. Elias præfatus ſe prodigium editurum, quo verus propheta noſceretur, & igne ad ſuas preces cælitus miſſo ipſum vnà cum militibus conflagraturum; malum hoc eis imprecatus eſt

26. IIII. Reg. I. & antiq. Iudaic. lib. IX. cap. I.

27. IIII. Reg. 2. est, móxque candens turbo delatus centurionem, & eius comitatum perdidit. Cùm Eliseus 27 eius se-
28. Antiq. libr. 9. & 7. ctator & comes indiuiduus (vt Iosephi 28 verbis vtar) pueris per ludibrium, Ascende calue, clamantibus malè precatus esset eorum quadraginta duo
29. II. Reg. 3. & Antiq. Iudaic. lib. VII. vrsorum laniatu perierunt. Dauid vltrices Diras Ioabo Abeneri 29 interfectori est imprecatus: quę eum aræ etiam cornua tenentem tandem mactauerunt 30. Eius psalmi, præcipuéque quinquagesi-
30. III. Reg. 2. mus quartus, & centesimus octauus impio, proditoríque vltimum precantur exitium. Veniat (inquit) mors super illos, & descendant in infernum viuentes. Nec id irritis votis illum facere voluisse putandum est, dum sibi indulget: sed magis quod
31. Matth. 21. vers. 19. exitum qualem zelo gloriæ Dei percitus optabat, vota sua consecutura sperabat. In Euangelio 31 cùm IESVS esuriens venisset ad ficum, nec fructum in ea inuenisset, sua maledictione perpetua sterilitate
32. Act. vers. 11. ipsam damnauit. Elymam magum D. Paulus cæcitate percussit 32: Hymenęum, & Alexandrum Sa-
33. I. ad Timoth. ca. 1. vers. 20. tanæ tradidit: Quod posterius 33, etsi sic quidam interpretantur quasi ea traditione exclusi tantùm fuerint Ecclesia, ac mancipia Satanæ effecti: sunt
34. Act. 5. vers. 5. & 10. tamen qui de carnis interitu hoc quoque intelligant: vti in Anania 34, & Zapphira alibi euenisse
35. Esaiæ 2. vers. 4. legitur: quibus sola increpantis Apostoli vox præsentem interitũ attulit. Quod & futurum Esaias 35 vaticinatus fuerat, inquiens: Spiritu oris sui interficient impium. Nulla igitur iam controuersia est, quin sint Diræ: quarum imprecationes exitiabilem sæpè euentum habeant: Sed quænam earum exciendarum sit ratio, rectè quæri, dubitaríque potest.

potest. Et sunt qui ad verborum certas conceptiones, ac formulas eam naturaliter referant, quasi hoc, vel illo modo, numero, atque ordine pronuntiata vim habeant: præterea aliam, quam quę rebus significandis primum fuit imposita. Quod ego tam ridiculum, absurdúmque esse existimo: quàm illud, quod de characteribus, ac literarum figuris quidam in eandem sententiam autumant. Siquidem inter id quod agit, quódque patitur conuenientiam quandam intercedere oportet, vt inde effectus aliquis consequatur. Quæ autem nudæ vocis in solidum: sæpè etiam multa locorum intercapedine distans corpus tam potens actio esse potest, vt id sic momento perdere, atque exanimare queat. Quid descriptæ lineæ, compositíque numeri cum eo quem ducunt animalia spiritu commune habere possunt. Certè eædem literæ, syllabæ, dictiones accusatori ad arguendum, quæ reo ad defendendum: Iudici etiam ad condemnandum, orationem ministrant: sed non ideo penes ipsas vitæ, necísque in quemquam arbitrium quis esse dixerit, lineę demonstrant, quo quisque modo, ac situ commodè, aut secus stare possit, non conuellunt sola descriptione, aut firmant ędificium, vel si millies in charta, ære, cera distinguantur, ac repetantur. Plato in Timæo numeris omnia tribuit cœlestia, & humana, vniuersamque naturam ex iis constare dicit: Quin & in Parmenide monadi diuinitatem tantam tribuit, vt dicat vnas solùm esse veras, atque immortales substantias: veluti Deum Angelum quem mentem vocat, & animam. Nullibi tamen apud eum reperias vel vestigium istiusmodi morti-

feræ per numeros incantationis, atque execratio-nis. Ac quod alij ad ſyderum affectiones hoc etiam referunt: nihilo equidem probabilius loquuntur, quod vniuerſas, immutabileſque eas eſſe conſtet, cùm contrà toties ad imprecandum inſurgant malefici: quotiens in hunc, vel illum ira excandeſcunt. Si quis porrò halitui quem inter imprecandum è virulento ſuo pectore efflare dicuntur, hoc etiam tribuere velit, quaſi qui oculis ſolis faſcinare di-
36. *Plinius lib. 7. cap. 2.* cuntur Triballi in Illiria: Vitiæ in Scythia: id quoque abſurda, incredibiliáque multa continet. Primùm enim, vti iam dictum eſt, procul remotos non attingunt, quia eo nulla vis veneni peruenire poteſt: & vt id faciant, qui præcordiis ſuis innocenter eum ſpiritum continere poſſunt: cuius afflatus aliis adeò noxius eſt, & perniciosſus. Tum ſi nunc eas nocendi vires habet, qui poſtmodũ fit ſalutaris. Nam equidem memini legere me, qui dicerent certo numero conceptis imprecationibus multos in grauem morbum conieciſſe: quos ſtatim ipſi precibus, metu, aut aliqua alia ratione adducti contrariis verbis priſtinæ ſanitati reſtituiſſent: Sic vt eadem lingua, & vulnus, & medicinam faceret: vti Circe eadem virga mentem adimebat, ac reddebat: Pecudes faciebat, & homines: Et taurum aliquando admurmuratis in aurem quibuſdam verbis morte proſtratum iacuiſſe: iiſdémque mos repetitis vitæ redditum fuiſſe nonnullę teſtantur hiſtoriæ. Ea igitur omnia potius crediderim notas eſſe, & ſymbola rei alicuius ſecretioris: quæ eo veluti integumento inuoluitur. Nam ſi quis iſta altius, diligentiúſque volet indagare, reperiet à Dæmonibus cauſam habere

bere solam, ac præcipuam: nimirum quòd vel sortilegis cum illis ita pacto conuenit: vel quòd eadem verba, iidem characteres, iidémque numeri vsurpantur, qui in pacti lege sunt dicti: cum primùm id pactum cum sortilego alio, à quo fortè sunt edocti, intercederet. Quod & ideo D. Augustinus [37] ex pestifera hominum, Dæmonúmque societate constitutum, infidelísque, ac dolosæ amicitiæ pignus alicubi esse dicit. Et ex Esaia [38] fœdus cum morte, pactum cum inferno non malè nominauerimus. Ac quod quis dicat hæc cum illis pugnare, quæ paulò antè à nobis dicta sunt de sanctis patribus, adeóq; de IESV Seruatore nostro, eiúsque Apostolis, ac discipulis, non ita est: Multum enim interest furore, ac insania quis ad priuatæ iniuriæ vindictam prosiliat; an amore, ac studio gloriæ Dei, ad vlciscendum quę in eius contemptum, contumeliamq; fiunt, dicatur; vetitis, prohibitísque vtatur artibus: an quod ait ille

Diuûm numine ad ista feratur.

subsítne ad id progrediendi causa aliqua Deo grata, acceptáque: an is ceu se quid indignum illud reiiciat, ac respuat: cùm nuntij à Christo missi [39] in quamdam Samaritanorum ciuitatem fuissent, ingressi, vt pararent Domino, & iis qui cum illo erant necessaria vitæ; ciues repulerunt illos nolentes Dominum intra mœnia sua admittere: quòd cùm vidissent discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine vis dicamus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos, quemadmodum & Elias fecit? Conuersus autem IESVS increpauit illos dicens: nescitis cuius Spiritus estis vos: Quasi dicturus,

37. *Libr. 11. de doctrina Christiana.*

38. *Cap. 28.*

39. *Lucæ ca. 9. vers. 52. 53. 54. 55. & 56.*

Elias quidem, cuius exemplum obtenditis, Dei iudicium quod illi mandatum erat à ſpiritu exequutus eſt: vos autem non Dei iuſſu, ſed carnis impulſu ad vindictam proſilire vultis. Et hæc equidem ratio Oniam virum iuſtum multis antè ætatibus cohibuerat, ne popularium quorumdam oratu ſacerdotes, qui ſe cum Ariſtobulo ad ſui tutelá templo concluſerant, maledictis inceſſeret. Is (inquit Ioſephus 40) ciuile Hieroſolymis bellum præſentiens in latebras ſe abdiderat: ſed inde retractum, ac in caſtra abductum Iudęi rogabant, vt quemadmodum olim precibus ſuis ſiccitatis tempore pluuiam impetrauerat, ſterilitatíque remedium attulerat: ita nunc deuoueret Dijs Ariſtobulum, & quotquot eius partes ſequebantur. Id igitur cùm diu recuſans cogeretur à turba nihilominus præſtare, ſtans in medio eorum ſic precatus eſt: Deus vniuerſi mundi huius rex, quoniam & hi qui mecum ſtant tuus populus: Et qui oppugnantur tui ſacerdotes ſunt, precor vt neque hos contra illos, neque illos contra hos orantes exaudias. Nimirum in vitæ apertum diſcrimen incurrere maluit (nam ſtatim ab illis ob eam rem lapidibus eſt obrutus) quàm eorum prauis affectibus obſequendo immerentibus male precari, atque ominari. Balaaci 41 etiam vulgi ſermone trita eſt hiſtoria, qui cùm Balaamum vatem in Iſraëlitas immiſiſſet, eos vt Diris deuoueret: non quiuiſſe tamen eum id facere, ipſa aſina cui inſidebat pertinaciter reſtitante, ac humana etiam voce cum domino expoſtuláte, quòd non intelligeret diuinitus ea prohiberi, ad quæ properabat: ſicque non modò mala non eſt imprecatus

40. *Ioſeph. Antiquit. Iudaic. li. 14. cap. 3.*

41. *Numerorũ 22. verſ. 12. Ioſ. 24. verſ. 10. & Numero. 24. verſ. 7.*

catus

catus Israëlitis: sed & ipsos faustis ominibus est prosequutus ipse Dæmon; quem omni studio in perniciem hominum incumbere certum est; si quando probitatis velo malitiam suam vult obtendere, nō alia re commodius se id facturum putat, quàm si odium istius maledicentiæ, ac detestationis præ se ferat aliquod: vti nouum non est pudicitiam ab impurissimis scortis sępè laudari. Cuius generis est, quod Plutarchus [42] de quadam sacerdote Atheniensi recitat; quæ populi iussu adduci non potuit, vt Alcibiadem execraretur: quòd diceret precandi causa, non imprecandi se sacerdotium iniisse. Quo magis mirum est hodie tam frequentes esse in ore plerisque omnibus Christianis eiusmodi execrationes, vt iam ex assuetudine damnari, ac reprehendi desierint. Ac quòd sæpè excidant etiam incogitantibus, vti vsus procliuitatem facere solet, in crimen amplius non vertantur. Et clamat tamen D. Hieronymus [43] eos qui negligunt oris maledici consuetudinem resecare: etiamsi non corde maledicant, tamen immunditiam labiorum secundum Esaiæ verbum, & inquinamenta oris incurrere. D. quoque Petrus, quo ei licentiæ fræna magis inijciat, mandatum necessarium ponit, vt perpetuò benedicamus: scientes nos in hoc esse vocatos, vt benedictionem hæreditate possideamus: nō etiam conuitio lacessiti, non iniuria affecti: non contentione exasperati. Nam & Michaël (inquit idem Hieronymus [44]) licet cum diabolo de Mosis corpore vehementiùs contenderet: nunquam tamen ei & certè maledictione dignissimo iudicium blasphemiæ inferre voluit. Quid igitur iam futurum

42. *In Proble. Roma. problem. 43.*

43. *In Leuiticum.*

44. *In Epist. 1. ad Titum cap. 3.*

putamus, si temerè coniiciatur maledictum, nempe vt statim recidat in eum, qui coniecit: vti qui in cœlum sagittam torquet, sæpè eam in se ruentem admittere cogitur. Sicut auis in incertum volans

45. Prouer. 26. (inquit Salomon 45) & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum venit super eum, qui misit illud. Et adhuc audemus nobis ipsi imprecari, si res ita se non habeat, vti eam verbis asserimus: quamuis tacita nos mendacij arguat conscientia. Quin igitur itidem mirari desinimus, si sæpè conditionem nostram accipit, ac in articulo ipso nos opprimit, qui semper in insidijs stat, suam nos vt prædam faciat Archiplanus: vti non adeò pridem

46. Li. de præst. Dæm. c. 17. euenisse recitat Vvierus 46 ei, qui in iure falsum pro re causaque sua deierans, hoc fidei maioris ergô addidit in malam rem ipse vt iam abiret, ni verum loqueretur. Nam illicò sublatum Diabolus videntium oculis illum eripuit: nec vllibi vnquam posteà apparuit. Et hic quidem commiseratione indignus fuit, qui sic inconsiderata, dementíque sua temeritate sibi malum accersiuit: siquidē nulla est iniuria, quæ fit in volentem: sed quæ hæc indignitas est iratorum etiam parentum imprecationibus astringi liberos, atque ex ijs noxam illos con trahere? Nam id multoties euenisse testantur histo-

47. Lib. VII. de legib. riæ. Et censuit Plato 47 funestius nihil quicquam illis accidere posse: Imò & solam indignationem inauspicatam esse, ac non raro infortunium afferre.

48. Hist. de gētib. Septen. libr. XVI. cap. 3. Noui ego homines (inquit Olaus Magnus 48) adhuc ætate mea paterna benignitate exclusos, qui continuò omnem infelicitatem, inopiā, calamitatem, infamiam essent experti. Qua etiam de causa

in Aqui

in Aquilonaribus terris ab antiquissimis seculis inter laicos, & eorum sobolem fuit vsitatum: vt pueri, puellæq; lectum petituri ordine ætatum recitata Dominica oratione, & Angelica salutatione paternam benedictionem acciperent. Et concionatur Salomon [49] patris benedictionem filiorum domos stabilire: matris maledictionem eas suis sedibus, fundamentísque conuellere: sed hæc forsan nimis multa in re non vtique admodùm dubia, & controuersa ad alia iam properemus exempla.

49. Ecclesiastici. 3.

Aliud in eamdem sententiam exemplum: ac quomodo cædes à Dæmonibus factæ nullum sæpè sui vestigium ostendant.

CAP. X.

ALiud sequitur superioribus haud ita dissimile exemplum de Bernardo Bloquatio: quem cùm Ioanna à Banno [1] opus in quodam rure faciens cum bigis pretereuntem, ac forte Argentoratum, vbi merces aliquot compararet, properantem animaduertisset: memor pridem acceptarum, & adhuc tamen inultarum iniuriarum: deuotione, ac execratione sua infortunium, quale in huius libri periocha narratur illi peperit. Nam vix adhuc imprecari cœperat, cùm ille è curru, in quo sedebat, præceps tanta vi deiectus est, vt illicò exanimatus sit; integro nihilominus toto corpore, nec vel vulnere vllo saucio, vel liuore decolorato, vel tumore inæquali, vel denique luxato, intorto, aut vlla sui parte læso; vt illi interclusam animam, interceptós

1. Manerij. III. Non. Iul. 1585.

terceptósque omnes vno momento ſpiritus fuiſſe à Dæmone credibile ſit. Cui rei fidem ne quis putet à ſola ſagæ illius confeſſione eſſe mendicatam; ſciat & ei in omnibus conſentientem fuiſſe Ioannis Aurigæ, qui in illa profectione Bloquatio operam ſuam locauerat, affirmationem vel multis antè diebus, quàm à ſaga agnoſceretur, in vulgus ſparſam, atque indicatam, præterquam quod necis illius noua, atque inaudita ratio argumentum dedit allati ab inſolentiore aliqua vi, ac poteſtate infortunij. Ac quoniam habet hæc hiſtoria inter cætera promptam Dæmonis in obſequendo diligentiam, ſi quando ad nocendum à ſuis aſciſcitur: hoc etiam ad eam teſtimonium Ioannæ Montenaienſis [2] adiicietur, referentis raro ſe quicquam Dæmone ſuo in alterius poſtulaſſe perniciem, quod ſimulac dictum, factum non eſſet: adeò is ad omnem malè agendi occaſionem aſſiduus eſt, & diligens.

2. Condæij menſe Iul. 1582.

Aliud rurſus eiuſdem cum ſuperioribus argumenti exemplum, cuius probabilitas prætereà veterum authoritate defenditur: Tum quo præſertim nitendum ſit præſidio aduerſus Satanæ inſidias, atque incurſiones.

CAP. XI.

EIVSDEM etiam argumenti & ſententiæ eſt quæ proximè in eadem periocha exponitur narratio Malefica [1], cui Aſinariæ nomen vulgus fecerat, hoſtiatim ſtipem Nanceij cogere ſolebat: eiúſque ætas, ac incommoda valetudo ſic iam miſericor

1. Nanceij.

ſericordiam potentiorum erga illam concitauerat, vt ab iis ceu in demenſum aliquid quotidie acciperet, quod ſatis vitæ haud ægrè tolerandę eſſe poſſet. Cùm igitur ſuo more ſtás ad proprǽſidis fores eam ſibi dari importuniùs poſtularet: ac tum inauſpicatò egrediens maior natu eius filius iuſſiſſet in aliam horam vt faceſſeret, quod tunc fortè domeſticis non eſſet erogandi otium: hoc illa indignè ferens, quod promptum habent in ore ſagæ omnes, illi eſt imprecata. Nec mora, quaſi pedem in ſilicem is impegiſſet, caſu adeò violento procubuit, vt præ dolore domum ſe ſtatim referre cogeretur: vbi omnem rem domeſticis, quo pacto accidiſſet, ordine enarrans hoc adiecit ab imprudentia ſua, aut inconſulto greſſu non eſſe partum ſibi illud infortunium: ſed à maiore vi aliqua quæ ſe à tergo percuſiſſet: nihílque iam dubitare quin ex eo membrum fracturus fuerit, niſi cadenti Deus opem tuliſſet: Nam & ei me (inquiebat) ſigno crucis muniens primo mane ſuppliciter commendaueram: Nihilo magis tamen poſt hæc quieuit malefica: Nam cùm indignabundus Dæmon, quod ſic fruſtra tentauerat, ei renuntiaſſet; multò vehementiùs illum rogare, ac obteſtari cœpit adoleſcentem vt pergeret quouis modo perdere: quod quidem illi facilè erat facere, ſi imparatum ab eo matutinarum precationum, crucíſque munimine aliquando adoriretur. Hoc ſiquidem impedimentum ſuperioribus conatibus ipſe Dæmon cauſatus fuerat. Euenit igitur non admodum multis pòſt diebus, vt is adoleſcens è cœnaculi feneſtra brachium proferens pendentes è proximo muro paſſerculos nido detracturus

ſublimis à tergo tolleretur, pérque eam feneſtram præceps tanto impetu deiiceretur, vt pro mortuo domum referretur: vbi tamen poſt aliquot horas factus vtcunque ſui compos patrem etiam lachrymis lamentíſque deditum iuxta ſe intuens: noli, inquit, mi pater, quicquam mihi ob iſtud ſuccenſere infortunium: Nam certè procul hîc culpa omnis à me eſt, ſed extruſit me foras etiam renitentem neſcio quid à tergo imminens, ſuperinducta etiam grauiori re aliqua, quo vehementius deprimerer, ac deiicerer. Et certè iuxta illum iacentem, ac proſtratum repertum fuerat lignum ex ſtrue, quæ in ſuperiore horreo ad vſum familiæ congeſta fuerat: Atque hæc cõſtantiſſimè perſtans dicere, aliquot poſt dies è viuis abiit. Accidit etiam intra paucos alios, vt Aſinaria illa tum ex aliarum maleficarum indiciis: tum ex diuturna, qua laborauerat, ſortilegij ſuſpicione, ac diligẽti ſuper ea re inquiſitione in vincula coniiceretur: Quam ego ex elogiis teſtium interrogaui, tandémque rationibus, ac ſine vlla tormentorum vi eò adegi, vt ſua ſecus admiſſa omnia ingenuè fateretur. Inter quæ & hoc fuit, quod totidem quibus puer ille verbis magna confidentia recitauit. Nam ſtatim ac patratum fuerat à Dæmone facinus, is ad eam in macelli vicinia tum commorantem aduolauerat, ac rem omnem, vti geſta erat, enarrauerat: perrexítque hæc illa aſſeuerare, dum mors ſubiiciente flammas carnifice ipſam occupauit. Nec noua, primúmque audita eſt iſta in homines Satanæ laniena, & crudelitas: ſed habent veterum hiſtoriæ, tum ſacræ, tum profanę plura de ea re documenta, quàm vſus veniat. Ingenti vẽro, quem

Satam

Satam ex solitudinibus excitauerat ædes in quibus conuiuium agitabant filij Iob [2], deiectæ sunt: qui omnes ad vnum earum ruina sunt oppressi. Saræ [3] Raguëlis filiæ sposos septem Asmodæus, id est, destructor Angelus (Rabini mortis Angelum appellant) ea qua primum quisque lectum genialem nocte inierat, interemit. Ægeam proconsulem, cùm beatum Andræam Patris vrbe Achaiæ in crucem tolli iussisset, malus spiritus corripuit, ac præfocauit. Marcus apud Psellum [4] ait Dæmones sæpè igne, ac præcipitio homines perdere: imò nauigia viris onusta vndis obruere, ac funditus submergere. Leuinus Lemnius [5] latenter immiscere se alimentis, humoribus, spiritibus, auræ, atque aëri quem intra corpus concipimus, ac quo spiramus: multaque alia quæ nobis vsui sunt, & valetudinem conseruant deprauare, ac vitiare. Et denique illum clamant sacræ literæ [6] leonis famelici, ac rugientis instar obambulare, cursitare, atque oberrare nulla non terrarum loca: dum offendat in quem virus suum possit effundere. Quin igitur adeò sæuæ, truculentæq; bestiæ opponimus solidæ fidei clypeum spiritus gladium, geleam salutis, alia quasi succenturiata præsidia, temperantiam, integritatem, vigilantiam, ieiunia, precationes, obsecrationesque assiduas: ac præsertim antelucanas, & matutinas. Nam iis certo suos conatus prohiberi, atque infringi ipsæ etiam sagæ profitentur. Et certè non est sine exemplo, quod olim id sacros vates factitasse Bibliorum codices passim testantur. Sic Dauid [7] in angustia constitutus: Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Mane astabo tibi, & videbo: mane oratio mea præue-

2. Iob. cap. 1. vers. 19.

3. Tobiæ c. 3. vers. 8. & 9.

4. Ca vbi sex Dæmonum describuntur species.

5. In exhort. ad vitam opt. institu.

6. D. Petrus Epist. 1. ca. 5. vers. 8.

7. Psal. 5.

8. Psal.72. niet te[8]. Sic Esaias[9]: Erigit mane, mane erigit mi-
9. Cap.27. hi aurem Dominus. Rursus[10]: Anima mea deside-
10. Cap.26. rauit te in nocte: sed & in spiritu meo, & in præcordiis meis ad te de mane vigilabo. Siquidē Dominus oratione suorum inuitatus eos ab impendentibus periculis defendere, ac protegere solet: non quidem secundum carnis suæ propositum: sed iuxta Spiritus Sancti consilium. Quo magis demiror quorundam in censendis Christianorum moribus inconsideratam, supinámque sapientiam: qui si quod Nolanis de mane datur signum, quo excitentur homines ad tam salutares, ac pias preces, & iis quasi oscitantibus auris vellicetur: id illicò damnent, atque improbent: quia nimirum ab illis vsurpatur, à quibus in constituenda, colendáque religione dissentiunt.

Alia quoque eiusdem argumenti cum superioribus exempla, ac vt Dæmones eos præcipites deiiciant, quibus nocendi prouinciam à sagis acceperunt.

CAP. XII.

SVBIT rursus superiori facto vnum, atque alterum non dissimile de rusticis quibusdam, quorum alius luxuriantes ex arbore ramos amputans: alius tundendas fruges ex horreo in aream deiiciēs: alius in summo curru fœnum concinnans, atque adaptans, nihil etiam temerè periclitantes: detrusi tamen, ac compacti sunt in terram adeò violenter, vt semineces inde efferri oporteret: nullo, qui impulisset, ac deturbasset, vllibi apparente. Propria etiam

etiam magis ſunt quæ ſequuntur. Pyrus erat in deuio nemore, è quo Ioannes Rotarius [1] ſibi fructus pridem deſtinauerat legere: nec putabat tam abdito, atque obſcuro loco à quoquam animaduerti poſſe, qui bolum hunc illi è faucibus eriperet. Notata nihilominus eſt & ea arbor à Deſiderio Saleto eius tribuli: qui prior occupans pyra decerpere: atque in ipſo facto deprehenſus, non longè abiit, quin Rotario præreptæ prædæ pœnas daret: ſiquidem facile fit quod iſtiuſmodi hominum monſtris doleat, quódque ad vindictam accendat: Ergo vt illi conſueto in aliis more Diras eſt imprecatus turbine ſubito inuolutus, ac in terram deiectus crure altero ſic eſt debilitatus, vt ſe loco prius mouere nō poſſet, quàm accurrentes ad eius clamorem, qui in nemore pecorum greges cuſtodiebant, ſubnixi, atque adminiculati domum eum reducerent. Nec adhuc vulnus tum coaluerat, cùm Rotarius iſta primùm ſpontanea ſua confeſſione patefecit. Huius generis eſt & aliud de Apra Hoſelotia [2]: Ea filium habebat in famulatu Ioannis Halecuriani: In hunc herus ſæuitiam adhibuerat ob furtum, cuius illum præ cæteris qui erant in familia inſimulabat: Id dolens mater, ac cupiens vlciſci occaſionem ſedulò captabat, quo id faceret: Ac cùm aliquando is iumenta è paſcuis domum reduceret, atque horum vni otioſus inſideret, accedens illa vnà cum ſuo Dæmone, ſubducta tamen omnium oculis, collum equo tum commodè depreſſit, vt per id dilapſus ſeſſor, atque in humum depulſus crus perfringeret. Quod & adhuc ex eo lapſu claudum, diſtortúmq; apparebat, cùm is veneficæ teſtis committebatur.

1. Huecuria Ann. 1586.

2. In ſuburbiis D. Apri ad Tullum x Cal. Mar. 1587.

Alia etiam de eadem re exempla: tum vt Dæmones, eorúmque asseclæ Striges tectis, ædificiisque latenter ignem iniiciant.

CAP. XIII.

1. *Lanfracuriæ* VII. *Id. Maij 1588.*

CLAVDIÆ Fellęæ[1] Maielaiési cum vicina muliere rixæ frequentes fuerant: vti sæpè vicinitas inter æquales parere solet iurgandi occasionem ac procliuitatem: pridémque secum illa reputauerat, quemadmodum vicinam latenti aliquo vlcisceretur infortunio: Id enim clàm erat faciendum, quod populares omnes, si quid sibi deterius accidisset, id factum in Fellæam illicò reiicerent. Initur de hoc cum Dæmone consilium: Placet eam suo more opus ruri facere: interea dum is in vrbe partes suas exequitur, ne qua eius quod accipiebatur facti si domi fuisset suspicio eam attingeret. Ecce verò vicinarum ædium occlusis, obseratísque foribus audiri intus miserabiliter eiulans puer, quem mater abiens solum domi reliquerat. Accurrere qui audiebant omnes, ac fores properè effringere, visuri ecquid illi contigisset, quo clamores tantos ederet: Reperire illum prunis candentibus vndiquaq; adopertum, atque obrutum: excutere citissimè: tum cunis detrahere, vt quantum possent seruarent incolumem: Sed iam animam agere, ac inter ipsas illorũ manus emori. Peruagari igitur rumor Fellææ haud dubiè hoc esse incœptum, quæ simili damno plures alios antè mulctasset, dicebatur: In illam idcirco de hoc, aliísque facinoribus quorum pridem insimulabatur disquisitiones fieri, ac tandem eo res

redire,

redire, vt ingenuè id crimen vti ſuum agnoſceret, ac amplecteretur, ſingula quemadmodum eſſent à Dæmone ſuo rogatu patrata, denarrans, maximéque illud de candentibus carbonibus, quos is in proximo foco ſub cinere repertos batillo extraxerat, ac miſelli infantis cunis ſuperiniecerat. Ac quoniam in eum ſermonem incidimus, qui exuſtiones, incendiáque à Dæmonibus immiſſa continet: iuuat & de hoc exẽpla aliqua & ea quidem diuerſa ſubiungere: quibus magis eius rei veritas, quæ à tam multis in dubium adducitur, eluceſcat, atque adiuuetur. Colmerij, qui pagus eſt in ditione Diui Iacobi à Tauagni D. Apri Cœnobiarchæ, viri in ea nobilitatis, ac fortunarum amplitudine, qua ſumma fruitur, comitatis, beneficentiæ, atque integritatis laude illuſtriſſimi: euenit intra annos viginti, vt eius loci incolæ petulantiſſimus quidam Dæmon non ceſſaret noctes, diéſque domeſticos lapidibus impetere: quod cùm & ſæpè, & fruſtra feciſſet, ſic illi id tandem ludibrio habere cœperunt, vt pro eo probra, conuitiáque iam non dubitarent regerere. Ergo profunda iã nocte ſic totam caſam momento incendit, vt nulla extinguendæ flammæ aqua ſatis eſſe poſſet: quin tota incendio ſtatim conſumeretur: vti ego rei inſolentia adductus cupidius à vicariis addidici, cùm illac fortè mihi non multis pòſt diebus iter eſſet. Subit & aliud factum, & id quidem ἀδελφὸν illi Medeæ, quæ Creuſæ Creontis filiæ dono miſit concluſum in capſa ignem Magicum: vnde ea, in qua tum erat, regia conflagrauit: Iana Nigra [2] Armacuriana obnixè à Franciſca Huyna contenderat, & ex maſſa, prius quàm

2. Leberij v. Cal. April. 1588.

quam illam in furnum condit, particulam decerperet: vnde sibi libum alendis pusionibus facere liceret: Passa repulsam, quòd illa demensum id esse in certos dies toti familię diceret, nec sine eius frustratione quicquam inde domi posse: non destitit animo voluere, quemadmodum ei repulsæ dignã repẽderet gratiam. Nec in hoc hæsit diutius. Nam accepto à Dæmone linteolo, quo erant conuolutæ minutiæ quædam instar fœni desecti, admonita est clàm illud deponere in Huynæ ædes, ac properè facessere: futurum enim, vt non multo pòst flammam conciperet subito: vnde illæ cum omni supellectile consumerentur. Linteolum igitur glomo obuoluit, ac Huynæ tum fortè aliquid in furnaria agenti vænale offert in telæ, quam illam adornare audierat, licium: sed cùm negaret eo sibi opus esse, quod ex domesticis operis speraret plus satis sibi futurum: Nihilominus bona illa in pistorium lacum, qui prope erat, abiecit: addens se, si id illi tum vsui esse non contingeret, cùm vellet restiturum. Ac vix pedem extulerat, cùm deflagrare cœpit cella illa farinaria, quæ depositum glomum continebat: deinde & vniuersa domus adeò pręcipiti ardore, atque incẽdio; vt nullum ei remedium satis maturè afferri posset. Res vtriusque diserta, ac separata assertione simul ei ipso euentu fidem sibi apud omnes indubitatam vindicauit. Finem fecero, si prius ex Erasmo Roterodamo [3] huic non dissimile exemplum recitauero. Oppidum est, inquit, in Heluetia nomine Schiltach, quod IIII. Id. April. An. 1533. totum subitò conflagrauit: Eiúsque incendij causam, quantum illius loci municipes

3. Epist fami. li. 27. c. 20.

apud

apud Friburgi magistratum, quæ vrbs illinc abest octo milliaribus Germanicis renuntiauerunt, talem fuisse rumor est. Dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte: caupo suspicans esse furem ascendit, neminem reperit: sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et huc conscendit caupo furem persequens: Cùm nec illic quisquã appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij: Illicò tetigit cauponis animum esse Dæmoniacum quiddam: Iubet suos esse præsenti animo: Acciti sunt sacerdotes duo: Adhibitus exorcismus: Respondit se esse Dæmonem: Rogatus quid illic ageret: Ait se velle eruere oppidum: Minitantibus sacrificis respondit, se pro nihilo ducere minas illorum; quod alter esset scortator, vterque fur. Aliquanto post mulierculam, qui cum habuerat consuetudinem annis quatuordecim; cùm interim illa quotannis, & confiteretur, & acciperet Eucharistiam, sustulit in aërem, imposuítque fumarij fastigio: Tradidit ollam: iussit vt inuerteret: inuertit, & intra horam totum oppidum exustum est. Et hîc quidem tam prompta, rapidáque à Dæmonibus incendia non est quod valde miremur: qui habeamus etiam hac tempestate homines illorum excitandorum peritissimos: non dico pulueris illius bombardici, aut aliorum istiusmodi ἐμπυρευμάτων, quibus tota ædificia citissimè conflagrare, ac conuelli videmus, vsu, atque artificio, nam hæc vulgaria sunt, & quotidiana: sed reconditiore aliqua quæ humanum captum superet via, atque ratione: Ante hunc annum fuit in comitatu principis cuiusdam Baro è Germania (neutrum

nomino, quamuis id mihi promptum sit facere) qui profiteretur habere se, quod si per domos aliquot sparsisset eam in qua essent vrbem; multis etiam, postquam inde excessisset, diebus vniuersam esset incensurus, atque inflammaturus: hócque quale esset per interpretem Comiti illius principis filio tandem aperuit: vtroque tamen prius iureiurando adacto non esse se hoc arcanum cuiquam vnquam prodituros, ac communicaturos. Equidem scio ex Plinio 4 Naphthæ tantam esse cum igne cognationem, vt flamma transiliat in eam vndecunque visam. At id quod πυρπολητὴς ille sic disseminandum docebat, tale esse nequit: quòd, vt audio, iacere sine vlla noxa multos dies possit, in eo etiam cubiculo, vbi luculentus, perennísque alioqui sit caminus. Execrandum certè, ac detestabile inuentum, à quo nullus iam hospes ab hospite tutus sit futurus: quo amplissimæ quæque vrbes, atque ornatissimæ, tot etiam ætatum operis extructę, ac fundatæ vnius hominis improba libidine momento sint perituræ: afflictis, atque euersis vnà oppidanorum fortunis omnibus.

4. Cap. 105. lib. 2.

Alia item in eădem sententiam exempla duo: ac quemadmodum Dæmones suorum oratu illis oris spiritum obstruant, animámque intercludant, quas vlcisci cupiunt.

CAP. XIIII.

RVstico cuidam nomen fuit Maluctícæ: huic castrum ad Mosellam summa luce properanti, vt è lactis prouentu pecuniæ aliquid cogeret in

sumptus

sumptus rei familiaris: violenter turbo, reliquo aëre alioqui placidissimo, omnẽ spiritũ sic intercepit, vt diu vitę dubius ac incertus iaceret. Hác illi perniciẽ per Dæmonem suũ parauerat Franciscus Fellæus[1], quo animum suum multis iniuriis exulceratum expleret: vti ipse sponte, ac sola admissi pœnitẽtia ductus pòst agnouit. Huic germanum est illud Iacobetæ Vveher[2]: quæ vt pridem occlusum in adolescentem vicinam odium, citra suspicionem magis effunderet: eá dum ruri esset vento adeò vehementi per Dæmonem suum corripuit, vt ex eo in dies facta turgidior, tandem opprimeretur. Nursię sereno cœlo (inquit Iulius Obsequentius) nimbi orti fuerunt, quibus homines duo fuerunt exanimati. L. Scipione, & Caio Lælio Coss.

1. *Pangeij XIII. Cal. Ian. 1584.*

2. *In ditione Dusana, mense Sep. 1584.*

Rursus & alia de eadem re exempla: atq; vti Dæmon obiter illis vulnera infligere soleat, quibus nocendi mandatum à sagis habet.

CAP. XV.

ALterius oculi clade Coleta Piscatrix[1] mulctauit absens Claudium Iaquiminum municipẽ suum: cùm de ea re mandatum Dæmoni suo dedisset: vti ipsa apud Quæstorem de sortilegio respondens ingenuè est confessa. Cuius rei fidem etiam adauxit, quod idem Iaquiminus pòst retulit vulnus illud oculi sibi inflictum, quasi ab impingente, ac demisso per vim ramo: cùm tamen hinc, indéque arbores nullæ vel multis passibus starent. Ob ídque iam tum fuisse suspicionẽ arte aliqua mala id damni

1. *Gerbeuillai Non. Maij. 1585.*

illi datum fuiſſe. Non alienum eſt ab hoc quod narrat Iacobeta Vveher, cuius proximè mentio eſt habita. Cùm, inquit, multis de cauſis peroſus mihi eſſet ruſticus quidam vnà in iiſdem ædibus mecum habitans: nec viderem qua ratione citra deprehenſionis periculum vlciſci poſſem (erat enim is acer ad diligens mei obſeruator) tandem viam reperi, qua id facerem. Nam efflagitante me Dæmon in eius genu, dum inter dumeta opus aliquod faciens verſaretur, ſpinam vehementius incuſſit: vnde integrum trimeſtre ſaucius non prius conualuit, quàm ego miſerta tam diuturnum dolorem rurſus illi à Dæmone curationem impetro: qui eam obiter, dum aliquot poſt dies in interiore ſylua lignatur, infuſo in vulnus vnguine ſtatim adhibuit. Totam hác rem vti elegio ſuo ſaga perhibuit, ruſticus pòſt de ea rogatus per omnia ſua momenta confirmauit. Simile quiddam eueniſſe Aproniano Syriam peragráti memorat Ammianus Marcellinus [2] idq; adeò ſic eius animum in veneficos inflammaſſe, vt eos quoad vixit non ceſſarit omnibus pœnis ſuppliciiſque perſequi. Et hic quidem operam ſuam commodare Dæmonem nemini dubium eſſe debebit: qui apud ſe reputauerit, quàm ſit illi animus ad nocendum procliuis: artes ad exequendam iniuriam expeditę, & faciles: ſed hoc totum de ſpinæ infixione, déque vnguinis infuſione commentitium eſſe crediderim: cùm illi nihil iſtiuſmodi aduentitiis, atque externis ad eas actiones adiumentis opus eſſe conſtet.

2. Lib. 26. rerum gest.

DÆMO

DÆMONOLA-TREIÆ

LIBER TERTIVS.

Eodem mentis errore nos nunc Diuos morborum authores facere, quo olim Ethnici infortuniorum suorum causas in Deorum aliquem reijciebant. Ex eo rursus alium esse creatum de sanatione ab ijsdem necessariò petenda, quasi qui sunt à Scorpionibus icti. Quem non parum confirmant quæ in ea Dæmones portenta sub specioso miraculi nomine interponunt. Et an præstigias tantùm, vel etiam veritatem ea habeant disputatur.

CAPVT PRIMVM.

DEVM peccata hominum seuerè vlcisci passim loquuntur sacræ literæ. Nam & Sodomitarum [1], 1. *Genes. cap. 19. vers. 24*
quòd hospites auersarentur, mutuisque se libidinibus contaminarent: tum vrbem euertit funditus: tum regionem sic sterilitate damnauit, vt nullarum posteà plantarum, fructuúmque vnquam ferax extiterit. Et Dauidi per Gadum prophetam [2] 2. *Samuelis 11. cap. 24. vers. 11.*

ob censitum populum in pœnam, facta tamen optandi potestate, indixit: aut famem per septennium duraturam: aut bellum per tres mêses iniquo Marte cum hoste gerendum: aut pestilentiam per triduum inter Hebræos grassaturam. Israëlitas quoque propter eorum impietates, ac scelera apud Babylonios septuaginta annis in exilio esse voluit. Denique disertis Decalogi verbis determinatus est se parentum idololatria vindicaturum in filios ad tertiam, quartámue progeniem. Et nunc etiam iræ suæ in nos gladium sæpè distringit, vt exempla statuat, à vitijs reuocet in viam reducat. Iam vt nemini dubium esse debeat, quin manus eius vbique malis impendeat.

3. Danielis 1.

Sequitur nocentes victor à tergo Deus.[4]

4. Senec. in Herc. fur.

Sed ad hoc sibi ministros iam tum ab eo tempore constituisse, quo peccatum hominem primum inuasit spiritus, videlicet flammæ instar vrentes ipsa elementa, vniuersámque adeò mundi machinam nemo quantumuis Ecclesiasticorum sermonum insolens non intellexit. Iam vt mirari libeat inconsultam quorumdam pietatem, qui eos quoque quos in beatorum numero collocant in istius tam tristis ministerij partem vocant: quo scilicet mortalibus venerabiliores, formidabilioresque reddant: hunc psora: illum igne sacro: alium morbo comitiali armantes in hominum perniciem, vt suas ipsi exequantur iniurias, vtpote contempti, non ritè culti aut aliqua alia ratione læsi, ac violati. Quod sua iam ætate Porphyrius [5] conquerebatur vnum esse inter maxima mala, quæ à malis genijs mortalibus inferebantur: quod scilicet cum essent

5. In li. de sacrifica. de spec. Dæm. bonorum atque malorum.

essent ipsi infelicium passionum, quæ terrenis rebus inciderent, authores: veluti pestilentiæ, penuriæ terræmotus, æstus, incendiorum, atque aliarum id genus miseriarum, calamitatúmque: earum tamen causas in Deorum aliquem maligne reiicerent: quibus certum est ijs contraria fertilitatem, prosperitatémque magis placere. Eo scilicet pacto ad impias supplicationes, ac sacra homines impellentes; quasi aliter Deos, quos tamen (inquit Cicero) nec irasci, nec nocere philosophorum omnium commune est, inimicos essent habituri: aut quod est etiam non minori cum impietate coniunctum, quasi cordi ijs esset humana sic incendijs, cædibus, ac ruinis dum odia sua explent permiscere ac labefactare. Et Hipocrates vehementer eorum opinioni reclamabat, qui quòd viderent Epilepticos subito prosterni, ac conuelli eius morbi causam ad Diuorum aliquem, qui illis esset infestus, referebant; eúmque placandum vel voti nuncupatione, vel tabulæ suspensione aliqua putabant. Quæ certè querela multo magis in huius ætatis homines conuenit, quibus Christianæ veritatis lux nondum sic excussit mentis tenebras, ac caliginem, vt suos adhuc Veioues, ac Robigines palàm imo cum pietatis opinione aliqua non habeant, ac muneribus scilicet placent: Vel vt apud eos in nulla sint amplius offensa: vel vt valetudinem pretio aliquo redimant: vel denique vt alia si quæ impendent mala auertant, ac depellant. Quod ego præsertim dictum volo in aniculas quasdam, quæ nusquam non habent in ore suos Auerruncos, ad quorum fana sint necessariæ profectiones; quibus deinde ipsæ

ſuas grandi mercede locent operas. Vt interim omittam pyctacia, phylacteria, cereos characteres, nocturnas excubationes, tranſuerſas ægrorum dimenſiones, & id genus alia deliramenta; quæ palàm, & confidentiſſimè nugantur: licèt eorum vſus etiam anathematis diſerta interminatione ſit iure Pontificio interdictus [6]. Hæc adeò taceri poſſent, niſi & nobilitarentur longè fœdioribus, atque immanioribus prodigijs: cùm eiuſmodi Diuorum auſpicia addito miraculi ſpecioſo nomine prætenduntur innumeris Diaboli præſtigijs, atque impoſturis. Nam quas is in ſpeciem technas inſtruat, quemadmodum imponat, atque horrendis opinionibus mentes hominum imbuat, etſi notius eſt, quàm vt anxiè nimium hîc oſtendi oporteat: pauca tamen addam eius generis, ne & hîc exempla defuiſſe videantur. Eſt in Mediomatricibus fanum magnę celebritatis propter prodigioſas ſanationes, quæ virtute, atque auſpicio Belli Bernardi, is inter indigetes nondum eſt admiſſus, cui illud ſacrum eſt, fieri dicuntur. Eius columnas interiores memini me videre inſtructas, atque munitas linteolis, vnde penderent teſtæ, carbones, ſtuparum, ac capillorum glomi, ſcruta, vitrorum fragmenta, gladiorum mucrones, lacertorum, ac bufonũ exuuiæ, atque aliæ id genus quiſquiliæ; quas videntibus omnibus, qui adeſſe volebant, eò adducti ægri valetudinis ergô in maximo angore, vel euomuerant, vel parte ſui aliqua erumpentes eiecerant. Præterea ingentem ſcipionum aceruum ibidem ab illis relictorum: poſtquam valetudine confirmata: nec iam vt anteà ijs per membrorum imbecillitatem

6. Grego. minor. in Decretis. cap. Non obſeruetis. 26. q. 7.

cillitatem innixi: sed alacres, ac vegeti domum se recipiebant. Hæc omnia Salcedij olim in ea prouincia præturam obtinentis iussu nostra ætate sublata fuere. Nec ob id tamen desijt id fanum suam nobilitatem retinere: Nam tanta nunc adhuc affluit, atque accurrit ad eius famam hominum multitudo, quanta vnquam anteà maxima. Cui tu rei non dubito (Illustrissime Princeps) quin pro tua insigni erga Deum pietate, singularíque sapientia tandem sis moderaturus, quando ea tui arbitrij est, in totáque illa regione summus & religiones procuras, & imperium agitas. Potuissem porrò ea de re exempla multa proferre, si hæc ab initio scribere fuisset consilium. Sed cùm ad id animum non ita pridem appulerim: duo tantùm adiiciam, quæ in manus meas hoc etiã anno peruenere. Richæij, qui pagus est in ditione D. Othonis Ringraff. cœpit Nicolaus Vvannesonius 7 decumbere ex morbo adeò graui, vt eius supra spem omnem esset valętudo: In hunc mala sua arte illum iniecerat venefica quædam ex eius vicinia mulier. Anxiè igitur vt in eiusmodi morbis diuturnis, ac ferè desperatis fieri solet, omnes qui inuisebant rogare, vt si quid scirent ad salutem, id per eam quę bonis omnibus inest alienæ calamitatis miserationem ederent, ac communicarent: forte & inter hos affuit bona illa vicina, quæ ceu misericordia ducta: nam nec se ab ea omnino alienas profitentur sagæ; ceu quod ad quæstionem posci se metueret ab ægroti necessarijs, ea enim de re iam frequentes minæ in vulgus consultò sparsæ fuerant, narrant vidisse se qui eiusmodi doloribus conflictati ab ijs conua-

7. Morlangij Non. Sept. 1587.

luissent statim ac Diuorum alicui vota nuncupassent, ac persoluissent. Celebrem admodum esse in ea re de Bello Bernardo famam, quod illum nunquam quisquam frustra à se vocatum sensisset: Mitteret igitur qui se ea gratia ad eius ædem vnà cum donarijs sisteret, ac conceptis de more precibus morbum expiaret. Nec mora inuenitur qui eam peregrinationem ex conducto susciperet, ac perficeret: Huic nomen fuit Hans Iacob: Is ritè, atque vti à saga præscriptum fuerat peractis omnibus, cùm tãdem domum reuersus ipsum horæ momentum quo voto defunctus fuerat præcisè inter multa alia narrasset, repertum est omnium, qui tum ægro astabant, consentienti testimonio ab ea illi fuisse conualescendi initium: ac eo tempore magno nixu vitri fragmenta, & glomeratos capillos cœpisse euomere: Quæ & ipsi Iacob in fictili scutella ad maiorem fidem tum sunt exhibita, vt videret: Matis Hay, Maths Maioris, Nobis Petter, ac complures alij, licèt diuersi de hoc interrogati, totidem tamen verbis id retulere. Et mense Octobri Anni M. D. LXXXVIII. ad me perlati sunt ab affine adolescentula claui duo ferrei: quos ipsa multa permistos pituita videntibus, qui tum domi erant, omnibus euomuerat. Eiusque morbi in quem illam anno superiore Nicolæa Stephana, de qua postmodum fiet mentio, cõiecerat reliquias fuisse omnes quotquot eius antecessiones, ac progressus cognouimus facilè iudicauimus. Nam & ab eo vomitu alui, quæ alioqui in lapidem indurerat tumor statim desedit, & quæ annũ integrum incommodissima fuerat valetudo, paulatim leuari, ac

confirmari cœpit. Cui παράλληλον non malè annumerari poterit quod Langius [8] vir Anglus, dum Medicinam in Palatinorum comitatu faceret, à se obseruatum scribit Anno M.D.XXXIX. Energumenam scilicet in eorum Palatinatu fuisse; quæ post diuturnos, acerbósque ventriculi dolores clauos ferreos oblongos, atque incuruos, acúsque æneas cera, ac pilis obuolutas imo ore proijceret, atque euomeret. Veteribus quoque hæc cognita fuisse vel illud indicat: quod Iulius Obsequẽtius Cn. Domitio, & C. Cassio Coss. Aretij euenisse memorat mulieri cuidam, quæ farris grana affatim euomebat, cùm & ex eius naso multa alia prętereà enascerentur. Et nostra ætate editi libri satis multi, qui talium prodigiorum exemplis abundant. Sed non facilè eorum sententiæ accesserim, qui illa defendunt neutiquam talia existere, qualia apparent: verùm potius sic humanos sensus præstigijs illudi, vt simulata pro veris amplectantur. Nam quod primùm autumant nihil foras extrudi posse, quod antè non sit intromissum: Tantæ autem magnitudinis ea esse quæ sic egeri videntur, vt neque per os demissa, neque per anum ingesta; qui tamen duo capacissimi sunt in corpore meatus, vel credulissimo cuiquam videri possint: hoc certè non vno modo reprehendi potest. Primùm, quòd multa naturæ etiam vitio in homine gignantur, vt lumbrici in ventriculo, calculi in renibus, lapilli in articulis, in lotio bestiolæ formicis affines, atque id genus alia modum nullum retinentia, quæ tamen angustissimis meatibus ipsa eiiciat, sæpè etiam facto vulnere expellat. Imò quod Leuinus Leuinius [9] in ipsa facti

8. Epist. Medicinal. epist. 42.

9. De occult. naturæ miraculis. lib. 3. cap. 40.

ſpecie refert ex ſordidis vlceribus ac vomicis, vnguium, pilorum, teſtarum, oſſiculorum, lapidum fragmenta ſæpè eximi, atque erui viſa ſunt; quæ humorum putridorum concretione coalita exiſtimarentur. Nemo tamen ea vel aliunde introducta fuiſſe: vel non incolumi corpore ſuo loco aliquantiſper conſtitiſſe ibit inficias. Ac quod etiam intromitti, atque inculcari queant; ſi exemplis certandum eſt; habent enim ea in hoc genere diſputationis non paruam authoritatem; ſuppeterent ex recentioribus, iiſdémque laudatis authoribus non pauca huius materiæ, & certa, & propria. Lutetiæ (inquit Ambroſius Paræus [10]) Biturix ſcholaſticus fuit nomine Camerarius, qui cùm imprudens graminis ſpicam fortè deglutiuiſſet, atque ea per tracheam in pulmonis ſubſtantiam eſſet demiſſa: tantis dolorum cruciatibus ſtatim eſt confectus, vt ex ea ægritudine mors propediem conſecutura videretur. Sed natura, quæ ad ſui conſeruationem nihil non molitur, viam reperit qua ſe ea noxa confeſtim liberaret. Primùm enim ſpicam tranſuerſis pulmonum lobis, tum coſtarum muſculis, ipſáque adeò quæ eas ſuccingit membrana incolumi Camerario eiecit atque extruſit. Obſtetricati ſunt Fernelius, & Huguetius viri in arte Medica clari, ac nobiles. Quod ſequitur apud eumdem Paræum longè maiorem admirationem habet: tum propter intromiſſæ materiæ magnitudinem, ac eius penetrantis altiſſimè periculum: tum propter totius corporis, quæ patent eius ambages, atque anfractus longam, innoxiamque tranſmiſſionem. Fuit, inquit, opilio quidam, quem prædones ruri fortè repertum

10. Chirurg. li. 11. cap. 17.

pertum

pertum adegerunt, vt ſemipedalem cultellum, cui corneum erat manubrium craſſitudinis pollicaris, in fauces ceu bolum aliquē ingeret: Ingeſſit ac ſex integros mēſes corpore cōtinuit: verùm ita tabido, ac macie cōfecto, vt facilè intus maximū angorem ineſſe cerneres: Tandem in inguine ſe oſtendit vomica fœtido, graueolentíque tabo diffluens: vnde cultellus ille aſtante vniuerſo municipij magiſtratu extractus, atque euulſus eſt. Iobertus Monpeſſulanus medicus illum in Muſæo propter rei miraculum ſtudioſè aſſeruatum poſteà habuiſſe dicitur: conſecutus ſcilicet à chirurgo, qui artem ſuam in eo vulnere ſanando oſtenderet. Nam is Sommierium, quod oppidum à Montepeſſulano octo ferè milliaribus abeſt, habitabat. Finem fecero, ſi tertium ex eadem officina deprompſero. Rohanius Dynaſtes inter Armoricos generis nobilitate ſatis clarus morionem in delicijs non ita pridem habuit Guidonem nomine. Is vt ſunt eiuſmodi hominum inconſultæ, ac in ſemetipſos ſæpè periculoſæ, temerariæq; manus enſis mucronem digitos tres longum in fauces per os, quantum potuit, adegit: eumdémq; per anum duodecimo poſt die egeſſit, tranſmiſſis tot tenuiſſimæ, ſubtiliſſimæq; ſubſtantiæ inteſtinis: qualia ſunt præſertim duodenum ieiunum, & quod tenue propria appellatione dicitur: imò in ſinus tortuoſos, ſpiráſque multiplices conuolutis, atque implicitis. Si igitur hæc ſiue ingenerata, ſiue immiſſa ſua ſponte natura profert, nihil extra cancellos, quos ipſa ſibi circumdedit, euagata: quid tandem Dæmones facturos putamus? Quorum (vt inquit Iob 11) poteſtati nulla eſt quæ adæquari aut 11. Cap. 41.

conferri posſit. Qui ſi concedatur, nec obſtet numen momento in mirandam altitudinem montes excitare, eoſdémque in profundiſſimas voragines deiicere: fluuios ſiſtere, vel etiam aduerſos agere: mare ipſum (ſi credere fas eſſet Apuleio [12]) penitus exhaurire, cœlum deponere, terram ſuſpendere, fontes durare, Manes ſublimare, ſydera extinguere, tartarum ipſum illuminare, & vniuerſam mundi huius ſeriem ſurſum deorſum vertere poſſunt. ferrum igni emolliri, ſæpè etiam liquefieri, denuóque in priſtinum rigorem indureſcere videmus: ídque earum qualitatum ſola vi, quas imbecillæ hominum manus adminiſtrant. Et adhuc quiſquam dubitat credere Dæmones ea, qua ſunt præditi, poteſtate maxima in humana corpora tam multis peruia foraminibus indere eiuſmodi ferramenta, teſtas, ac lapides poſſe! quia nimirum quantitate ſua excludantur, cùm vel ipſa pro nutu coarctare, extenuare, atque etiam in atomos minuere; ruſúſque, vbi ſunt immiſſa, priori figuræ reddere tota facilitate queát: vel ſi ne hoc quidem ſic placet, ita meatuum vias diſtendere, vt iuſta capacitate illa admittere, ac continere valeant. Quî enim factu difficiliora ſunt hæc, quàm annoſam quercum integro cortice, vel validam turrim cohærentibus cæmentis intorquere, manente vagina enſem omnem contere, totum oſſibus hominem reliquo corpore incolumi comminuere, fœtum prægnanti ſuperſtite extinguere, illæſis loculis æs conflare; & diſiecto dolio vniuerſum vinum ſiſtere, ac continere? Quæ tamen omnia fulmen efficere perhibetur [13]; vine, ac facultate innata, an Dæmonis alicuius adnitente

12. Lib. 1. de Aſino aur.

13. Seneca Natura. quæſt. li. 3. cap. 31.

adnitente potentia, atque impetu alibi commodius disputabitur. Et memini videre me in Burdegalensi prouincia, qui luxatos artus fractáq; membra restituerent, ac persanarent, sola eius cinguli contrectatione, cui id infortunium contigisset: licèt multorum etiam milliariũ spatio is abesset. Quod & sua ætate euenisse Cato prodidit 14: Quo autem pacto id fieri potuerit non video, nisi si reconditam quandam administri Dęmonis operam in hoc agnoscamus, qui subtilitate sua membra affecta penetrans cæcam aliquam curationem iis admoueat, non vtique dissimili ab ea arte, qua modo dictum est, illum in corporibus humanis stupenda plurima peragere. Quæ omnia si quis velit ad certum naturæ modum, atque ordinem referre, nihilo plus agat, quàm si cœlum passa manu dimetiri tentet. At (inquiunt) agyrtæ, & præstigiatores ita circonstantium oculos perstringunt, vt sibi ferrum in iugulum adigere, idem ipsum mox ore expromere, pectus ense transuerberare, venatoriam lanceam, qua parte minatur exitium, in ima viscera condere; manum præcidere; nasum transfodere, aliáque plura vulnera sibi inferre videntur. Rursus funiculos imo gutture in longuam seriem deducere; quasi qui glomum aliquem euoluunt, atque explicant, aures mutilare, & decurtare: ac quod non ita pridem vidisse fertur Germania caput ceruicibus abscindere, statimq; in quem auulsere locum incolumi homine restituere: fœni vniuersum plaustrum vnà cum auriga, atque equis vorare: aliáque multa ad prodigium ostendere, quæ quoque Dæmonum ope illis adnitentium effici omnibus est in confesso.

14. *Apud Plin. lib. 28. c. 2.*

15. *Cardanus lib. 18. de subtil.*

ſo. Quanto magis igitur hæc procedet fabula, vbi eam ipſi abſque vllo hominis miniſterio Dæmones adornabunt. An non præ illis erit facile, atque expeditum vomiturientibus ægris quiſquilias, & ferraméta eiuſmodi clàm in os inſerere: quæ deinde videntibus, qui aſtant, omnibus ſe prodant, ac foras eiiciant? Aut vulneris ſpeciem in cute præbere, vnde prodire, & quaſi emergere videatur? Nam certè id admittere, & fateri ſatius eſt; quod tolerabiliorem, ac probabiliorem cauſam habet, minúſq; naturæ videtur aduerſari. Sed hæc opinionum commenta omnia delet vna veritas non aſpectu tantùm, atq; oculorum quibus illudi poteſt luce comprobata; ſed & ipſarum rerum attrectatione, præſenti confirmata: ſi quando ea in diuerſis, euiſceratíſque corporibus reperire contigit. Memini enim me puero mulierem veneficam, cùm pater meus tum Charmarum prætor vrbanus ex elogio teſtiũ interrogaret, inter ſecùs à ſe admiſſa hoc quoque agnouiſſe in vicini ſui, cui nomen erat Albimontano, ſura vomicam mala ſua arte excitaſſe, è qua ſi inſcidendam curarent, glomus emanaret. Inſciſa igitur vomica, ac multum ex vulnere hiás glomum qualem in textrinis videre eſt oſtendit: quem chirurgus Volſella apprehenſum videntibus omnibus qui aderant ægrè etiam extraxit. Eum ipſe oculis meis vidi, cùm domum à chirurgo patris iuſſu eſſet allatus, domeſticíque omnes illum attentè, ac otioſè conſideraſſent. Huic affine eſt quod Langius [16], cuius paulò antè à me laudata eſt authoritas, de ea re ſcriptum reliquit. Oppidum eſt (inquit) in Germania (Vvlrich lingua patria vocant) In eo agricolam

16. *Epiſt Medicin. epiſt. 42.*

colam quemdam (Nenſſeſſer cognomen fuit) latentes, atque occulti quidam corporis dolores ſic diuexabant, vt præ impatientia ipſe ſibi ſua manu iugulum feriret: Nam & de viui interiore cute clauus ferreus antè detractus non ſine maximo eius cruciatu fuerat. Medici igitur cupidi perſpiciendæ, cognoſcendæq́; tam inſolentis morbi cauſæ mortui viſcera per vulnus patefecerunt: In iis præſentibus omnibus qui adeſſe voluerunt oppidanis repertum bacillum; quatuor è chalybe cultelli: ferramenta alia duo: ac lanuginis, & capillorum pila ſatis magna. Hæc igitur cùm ſic ſenſibus veri nuntiis percipiantur, abſurdè nimirum facere videntur: qui rei nouitatem, ac difficultatem pro mendacio accipiunt: Quaſi quod inauditum ſit, aut difficile, id illico ἀδύνατον, καὶ ἀμήχανον habendum ſit: ac non potius conueniat vnumquodque ex ſe, atque vti reipſa eſt, cenſere, quàm per affectatam incredulitatem in dubium, incertúmque adducere.

Dæmonum alia in labefactandis, deprauandiſque hominibus aſtutia.

CAP. II.

HOc apud noſtrates plebeios præſertim, ac qui ruri habitant malo more inoleuit: vt ſi cui contigerit morbo laborare inſolentiori, ac à vulgaribus alieniori; ſtatim ex eius domo quem ea de re ſuſpectum habent eſculenti, poculentíue aliquid ſubſtractum curent: quod deinde in certiſſimam fruendæ valetudinis ſpe deuorent, aut abſorbeant:

Idq; ſibi profuiſſe ad ſalutem non pauci retulerunt.
1. Chermaſij 1. Cal. Decemb. 1584. Cui rei ſagæ ſi quis de ea illos percontetur nec eunt inficias. Cùm à Dominica Epuræa [1] Iudex curioſiùs fortè quæreret, verúmne id eſſet, quod de ea tam conſtanter circumferebatur: reſpondit non ſemel ſibi eueniſſe, vt quibus venenum malum feciſſet, eos ex illo conualeſcere ſine ſua ope poſtmodum audiret. Qua de re cùm aliquando cum Magiſtello ſuo expoſtularet, qui ſpopondiſſet conualiturum, ſe inconſulta, neminem, cuius ipſa valetudinem antè afflixiſſet, hæc ab illo tantùm audiebat: Annon ſtulta ſatis videntur tibi, mihíque eam valetudinem luere, cùm creduli, ac dementes eam referunt acceptam noſtræ virtuti, ac poteſtati? O veteratorem inſignem, qui hominũ maximam perniciem ex eorum imbecillitate adeò verſutè aucupatur! Quod enim ij naufragium, quam iacturam maiorem facere poſſunt, quàm fidei; qua ſola Deo aſſeruntur, ac vendicantur: per quam vnam nihil non ab eo impetrant, prona, faciliáque experiuntur omnia [2]? Cùm Dæmoniaci pater IESVM rogaſſet [3], vt ſi quid poſſet ſibi, filióque ſubueniret, illico audiuit: ſi credis, licet. Rurſus [4], cæcis rogantibus ſibi reſtitui lumen oculorum: ſecundum fidem veſtram fiat vobis, inquit. Et alibi [5]: quemadmodum credis, ita & eueniat tibi. Hîc fides quid aliud eſt, quàm vinculum quo vno firmiſſimè deuincitur Dei erga homines beneuolentia? Quid aliud, quàm fœdus [6], quo nos Deus in tutelã, præſidiúmque ſuum, nóſque viciſsim in Deum illum recipimus? Mirum igitur iam videri non debet, ſi ea Dei æmulatorem maximum, hominum oſorem infeſtiſsi

2. Ad Philip. cap. 2. Matth. c. 15.
3. Marci c. 9.
4. Matth. c. 9.
5. Matth. c. 8.
6. Pſalm. 89.

infestissimum Sathanam tam malè habet:sique de nulla re adeò est solicitus, quàm de ea labefactanda, conuellenda, ac tandem in se vnum transferenda. Quamobrem machinas is quidem sæpè alias admouet: sed nullam ferè validiorem, quàm cùm de recuperanda quæ semel amissa est valetudine, spem iniicit. Quis enim, dum id consequatur, conditionem vllam reiiciat? Incutit igitur ipse morbos, atque ægritudines primùm: sed, Deus bone, quales! Certè quæ etiam nō raró ad insaniam, furorémque adigant: Tum earum persanandarum ostentat rationes, & faciles, & expeditas: obsonium scilicet ex eius domo, cuius mala arte se in morbum coniectos putant. Nam in ea dolorum acerbitate quis tam erit constans, & moderatus, qui sic præsenti, & vt videtur gratuito remedio abstineat! Quis qui pro summo beneficio id non amplectatur fraudis, noxæq; prorsus expers esse non existimet! At

Frigus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba 7. 3.

Nam primùm in eo obsonio fiduciam, spémque omnem nostram collocare iubet, sicque nos à creatore ad creaturas auertit; quæ intolerabilis blasphemia est. Tum ei nō ex innata aliqua facultate, quod ferri posset: sed ob id solum quod vel furto, vel precario è sortilegi penu sit ablatum medendi virtutem tribuit. Denique, quod iniquissimum est, nos in eam necessitatem impellit: vt quos certò nouimus Deo, vniuersóque hominum generi infensos, atque inimicos; nobis etiam priuatim afflicta valetudine iniurios: eos tamen suppliciter adire, obtestari, atq; etiam munerari non dubitemus. Nem-

Virg. Eclog. 3.

pe hoc eò redit, vt prædonibus gratiam habeamus, quòd ſpoliauerint, non etiam trucidauerint: vt maleficos ferociores, atque ad nocendum deinceps confidentiores reddamus, quod pro ſupplicio pręmium reportare ſe videant: Vt denique corporis breuem, incertámque valetudinem animo ſempiterno, atque indubitato luamus interitu.

Nulla re tam cito, ac commodè adduci ſortilegos ad depellendum quem fecerũt morbum: quàm minis, verberibus, violentia: Cautionem tamen eſſe non paruam, ne quod minus fuerat malum in maius habeat, verſuráque grauiore cum damno fiat: Tum propria quædam declarantur, quæ in eo negotio intercedere ſolent. Diſputatur etiam, an illa morbi vi extorta curatio poſſit eſſe citra fraudem animæ capitalem eius, qui ſic vim adhibuit, nécne.

CAP. III.

IN confeſſo ferè eſt omnibus, quæ de hoc interrogantur, ſagis: quo plus metuuntur, eo audentius nocere, ac minis, & iniecto de carcere metu apud ſe multum profici, vt ſuas faſcinationes repercutiant. Diſerta eſt, atque expreſſa ad id Claudij Morelij [1] oratio agnoſcentis, ſe nulla adeò re magis adactum, vt leuaret quas ſemel intulerat iniurias: quàm cùm de comprehenſione, verberibus, ac vi aliqua terror offerebatur. Vir quidam propter multarum rerum quam attigit cognitionẽ in conſilium interius ſereniſſimi Ducis noſtri allectus: cùm de ea re fortè vnà ſermonem haberemus; narrauit

1. *Serræ* III. *Non. Dec.* 1586.

rauit mihi,& seriò quidem:cùm aliquando renuntiatum illi esset filiolum in subitum morbum incidisse, atque vt is ab anu quadam per veneficium allatus existimaretur, de tota re primùm nutricem esse percontatum: nam tum fortè ab ea gestabatur filiolus,cùm illum is morbus inuaserat. Tum accuratè perpendisse, atque æstimasse qualis is morbus esset,ex eorúmne genere nécne,quibus via peruolgata naturæ cõsueuit ea ætas esse obnoxia. Ac cùm haud dubiè comperisset non nisi mala arte, ac per fascinum illi confici potuisse;secum tandem singula reputans, eò coniectura peruenit, vt nihil iam putaret sibi esse reliqui: quominus hanc filiolo ortam à bona illa anu iniuriam crederet. Iubet igitur illam accersi; atque admissam solam in ædes interiores primùm blandè appellauit, vt si quid opis huic malo conferre posset, id non grauatè faceret: neque enim ingrato locaturam beneficiũ. Ac cùm illam multa causari vidisset, quo suspicionem veneficij à se remoueret: tum de facienda medicina preces obstinatiùs reiicere: arrepto fuste, quem ad id parauerat,sic illi humeros,latúsque perfricuit,vt paratam se diceret,quæ imperaret,facere. Postulare modò paululum temporis apponi sibi dum curat, quæ ad eam rem essent necessaria. Nec mora dato illi, quod postulabat, spatio, ac facta copia quæ vellet ægro impertiendi: non multo pòst admotis quibusdam,in speciem scilicet, ac ad tegendam artem potius,quàm quod ijs ita opus esset, illum pristinæ valetudini restituit. Necessarius meus Antonius Blyenstem in Dommartinensi ditione quæstor ærarius idem filiolo cuidam suo euenisse

olim mihi narrauit. Cùm is (inquit) vt pueris mos eſt, in æde ſacra à matre ludens lõgius euagaretur, præteriens vetula quędam illi manu quaſi adblandiens caput demulſit:ac benè precata.ceu aliò properans,foras ſe eiecit. Tum puer illicò caput demittens, ac iam ægrè ſe ſuſtinens, voce lamentabili morbum facilè indicauit.Eo igitur domum relato, ac morbo in horas ingraueſcente:haud dubiè eius cauſam reiecere omnes, qui rem vti geſta erat audiebant,in vetulam illam multorum veneficiorum iam ſuſpectam. Ergo per vim à vicinis quibuſdam ea adducta, vt illatum morbum tolleret ; ſtatim vt fuit coràm,cœpit iiſdem modis,quibus ille conflictari : ac primùm toto ore eſſe liuida, tum ſpumas agere cum tãto aſpicientium honore, vt in rabiem iamiam itura videretur. Succeſſit nox quam in eodem lecto cum puero ducere voluit, nõnumquam illi paſſis incumbens brachijs,ac os ori componens: quaſi quę fouendo,atque aſpirando labantem eius vitam recreare conaretur.Matronarum etiam,quę aduigilabant, ſermonibus diuulgatum eſt bombum,qualis œſtri feruente æſtate eſſe ſolet, tantiſper circa puerum auditum,dum deſijt videri Euangelici textus fragmẽtum, quod amuleti inſtar eius fortè pileo inſutum hærebat.Dubium reuellerit ſaga,an eius Dæmon. Certè qui pridie conceptam præcordijs mortem continere putabatur puer,primo diluculo valens, ſaluúſque euaſit. Sed nec id bonæ illi nihili fuit. Nam ipſa ſibi beneficium vt aliquatenus fœneraret non longè abijt,quin maximam pecoris partem,quod in illis ædibus ſtabulabat,malè perderet. Qua in hiſtoria multa obſeruatione

tione digna occurrunt. Primùm tempora ipsa, sua sanctitate, ac religione nocendi, vel voluntatem, vel facultatem Sortilegis non adimere: nisi Deus hoc singulari sua bonitate prohibeat, atque auertat: vti etiam eius exemplo [2] superius est demonstratum; quæ aspergillo lustrali eam inter sacra lethaliter conspersit: quam iniuriæ obnoxiam alibi oportunius reperire non potuerat. Et non semel ipsi vidimus discecta, ac prostrata in delubris Diuorum signa fulmine: quod Dæmon aliquis vibrasse, ac contorsisse crederetur. Nam nullibi amat magis Dæmones sua flagitia facere, quàm vbi ex indignitate eorum augetur, & crescit immanitas. Secunda consideratio est veneficij, quod vti fuco aliquo beneuola ominatione solent prætexere. Sic Ioab [3] sica confessurus Amasam, eum prius amicè complexus, atque his interpellatus verbis est: Num saluus es, mi frater? Et Iudas [4], quem illi παράλληλον faciunt, qui vtriusque instrumenti historias inter se componunt, magistrum, addito etiam osculo, quod signum Hebræis summæ erat beneuolentiæ, salutauit: mox tamen carnificibus miserè torquendum, mactandúmque eum relicturus. Magi etiam moris habent suis fascinationibus, atque incantamentis sacrosanctas imagines, solennes precationes, ipsúmque ineffabile Dei nomen intermiscere. Denique nouum non est (vt inquiunt Gellius [5], & Plinius [6]) reperiri qui benè ominando, atque impensius laudando arbores, sata, ipsósque adeò homines effascinent, ac perdát. Quæ etiam causa fuit antiquitus (inquit Aristoteles [7]) vt aliquid laudaturis præfari mos esset, ne ea verba laudato obessent.

2. Cap. 2. li. 1.
3. II. Reg. ca. 20. vers. 9.
4. Matth. ca. 26. vers. 49.
5. Li. 9. ca. 4.
6. Lib. 7. ca. 1.
7. 20. Sect. prob. 34.
8. Verg. Eclog. 7.

-Si vl

Si vltra placitum laudarit, bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Tertia annotatio est, nunquam esse solidam gratiam, aut plenum, integrúmque beneficium, quod conferunt Dæmones; si id rectè beneficium dici potest: sed statim vel æquata, vel etiam grauiore aliqua iniuria, atque incommodo luendum esse ei, qui impetrauit. Vix enim morbum vllum à quoquam depellunt, quem in alium non illicò transferant: Et vnius salutem alterius interitu ferè semper paciscuntur: vti refert Gregorius Turonensis[9] factum aliquando à quibusdam veneficis Parisiensibus: quæ Mummolum præfectum, quem in morbum lethalem mala sua arte coniecerant, ad valetudinem reducere aliter nō potuerunt, quàm prius eius consensu vita interfecto vix bimo infante, quē Chilpericus pater vnicum in spem regni alebat. Quam vorsuram sæpè etiam iniquo fœnore fecisse priscos illos mortales Dæmonum erroribus imbutos, passim eius temporis loquuntur annales. Nā & Admeto regnum apud Pheras habenti Apollo à Parcis inducias cum morte impetrauit[10]: si eam alius pro illo obire vellet: Et cùm terra medio foro ingenti hiatu Romæ desedisset: responsum est non aliter eius labem coituram, quàm si primæ spei adolescens aliquis sese in eum hiatum deiecisset. In quo operæpretium est videre, quid paterna Dei benignitas, & tyrannica Diaboli crudelitas ac sæuitia intersit: Siquidem Deus aduersos hominum casus ad eorum salutem, conseruationémque; Diabolus prosperos, si modò tale quid ab eo vnquam esse potest, in pestem, interitúmque certissimum conuertit. Quar

9. Hist. Fran. lib. VI. cap. 35.

10. Aristoph. interpres: & Euripides in Alceste.

tit. Quartò & hoc obseruatione dignum est: quod per summam indignitatem, ac contumeliam modum quem Eliseus [11], Elias [12], & D. Paulus [13], sanctíque patres multi in reuocandis ad vitam hominibus tenuerunt, ipsæ sagæ in sanandis assimulant, atque imitantur: dum sic diductis, passísque artubus in nouissima valetudine conflictatos toto corpore incumbunt. Nam & alibi memini me pluribus dicere, quemadmodum operum Dei maximus sit adumbrator, atque assimulator Satan. Postremò, quod ita horrere, atque auersari videtur inscriptas sacris nominibus, aut characteribus chartulas, pyctasia, volumina, atque alia id genus amuleta, & alexicaca, quibus homines contra malas incantantium artes vulgo se munire solent; non ideò fit, quod ab iis sibi impedimentum vllum afferri putet. Nam in omnibus ferè fascinationibus, imposturis, ac curationibus hæc etiam suos adhibere docuit; quo scilicet speciem maiorem sanitatis habeant: sed multò magis, vt rudiores in iis, ceu in funambulo, occupet, ínque praua sua opinione confirmet, ac stabiliat: dum neglectis longè salutarioribus remediis in istiusmodi rebus nudis salutis suæ præsidium constituunt: Si cuius enim animæ, vt cum D. Ioan. Chrysostomo loquar [14], è suggestu enunciatum euangelium nihil prodest, qui eius in charta descripti fragmentum ad corporis valetudinem conferre poterit: in quo quæso Euangelij virtus elucessit? num in literarum characteribus, ac figuris, an potius in eius sensu, intelligentiáque? siquidem illis æquum est eos semper collo alligata gestari; sin in his animo reconditos, defixósque po-

11. Reg 4. c. 4. vers. 34.
12. Reg 3. c. 17. vers. 21.
13. Act. 20. cap. vers. 10.
14. Homel. 73. in Matth.

tius habere:ſed iam ad intermiſſas narrationes curſum reflectamus. Nicolæa Stephana 15 Sampauliana mercede accerſita, vt Dommartinenſe caſtrum peſtilentia, qua tum affectum credebatur, repurgaret (nam ei rei operas ſuas locare conſueuerat) id quidem officium non indiligenter executa eſt: ſed cùm iuſti dies exceſſiſſent, poſt quos contagionis metus ceſſare ſolet, ac ei numerata mercede facta eſſet abeundi copia; dolens, quòd opinione citius mutandam ſibi videret, non alioqui tenuis, ac illiberalis victus conſuetudinem, putauit aliqua ratione eius abitionis tempus ſibi eſſe trahendum; ſimul & Caſtellani vxorem malo aliquo impertiendam, quòd in ſe ableganda adeò præceps eſſet, ac diligens. Ergo abiecta omni cunctatione placuit illam morbo aliquo diſtinere, in quo ſubleuando denuò rogaretur operam, ſtudiúmque ſuum impendere. Nec mora ei aſtans ad fores cubiculi: En, inquit, hera ſtrophii tui plicaturę diſturbatę ſunt, ſine illas vt paulùm reconcinnem: adductáque per ſpeciem officij ad collum manu ſolertiſſimè excuſſit in eius dorſum pulueris venenati, quem digitis tegebat, micas aliquot: Quo facto tanto fuit illicò membrorum omnium horrore correpta, quanto ſolent maximo, quos febris primùm occupauit. Nec adeò multo pòſt tantis prætereà pedum doloribus differri cœpit: vt iis fœdè auerſis ad talos digiti ſtatim diſtorquerentur. Qua re omni à domeſticis perſpecta, atque intellecta comprehenſam aſſeruatam, ac denique verberum iniecto metu exterritam non prius dimiſſuros ſe ſunt interminati: quàm faſcinatione ſublatam heram in priſtinum valetudinis ſtatum

15. Dommartini menſe Decembr. 1587.

ſtatum reſtituiſſet. Nam & hoc veneficij ſuſpicionem augebat, quòd ab ea aliquando audierant ſe quicquid huius ſciret, quo ſic ad prohibendam, auertendámque peſtem vteretur, acceptum referre cuidam Matthæo Amantio non pridem ob ſortilegij crimen capitis dàmnato: à quo etiam in tyrocinij pretium ſtuprum paſſa, atque ex eo grauida facta fuerat. Primùm igitur magnis clamoribus teſtari inſignem ſibi fieri iniuriam, cui pro beneficio tanta calumnia reponeretur, ac de ſuſpendio minas etiam iactare. Sed cùm nihilominus illos in ſententia obſtinatè manere videret, ac nihil iam à ſe ea via profici: conſilium, orationémque mutans rogare cœpit, vt quando ea ſibi medendi neceſſitas imponebatur, ſuſtinerent dum ad memoriam reuocaret, ſi quod olim ſimili morbo remedium audiiſſet prædicari. Ac non multo pòſt reuerſa dixit reperiſſe ſe, in quo iam exploratæ ſalutis ſpem ponere, ac defigere poſſent: Noſſe enim ſe herbas quæ in balneis affrictæ ei dolori medicamentum præſentiſſimum eſſent allaturæ: Orare modò ne ægrè illis eſſet, ſi quæ mora valetudini intercederet: Neque enim eiuſmodi morbum eſſe, qui ita ſit ad ſanandum facilis. Inter hæc is, quem tum ſecum habebat, filius, cùm videret matrem ita accipi, ſibi idem timens, qui ſciret ſe conſcium, nocte intempeſta è murorum pinnis per funem ſe demiſit: Sed poſtridie è fuga retractus, vinctus, ac cur ſic clàm ſe foras eieciſſet iuſſus eloqui, rem omnem, vti hîc narratur, ordine explicuit: Hoc addens ſe toti ei fuiſſe caput, qui matrem ad illam impuliſſet, dum cauſam quærit, qua paratæ abitioni morá aliquam

produceret: præterea nihil ad ſalutem conferre illa omnia fomenta, quæ ea ſic accuratè ægræ adhibebat: Sed ijs ita fucum fieri oportere, vt videatur per conuenientia naturæ remedia proceſſiſſe curatio: Nam iam tum ab intentatis illi verberibus latenter antidotum eam admouiſſe: ſed illo vinci, ac contrahi non poſſe, qui ab initio fuerat morbo impoſitus temporis modus. Expectarent igitur, dum is hebdomadæ dies, eáque hora bis recurriſſet, qua præbitum eſſet venenum: Certò enim tum ægram conualituram, ſaltem ab omni doloris ſenſu iri liberatam, ſola membrorum reliqua laſſitudine: In quo datam expectationem neutiquam fefellit: nam in illo ipſo quem præſtituerat temporis articulo morbus eſt ſedatus. Verùm inſequenti nocte recruduit etiam acerbior: nam veneficam, vt poſteà eſt compertum, adhibiti remedij pœnituerat, quòd videret paratam inde rationem ad ſe maleficij coarguendam, ac etiam indubitato teſtimonio obruendam: nam niſi ab ea venefica, quę morbum fecit, tolli, aut ſedari vix poſſe alibi demonſtratum eſt: ob ídque ab illa repetitum, iteratúmque fuerat venenum. Cùm igitur poſtridie filio prædictionis mendacium obiectaretur, multa malitiosè muſſitans hoc tantum dicere voluit, matrem vt verberibus quàm poſſent indigniſſimè acciperent: hoc enim vti aduertebat vnicum ſupereſſe contra eius tergiuerſationem remedium. Arreptam igitur duo validiſſimi ruſtici non prius ceſſarunt vitium malleolis contundere pedibus obterere, pulſare, agitare; ac deniquein obiectum ignem detrudere, quàm fidem ſuam aſtrinxiſſet, ſe ægram eo ipſo die imò

hora perſanaturam. Quod & præſtitit, poſtquam pomum illi comedendum præbuiſſet, quod antè candidulo puluere videntibus nonnullis medicauerat. Sic tandem facta abeundi copia: vti de hoc illi antè data fides fuerat in lictores eam ad caſtri portam præſtolantes incidit: à quibus ex Iudicis, qui in eius vitam, moréſque inquiſiuerat, decreto comprehenſa, ac in vincula coniecta de tota re, ſicuti hîc habetur, haud cunctanter confeſſa eſt: ac tandem igni vnà cum filio eſt concremata. Quæ narratio duo præcipuè habet quibus nos erudiri conuenit. Primùm nihil ad curationem conferre, quæ ſortilegi exterius adhibent morbis à ſe incuſſis remedia: ſed vel ea prætexi quaſi integumenta ſortilegijs, quæ veriti legum ſeueritatem palàm eſſe metuunt: vt cùm herbas, vnguenta, balneas, aliáque quæ in victu, vſúque quotidiano habent homines, quibúſque medendi vires certæ, ac præcipuæ nullæ ſunt adhibent, vel excogitari ad infeſtandos ſuperſtitione mortalium animos: veluti cùm ad votiuas peregrinationes, nouendialia ſacra, luſtrationes, donaria, aliáque id genus per ſpeciem pietatis, quòd Chriſtianis ſint in vſu quotidiano, inducunt: vel denique adhiberi ad conuellendam, labefactandámque ſpem, & fiduciá, quam in vno Deo defixam nobis eſſe oportet: dum eam transferimus ad neſcio quæ eſculenta, poculentáue, quæ furtim de domo veneficæ ſubſtracta eſſe curamus, vt illorum vſu ex ea qua conflictamur valetudine emergamus. Nam hoc bonæ illæ lubenter patiuntur etiam cũ iactura rei familiaris: dummodo hac prauitate vulgi opinionem inficiant:

residere scilicet in sua penu, seu in pharmacopolæ officina aliqua quæ morbum certò vincant medicamenta: Imò (vt cum Plinio iuniore loquar) se Deorum potentes esse, & habere domi, quo solæ cæteros mortales iuuare, ac seruare queant. Alterum non oscitanter in ea narratione prætermittendum est: sic esse Dęmoni tenaces manus, vt non facilè eripi sibi sinat, quod semel comprehenderit. Ergo si quando suorum rogatu morbum immisit: is, vel cum alio etiam grauiore commutandus venit, vti iam dictum est: vel in illud tempus eius sedationem, curationémue reiici oportet, quod frustra quisquam antecapere suis apud eum precibus studeat. Ita semper reliqui aliquid esse oportet: quod is lucro deputare possit: sed & cætera narrare pergamus. Stephanum Noachum [16] Madrensem perpetui triennij morbus vsque adeò exercuerat: vt res illi parum abesset ab insania. Ergo desperatus ab omnibus, periclitatísque incassum, quæ solers Medicorum cura suggerere solet, remedijs: tandem ad ariolos animum conuertit. Erat ea tempestate Cranuillæi quidam præ cæteris eius artis fama clarus: Ad illum præsentem præsens rem omnem defert. Edocetur hoc ipsi malum ab ea muliere confectum fuisse, quam domum reuersus vnà cum vxore colloquentem esset repperturus. Compararet igitur è lento aliquo sarmento vinculum, quod eius collo statim, ac coràm esset, iniiceret, minitaretúrq; ferocius se illi animam mox esse interclusurum, ni labefactatam valetudinem iamiam restitueret: Ingressus domum vetulam offendit vxori ad focum assidentem, huic nomen erat Pari-

16. Castinæi mense Iulio Ann. 1586.

setæ No

ſetæ Nouauillanæ: eam, vti monitus erat, re verbiſque quantum poteſt perterrefacit. Illicò eius genibus illa aduolui, veniam petere, ac ſartam tectam ab omni morbo valetudinem certo promittere: modò in iis, quæ præſcriberet, obſequi vellet. Ea verò eſſe: primùm ne grauaretur pyrũ, quod erat illi præbitura, comedere: Quod enim ſilicis inſtar durum primo contactu videri poſſit, id non ita eſſe: manu enim attrectatum perinde emollitum iri, ac ſi bene coctum, conditúmque eſſet. Tum vt ſe ſtatim lecto componeret: futurum enim, vt illicò morbus ingraueſceret penè ad interitum: Accerſeret ob id è vicinia lectas matronas duas, quæ illi ea nocte vigiliam ſuam traderent: harum, peſſima, prȩſentia ſe defendere callidè parabat; ſi quid obiiceretur mala arte factum, quo adeò grauis diuturnúſque morbus tam facilè, ac citò abceſſiſſet: neque enim huius quod ad id adornabat quicquã palàm facere decreuerat. Conditionem nullam reiecturum ſe declarat Noachus, modò ex tam incommoda valetudine euaderet: Acceptam tamen pyrum primùm negat morſu diuidi poſſe, vt quod planè eſſet ferreum: ſed dum hæc loquitur, ac paululum interim illud contrectat, ſenſit non ſine admiratione in lanæ mollitiem propè abiiſſe. Eo igitur deuorato (nam erat guſtu inſuauiſſimum) ſtatim illi ſtomachus tanto ardore conflagrare cœpit, quanto vix maiorem candentes carbones excitare potuiſſent. Ergo in cubili properè collocatur agenti animam haud ita diſſimilis: Adhibet trepida vxor, quæ ſecum ea nocte illum obſeruarent, matronas duas quibus ſe tertiam bona illa vltro adiicit vultu

cit vultu

cit vultu adeò ad mœstitiam composito: vt præ illa fictæ videri potuissent vxoris ipsius lachrymæ. Iam non indiligens vigilia ad mediam vsq; noctem processerat: cùm venefica clàm aspersas comites Lethæo suo puluere, ceu Mercurius aliquis, arctissimo somno complectitur, ac intereà sublatum ægrum humeris transfert in proximam aream: ibíque oblato immani vrso imponit. Tum repetitis spatiis sæpiùs vehit, ac reuehit: ipsa quasi onere iniquiore opprimeretur nõ cessante ingemiscere bellua: ea verò vox erat dolentis Dæmonis, quod præter ingenium tali valetudinis beneficio operam suam accommodare cogeretur: sed eius tarditatem illa increpans magis, magísque vt viam pergeret istis vrgebat verbis: Agedum ignaua, atque odiosa bellua: nunc factis digna recipis tuis, quæ me primùm ad hunc ita mulctandum, vel inuitam impulisti. Hæc à se audita trepidus sessor pòst magna fiducia testatus est. Inter hæc experrectæ, quæ ad cubile pernoctabant, mulieres id vacuum nactæ totá festinantur inuestigant, ac perscrutantur domum, sicubi desideratum hominem reperiant: Ac tandem solum cùm sola venefica in area offendũt. Rogant ecquæ se insciis ita nudo, ac incomitato secedendi causa fuerit: Occupat illa prior respondere, atque infit: An non aduertitis huc ea gratia à me pertractum, vt oletum faceret? sed nullis cum ea commutatis verbis hoc solum fategerũt, hominem vt tollerent, ac quam citissimè in lectum reponerent. Verùm dum id moliuntur, vix omnes simul magno nixu reportando præstant: quod illa sola nullo negotio asportando perfecerat. Porrò cùm

ea lex pacti præcipua fuisset, vt Noachus supradictis omnibus defunctus morbo penitus subleuaretur: & adhuc tamen doloris nonnihil superesset, causata est venefica importunum mulierum aduētum, quo impedita fuerat, ne bene incœpta ad exitum perduceret: sed ad summum ferendam esse octo dierum moram: post quos sine vlla frustratione integra futura esset illi valetudo. Quod & euenit. In his atque aliis multis manifestò deprehensa, tandem est in carcerem inclusa: cuius tamen ruptis vinculis custodiæ incuria euasit, atque abiit. Et habet quoque aliqua hæc narratio, quæ non frustra lectoris considerationem intendant. Primùm confidenter, atque impunè inter huius ætatis Christianos versarj, atque artem suam factitare ariolos: quos tamen sua societate prohibuerunt mortales omnes, quorum animos imbuit aliqua veri Dei opinio: Moses[17], Saul[18], Iosias[19] pœnam vltimi supplicij in eos sanciuerunt: qui in ditione sua deprehenderentur arioli: Constantinus[20] illum, qui eos cōsuleret, deportari: Constantius, & Iulianus[21] gladio vltore feriri voluerunt. Ancyranum[22], Toletanū[23], Aurelianense[24], atque alia pleraque sancto tum patrum concilia è finibus Christianæ communitatis exterminandos decreuerunt. Et Christianorum omnium hîc consensus est vltimus, non esse in Ecclesia ferendos: Imò disertè qui diebus dominicis conciones habent, illos execrantur, ac Diris deuouent. Et tamen Regum, principúmque hîc vsitatus, & quotidianus lusus est: Eos quoque non parua mercede ad se accersunt. Horum etiā exemplo, nam talibus authoribus iam tutius peccatur,

17. Leuitici ca. 19. vers. 26. & Deutero. ca. 18. vers. 11.
18. Samuelis ca. 28. vers. 3.
19. Reg. II. ca. 23. vers. 24.
20. l. 3. de Malef. C.
21. l. Nemo auspicem. Eod.
22. cap. 24.
23. cap. 28.
24. cap. 32.

vulgus adit:qui furto ſubſtracta,vel caſu amiſſa indicent, ac patefaciant, cribri, aut clauis verſatione identidem iterata: diſtincta in luſtralem aquam chartularum immiſſione, quæ nomina eorũ,quos furti ſuſpectos habent, contineant: mantilis productione,contractionéue reciproca,atque aliarum id genus rerum damnanda periclitatione; quæ pyromantias,aëromantias,hydromantias, & Geomãtias veterum omnes ſua impietate etiam adæquare poſſint. Tum furum illi manipuli, qui ſub Ægyptiorum emẽtito nomine bonam Europæ partem quaſi ſuo iure prædabundi peruagantur,nulla re ſe plauſibiliores præbent: quàm quod apud imperitam multitudinem profitentur,quæ quemque ſors maneat præmonere. Vt hîc omittam recenſere lõgè nequiores:Cranuillæano illo ariolo monachum in Niderhauu; mulierem Thermopoli, quæ eſt ad Mirecuriam; militem emeritum Nanceij,alióſque plures,qui palàm etiam,& ſecurè ex ea re quæſtum faciunt. Sequitur in eadem hiſtoria è ſarmento intorqueri oportuiſſe vinculum illud,quod ſic Maleficę collo adaptandum erat.Et vulgus in ea opinione eſt,verberibus ſagas nullis tam commodè caſtigari: quàm quæ vitis adminiſtrat. Cuius rei cauſam, ſi quæ tamen vera eſt,non facilè ſit afferre. Et adhuc in ſimili difficultate hærent qui apud Plinium [25], Liuium [26], Plutarchum [27], Macrum [28], & Spartianum [29] quærunt:cur vitis in delictis pœnam eorum tantùm militum qui ciues eſſent honoraret: cúrque eam centuriones præferrent, quaſi imperij inſigne, & ornamentum.Miles ille legionarius apud Apuleium [30] centurionem extra præ-

25. Hiſt. nat. lib. 14.
26. In Flori cõpendio.
27. In Galba.
28. In lib. 11. de re milita.& l.milites De re milit.D.
29. In Adriani vita.
30. Lib.9.de Aſin aur.

ſidium (credo) mentitus, vt eſt eiuſmodi hominum audacia, repertum in via hortulanum, & ad interrogata ſilentem indignabundus vite, quam tenebat, de aſino deturbauit: eadémque tandem aduerſa de vaſtiore eius nodulo cerebrum eius diffidit. Et certè aliquid ſubeſſe oportet, quod, vti apud Ioſephum de Elezari annulo, herbíſque Salomonis legimus, Dæmonem, eóſque quos ſemel ſibi addixit præcipuè afficiat. Nam & Cæſaris Traiani illud circumfertur; cùm ſcriptis codicillis Iouis Heliopolitani oraculum conſuluiſſet, an Romam peracto bello, quod contra Parthos mouebat, eſſet rediturus, illi reſpondiſſe Dæmonem: vt vitem in ſuam ædem inferret in partes diuiſam, ac ſudario conditam, eámque perendie efferret. Quod etſi ad ea magis quæ militiam ſpectant imperia, atque auguria pertinere videtur: habet tamen & in quo vitiginei ligni peculiarem quēdam, atque alium quàm in quem cætera adhibentur vſum conſideremus. Quod quoque & Euphorion obſeruauit, qui niſi ex vite non licuiſſe olim fingere Rheæ Deæ ſigna prodidit. Et rectè quidem: Nam eam Cybelen aliter appellatam teſtatur Suidas, id eſt (vt interpretatur Feſtus) Deam, quæ homines in furorem ageret. Si quidem Græci κυβιςᾶν, in caput ſaltare dicunt: Et eius ſacerdotes ſolebant in ſuis ſacris caput circumagere:

Terrificas capitum quatientes numine riſtas 31. — 31. *Lucret. lib.* 2.

Quod & ſagas in ſuis tripudijs inſanientes vſurpare ſuprà meminimus. Et Ægyptij vitem ex ſparſo gygantum ſanguine ſatam putauerunt: quòd vinum homines in rabiem ſæpè accenderet: Moſes

quoque, & Dauid etiamsi per tropum vuæ tamen sanguinem dixerunt. Et Orphæus vitem, Luna Virginis signum ineunte, serere prohibuit: quasi parum Bacchico furori cum virginali modestia conueniret. Vetuit etiam Pythagoras ex vitibus, quæ amputatæ non essent, Dijs quicquam litari. Denique non sine ratione aliqua Sampsonis commentum extitit: cùm Dalidę importunas, atque insidiosas percontationes ludificaturus respondit, nihilo alijs se fortiorem futurum, si septenis vitibus flexibus reuinceretur. Et gallos gallinaceos non canere, si circulus è sarmentis collo addatur dixit Plinius [32]. Nam iam tum vitis aliqua fuit præter inditam à natura facultatem commendatio. Quæ omnia eò redeunt, vt in illa multarum nequitiarum semina latere fatendum sit: non solùm ex innata illa vi, & facultate labefactandæ mentis humanæ: vbi, quod ait, ille, vicit vinum quod quis bibit:

32. Lib. 29. ca. 4.

Bacchus & ad culpam causas dedit, ille furentes
Centauros letho domuit.

Sed & ex affectato eius in Magicis artibus vsu, vti ex superioribus apparet: Sequitur quemadmodum in vrso sedere Noachum oportuerit, id est se in fidem, ac potestatem Dæmonis, qui sub vectario illo vrso latebat, permittere: priusquam ad sanitatem rediret: Hoc enim præcipuè, dum nos vult labefactare, satagit Dæmon, vt fiduciam illi quàm maximam habeamus: Tum curationibus suis semper tale aliquid intermiscet: vt à Deo ad creaturas nos auertat, ínque terrena penitiùs immergat. Cuius generis etiam est quod Agyrtas, & circumforaneos circulatores passim videmus vrsos secum ducere:

ac ijs mercede pueros imponere, vt à laruarum, lemurúmque formidine fiant scilicet in futurum securiores: deridiculáque alia multa iam anteà nobis dicta, & sequenti quoque capite fusiùs, latiúsque dicenda. Ad quæ priusquam properamus, ac finem huic disceptationi imponimus, operæpretiũ quoque est hîc à multis tractatam quæstionem attingere: possit necne citra fraudem animæ capitalem ista à maleficis morborum depulsio peti, ac mendicari. Et forsan id frustra quæri quis dixerit post tot de ea veterum Theologorum sententias 33, recentiorum etiam non contenendis suffragijs comprobatas: sed eas nunquam tam sanctas existimaui, quin aliquam excusationem admitterent. Multum enim interest, vine, an precario aliquid ab alio auferas, & consequare: Illud contemptum, & dedignationem habet: hoc admirationem, obtemperationem, animúmque se suppliciter deiicientem, ac demittentem. Si quis vel prece, vel pretio à venefica contendat, vt abs Magistello suo morbi quo affligitur sanationem impetret: perinde opinor facit ac si ipse supplex, venerabundúsque opem à Dæmone imploret; eius se beneficio alligari postulet, munere adoret, ac se ea causa illi obnoxium fore profiteatur. Omnes igitur cruciatus, ipsámque adeò mortem potius ferendam esse, quàm vt sinamus nos ad tam horrendum sacrilegium adduci. Siquidem clamant sacræ literæ 34 solum Deum colendum, atque adorandum esse: Deum inquam zelotem, qui non sit passurus quicquam de gloria sua decerpi, ac delibari, quod alteri ascribatur. Et hoc esse reor, quod adeò seuerè damnant, ac reprehen-

33. D. Tho. IIII. dist. 34. q. i. ar. 3. Bonauent. 16. q. 2. Syluester in verbo (Maleficium) quæst. 8. & DD. super ca. si per sortiarias. 33. q. i.

34. Deutero. 6. vers. 3. Matth. 4. vers. 10.

dunt Theologi illi: Nam & Constantinus Imperator [35] de eo quoque legem sanciens, disertè facti atrocitatem in hoc cõstituit: si suasionibus, ac præmijs aruspex esset aduocatus. Et Photius in Nomocanone eius legis pœnam ait tantùm intelligi debere: vbi διὰ θυσιῶν, id est per mactationes, ac sacrilega sacrificia eiusmodi negotium peragitur. Quæ etiam omnia huius ætatis sagę pro more habent facere: Nam primum rogari, sæpe etiam muneribus donari volunt. Tum Diuorum alicuius maiestate læsam, violatámque autumant: quem idcirco votiua ad eius fanum profectione donarijs, sacrificiisque nouendialibus placare conueniat. Nempe hoc eo redit, vt tu valetudinem redimas eius veneratione, muneratione que, qui illam primùm debilitauit Dæmonis: cuique astutè speciosum illud diui nomen ideo illæ prætendunt, vt suam impietatem religionis aliqua simulatione tegant, atque inuoluant. Omnino inexcusabilis est ista curandę valetudinis, depellendorúmque morborum ratio: vel si quęuis prætexatur illi humani consilij imbecillitas, consequendæq; sanitatis cupiditas, & desiderium: Præcipua enim semper esse debet causa religionis, cuius sanctitas hîc apertè fœdatur, polluitur, violatur. At si tu veneficam, quam istiusmodi fascinationis non iniuria suspectam habes, minis insequare: verberibus etiam, si minus illam mouet minæ, accipias; volentem, nolentem eo adducas, vt fascinationem repercutiat: quæ hîc quæso blanditiæ? quæ imploratio, obtestatio, veneratióque esse potest? Si inde plus habet illa, quod se contemptam, pulsatam ad opitulandum etiam ei qui læsit coactam

35. In l. Nullus de Malef. & Math.

coactam doleat: quam gratia, voluptate, commodo aliquo auctam glorietur? Si eius Dæmon se quasi obtorto collo à noxa retractum, amissa præda in fugam versum, derisum, spretum, ac nihili pensum agnoscit? Qui furem persequitur, rémque sibi furto ablatam ab eo per vim aufert: quid admittit in quo furi gratiam vllam gratificatus esse videatur? Qui occupatam ab hoste arcem armis recuperat, eáque illum violéter deiicit: quid ei aliud relinquit, quàm vt dolens, pudénsque collectis si datur sarcinis aliò migret, séque possessione deturbatum meritò lugeat, ac conqueratur? Qui quoque captum, comprehensúmque aliquem tenet, si hunc è manibus dimittere cogitur, quod forte is se succussu eripiat; minas spiret, ferrum intentet, aut vim aliquã aliam afferat: quid ex ea illi comprehensione superest præter elapsæ prædæ desiderium? Quid se indignum gessit, qui sic constrictum se inuito eo qui constrinxerat expediuit, atque in libertatem vindicauit? Atqui eam, quæ putatur à maleficis, morborum curationem non esse remedij alicuius efficacis adhibitionem: sed tantùm à vexatione, cui incumbunt, cessationem, liberationémque non dubitem cum Abdia Babiloniæ Episcopo asserere: vel ex eo maximè, quod momento, ac sæpe nulla facta medicina ea cõtingat, quæ à morbo ad sanitatem probabilis esse nequit transitio, ac decursio. Ergo si quis fidenter, atque intrepidè, vti hominem nullius malæ rei conscium, & Dei nixum præsidio decet, Satanam in malefica muliere adoriatur, vi, minísque cogat, vt ab iniuria, ac maleficio temperet, lędere cesset, atque abstineat, corpore facessat (eius-
modi

modi enim morbum aliud nihil esse, quàm Dæmonis præsentiam credidit Iamblichus [36]) quid quæso facit ab Exorcistarum more alienũ, qui quoque energumenis cathenas inducunt, plagas infligunt, terrores inferunt? At, inquies, in hoc non est præcipua salutis fiducia, & præsidium, sed multo magis in efficacibus sacræ scripturæ verbis: quæ illi certa conceptione, statísque ceremoniis, vsurpant. Et horum puto virtus, atque energia ex fide est in Deum per IESVM CHRISTVM: qua quoque abundare necesse est, qui sic audent omnibus formidabiles sagas iurgio, minis, verberibus adoriri. Nã aliter periculum sit, ne lacessitæ contrà insurgant, irámque suam, ac virus maiori licentia, & contentione in lacessentem euomant. Vtcumque res sit, si qui ita morborum liberationem à maleficis per cõtumeliam extorquent: non omnino culpa vacant, fortè quia illarum huic negotio operam, ministeriúmque vtrobique intercedere conuenit: quæ res, dicat aliquis, causam impietatis aliquam continere videtur: at certè talis ea est, vt expers dici debeat illius, quæ Deum hominibus adeò infensum reddit cum Dęmonibus pactionis, & commercij aliena ab omni mala mentis, nefariique voti conscientia: denique non illis pœnis obnoxia, quas leges tum diuinæ [37], tum humanæ [38] in eos constituunt: qui ad Magos declinant, eos aduocant, consulunt, ac in re aliqua sibi adiutores constituunt.

*

36. *In lib. de Myst. Aegy. cap. Quando alia numina aliter agant atq; appareant.*

37. *Leuit. 19. & 20. Deut. 18.*

38. *l. nullus aruspex & l. nemo de malef. & Math.*

Curationes

Curationes Dæmonum velo ſemper aliquo religionis obtendi: ſæpe etiam viri, qui rerum potiatur aſcita in ſpeciem ope, ac miniſterio perfici; quo ſcilicet eis maior accedat authoritas. Verùm inter hæc Dæmones nonnunquam ſuam turpitudinem prodere, dum obſcœna etiam fœdáque adhiberi volunt.

CAP. IIII.

ASTutè Satanas vires religionis ad ſortilegium in ſpeciem adhibet: tum vt homines, quorum mentes ſcit ad eius cultum eſſe procliuiores, in ſuperſtitionis errorem faciliùs inducat: tum vt prodigioſarum ſanationum, quæ eius opera fiunt, ſuſpicionem aliò à ſuis transferat: ne ſi eorum beneficio morbus leuatus videretur, idem & veneficio antè illatus exiſtimaretur. Ergo in cœlitum aliquem ea noxa reiicienda eſt; qui forte violatum ſuum numen ira vindicandum cenſuerit:

Namque ſuæ igneſcunt animis cœleſtibus iræ.

Tum ſequitur auerruncãdas eſſe eiuſmodi iras: ſed, Deus bone, qua expiatione, ac procuratione! certè cuius etiam pudeat qui vaniſſimas religiones ab vltima antiquitate coluerunt. Quod etiam, quo magis miretur lector, vno, atque altero exemplo è penu noſtra deprompto hîc operæpretium duxi cõmonſtrare. Fuit Nanceij intra annos decem venefica mulier (Thenotam nomine vocabant:) Ea cùm aliquando rogaretur laboranti morbo vicinæ cuidam medicinam facere (nam & ea cauſa vulgo adiri ſolebat: vti in Hiſpania quos ſeruatores appellant) à Diuo Fiacro morbum illum eſſe dixit: cui ob

id vouenda esset cùm donarijs profectio, quam ipsa si ita iuberent, lubenter susciperet. Conducta est mercede, vt hanc nauaret operam: Ægram transuerso decussatim lino cerato primùm dimensa est: tum linum in certum numerum complicauit, atque in sinum quasi fouendum imposuit: Deinde & noctem quæ proximè est insecuta totam ad ædium, in quibus decũbebat ægra, fores excubauit: ac primo diluculo se in viam dedit cum perpetuo silentio: Cùmque ad D Fiacrij fanum peruenisset, id ingressa linum succendit, eiúsque stillantibus ceris figuras ad aræ maioris gradus in crucem duxit: ac tandem se foras eiiciẽs ipsum fanum ter oberrauit: lino illo interim flammas edente crepitantes, & cœruleas.

Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum
Fulmine cæruleo, nigróque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos [1].

1. Claudianus.

Iisque omnibus sic defuncta se in vrbem recepit. Ecce vt silentia, dimensiones, vigilias, murmura, figuras, ignes expiandis scilicet religionibus interponunt: Quæ certè imitatio est manifestissima ariolorum, quos pagana habuit antiquitas: Qui (vt inquit D Augustinus [2]) circa idolorum aras preces nefarias emittere, & funesta sacrificia afferre solebant: In hoc etiam longè intolerabilissima, quod sæpe admixtas habent sordes, illuuies, excrementa, aliáque multa: quibus nihil fingi potest ab ea puritate alienius, quàm in diuino cultu, ac cæremoniis adhiberi par est. Cuius etiam generis est quod sequitur de rustico Vogeso quodam, cui nomẽ fuit Desiderio Finácio [3]: Is Valentinum Valierium municipem

2. In lib. de nat. Dæm.

3. Sandeodati prid. id. Iul. 1581.

nicipem suum, cum quo inimicitias pridem gerebat, impensius vlcisci cupiebat: nec adhuc tamen explendi animi vlla tuta satis, ac oportuna sese obtulerat occasio. Cõmodum igitur illi viam per sola loca habenti occurrit obscuro loco vmbræ instar, ac apprehensum de equo tanta vi deturbat, vt altero crure prorsus debilitaretur: Sed aliquanto pòst misertus hominem, vt quem satis diuturno mulctatum infortunio videret, ad eum ceu aliud agens accedit. Rogat vnde id illi accidisset mali: Causam prolixè edocetur, quam ipse multo melius sciebat: Tandem remedium pollicetur, & certum, & præsens si dicto audiens esse vellet. Nihil non ea causa se facturum recipit rusticus, auidéque expectat quid se ille præstare velit: Præcipit igitur vt è nouẽ stabulis diuersis fimum equinum precariò cõquireret, quantum satis esset complendo socco, quo tum crus cùm labefactaretur erat indutum, eúmque sic confertum pro donario appenderet D. Benedicto: cuius celebre esset fanum in Berquel oppido Germaniæ: Sic enim futurum, vt eius anathematis arcana vi, ac potestate illi membrum recrearetur, ac conualesceret. Quod vt ab eo posteà rescitum est, non idcirco suadebat, quasi id illi ad sanationem quicquam profuturum crederet: sed vt eo commento artem suam tegeret. Nam sortilegis mos est curationibus suis istiusmodi religionum expiationes prætexere: cùm nulla tamen religione tangantur, ac potius eam omnẽ despectui, ludibrióque habeant. Per quam etiam causam se olim apud Domitianum Imperatorem defendit Apollonius 4: cùm ei Magiæ crimẽ obiiceretur: ob

4. Philostr. lib. 8. ca. 3.

ſedatam ſcilicet, quæ Epheſios inuaſerat, peſtem: Ab Hercule enim ſe id beneficium precibus conſecutum fuiſſe dixit: atque adeò ob id templum ei ſub Auerſoris nomine fuiſſe dedicatum: nonnunquam & amoto omni religionis fuco alia quædam, eáque perabſurda adhibent: quo ſcilicet homines magis, magíſque ludibrio habeant. Tale illud fuit, quod de Pherone quodam recitat Herodotus 5: Is ob impietatē (quod ſcilicet in Nili exundatione ſumptum ſpiculum in medios vortices contorſiſſet) fuerat excæcatus: rurſúſque poſt vndecimum annum oraculo monitus, vt lotio mulieris, quæ ab vno tantùm viro compreſſa fuiſſet, oculos lauaret viſum recepit, quali ante orbitatem vtebatur: Nam quod in lotio muliebri collyrium ſatis potens eſſe queat reſtituendo oculorum lumini: aut quare eius erit magis efficax, quæ virum vnum, quàm quæ multos paſſa eſt? Machinæ, doli, fallaciæ, ac præſtigiæ ſunt meræ: quibus errores hominum aucupatur Satan, ſuum vt apud eos imperium propaget, ſtabiliat, ac confirmet. Siquidem is vnicus ſcopus eſt, in quem actiones omnes ſuas intendit, ac collimat. Ac quo plus ponderis, authoritatíſque habeant Reges, Imperatoréſque, ei negotio ſæpius interponit: quale de Pyrrho memorant: ſplene ſcilicet laborantibus mederi ſolitum fuiſſe, poſtquam reſupinos dextro pede tetigiſſet. Tum de Veſpaſiano, cuius quoniam quæ celebratur in hanc ſententiam hiſtoria, multa obſeruatione digna continet, eam ex Suetonio 6, Tacito 7, Sabellico 8, aliíſque non infimæ claſſis ſcriptoribus integram hîc tranſcribere non penituit. Veſpaſianum pro

5. *Lib. 11.*

6. *In eius vita cap. 7.*

7. *lib. 20. ab excessu Aug. sub finem.*

8. *Ennead. 7. lib. 111.*

pro tribunali sedentem Alexandriæ, vbi statos æstiuis flatibus dies opperiebatur, duo è plebe viri adierunt opem sibi orantes à Serapide demonstratam: hic oculis captus, ille debili manu: per quietem monitos se dicentes fore, vt cæco dies illucesceret, si ipsius oculos sputo Vespasianus inunxisset: alterq; firmior fieret, si calce contingeretur. Cùm vix fides rei esset, nec ea vllo modo successura crederetur: ne experiri quidem à principio Vespasianus ausus est. Cæterùm amicis hortantibus, quòd diceret peracti remedij gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore: vtrumque pro concione tentauit. Nec defuit euentus, nam alteri manus ad vsum statim versa est: alteri clara reluxit dies. Verebatur scilicet Dæmon ille, quem sub serapidis nomine colebat Ægyptus errorum mater: ne piorum Ecclesia recens ibi constituta ex vetusto illo se exturbaret domicilio: præuiditque futurum, vt duo ægri vterque sua esset defuncturus clade: ac proinde ambos impulit à Vespasiano opem implorare, vt cùm euentus secutus esset eius fauore, qui erat rerum potiturus, oraculi maiestas augeretur: nec ex eo imperij fastigio ad veræ lucis fulgorem animum intenderet. Memorant & simile quiddã de Adriano Imperatore Maximus Marius & Ælius Spartianus: mulierem scilicet quandam fuisse oculis diuinitus orbatam: quòd Imperatori morbi impatientia durius de se consulenti neglexisset ex oraculi præcepto nuntiare, vt vitam perdere parceret: propediem enim esse ex ea valetudine emersurum. At cùm denuò in insomniis monita fuisset id facere: illata etiam de recuperando visu spe, iam fa-

ctam ſuo periculo cautiorem ea prouincia ſedulò, ac diligenter eſſe defunctam: ſicque oculorum lucem de integro illi eſſe reſtitutam; poſtquam tamen illius Imperatoris genua ex eodem præcepto eſſet deoſculata. Nam hoc demum fabulæ condimentum eſt.

Multa eſſe quæ ſortilegi agnoſcunt ſibi afferre impedimentum: ne aliorum à ſe afflictam valetudinem, vel reſtituant, vel ſubleuent. Quæque ea ſint proprijs ad id rationibus, atque exemplis declaratur.

CAP. V.

VT eſt ſemper procliuis via ad damnum, atque iniuriam; ita ad beneficium, ac ſalutem nullas non habet difficultates, atque impedimenta: ſi de immittendo morbo, aut inferenda morte ſagis inceſſit libido, omnia ad id prona ſunt, atque oportuna, venenum multiplex, imprecatio, incantamenta, faſcinationes, atque ipſe qui nunquam vocatus deeſt malorum omnium architectus, atque adminiſter Dęmon: vbi hoc agitur, vt aut reſtituatur valetudo, aut vita conſeruetur: tum nunquam deſunt, quæ contra capiantur cauſæ. Quod à ſacris, à Medico, aut alia re quapiam iam ſit mendicatum auxilium: Quod ab alio, quam à ſe morbus ſit allatus: Quod in vinculis conſtituti ſint ea facultate medendi, quæ ſibi erat anteà à Dæmone conceſſa, penitus deſtituti: Quod hac tantùm lege id illis liceat, ſi commutato beneficio, damno, atque iniuria maiore afficiant: quòd non ſint diſertis de ſanando verbis rogatæ. Atque id genus alia quibus nuſ-

nusquam non solent afferendis remedijs moras ac tergiuersationes interponere. Quę etiam ex ijs quę sequuntur exemplis licebit magis dignoscere. Rosa Girardina [1] pro comperto recensuit non posse morbum tolli ab alio, quàm ab eo qui illius causam dedisset: Nec cuiquam licere, vt in messem alterius falcem suam immitteret. Ita ab eadem manu, & metuenda iniuria est, & expectandum beneficium. Dominica Euræa [2] ait non posse restitui sanitatem ei, cui semel est adempta; quin idem morbus sæpè etiam grauior in alium transferatur; atque ab ipsa veluti permutatione semper maius nascatur compendium. Item medendi vires à Dæmone acceptas statim euanescere, vbi sacerdos, aut Medicus ægro sanitatis ergô manus admouerunt. Alexia Drigæa [3] nũquam esse integrum, atque absolutum sanationis beneficium; sed morbi semper aliquid hærere, ac superesse. Catharina Balandręa [4] frustra aut sedationem, aut leuationem ægritudinis expectari ab ijs, qui sunt in sortilegij reatu: desiisse enim esse in Dæmonis manu, per quem hæc possunt omnia. Cui consentiens est, quod dicit Nicolaus Morelius [5]: is cùm iam vinctus rogaretur, vt medicinam faceret puero Ioãnis Chematij: quem non negabat à se in eum, quo tunc laborabat, morbum esse iniectum: respondit eius rei nullam amplius esse sibi relictam facultatem, quando ea qua se ipse induerat criminis confessionę Dæmonem penitus à se ablegauerat: Et omnino carceris locum quo minus id fiat sua sanctitate aduersari. Neque enim cùm ipse scelerum sit vindex, sortilegijs quæ ad eam sanationem adhiberi oportebat, conuenire

1. *In agro Stiuensi Non. Nou. 1586.*

2. *Charmesij. VI. Calen Dec. 1584.*

3. *Haracuriæ IIII. Id. Nou. 1586.*

4. *Ardemontij III. Non. Dec. 1584.*

5. *Serra XIIII. Cal. Feb. 1587.*

uenire posse. Quod & Damis sensisse videtur: cùm, ex eo Tyanæum magistrum diuina natura fuisse præditum infert, quod crus pedica nullo negotio exoluisset: Neq; enim id, inquit, quod esset in vinculis, ac custodia, arte venefica præstare potuisset. Cathina Gillotia[6] rogata, quid causę esset, quòd Canassia Godefreda non conualuisset ex eo morbo, quo illam ipsa per veneficium antè debilitauerat: cùm tamen ei poma, pruna, aliáque id genus esculenta, quæ recuperandæ valetudini alijs administrare solebat, non semel sua manu præbuisset: respondit id ita factum, quod nullæ antè à Godefreda illa ad id adhibitę essent preces. Balial Basolus[7], & Coleta Piscatrix [8] nouum aliud impedimenti genus commemorant: Scilicet quòd se inscijs, atque inconsultis, qui eiusmodi valetudine tentabatur, vota Diuorum alicui nuncupasset, ac persoluisset: Hoc enim contemptu præuentos nihil amplius afferre posse, quod conferat ad laborantium salutem. Verùm id absque suspicione non est affectati quæstus, aut gratiæ, quarum maximè rerum sunt cupidi, & amantes. Siquidem id sæpè satagunt, vt ipsi eam operam nauent, indéque quæstũ aliquem faciant, vel certè gratiam ineant: cùm sint vt plurimum mendici, vitámque eleemosynis tolerent. Porrò quæ modò intercedere obstacula dicebantur, ne possent sortilegi morbum à se allatum remouere ea consilio, & ratione non carent: Nã primùm temere nõ est, quod Dęmon eius operam ad medendum sibi esse necessariá fingit, qua anteà ad lædendum vsus est. Siquidem nemini dubium est: quin id solus, at suopte (quod aiunt) Marte præstare possit:

6. Huecuriæ VI. Non. Mai. 1591.

7. Dõbasoli. ad Sannicolaũ. III. ac prid. Non. Mart. 1587.

8. Gerbeuillai Non. Martij. 1588.

re possit: sed hoc ideo facit, tum vt beneficium coarctet, ac coangustet magis, dum eius conferendi potestatem ad alterius transfert libidinem: tum vt suo pleniore demereatur obsequio, dum illis inuitis, ac inconsultis nihil eorum quorum authores fuerunt mutaturum se ostendit: neque enim in eo parum sibi placent quod vident vitæ, necísque sibi in homines potestatem esse attributam: quódque vlciscendi nisi is quem ipsi statuerint finis, modúsque nullus alius sit futurus. Rursus quod nisi re integra, id est nec corpori à Medico, nec animæ à presbytero quæsita adhuc medicina negat se salutem afferre posse: hîc quoque per fraudem, & malitiam fingitur aliquid: neutrum enim probabilem causam habet eum à tali sanationis officio remunerandi. Id igitur potius à zelotypia eius est, qui veretur ne eius beneficij gratiam extinguat, quæ pręcessit curatio, cui fortè accepta referri possit sanitas: Tum cautio est maxima illis eam opinionem ingenerare, qui se fascino in morbum coniectos putant: non esse ad diuina aut humana remedia confugiendum, si velint conualescere: omnémque valetudinis spem iam tum certò deponendam esse, cùm ad illa vel sola mente, & cogitatione conuertitur. Et omnino semper causa aliqua subest ne suorum miserationi, si quę aliquando eos mouet, accedat atque indulgeat. Tertium quod prætexitur ei rei impedimentum est reatus, & in carcerem inclusio: Quod equidem verum non negauerim, si modò sontes in ea sunt conditione, vt admissorum confessione, ac pœnitentia Dæmonem suum à se amouerint: tum enim fracto fœdere, cuius legibus

conſtabat ea ſanandi per alienos à natura modos poteſtas,certum eſt & ipſam prorſus elanguiſſe,atque euanuiſſe. Cuius rei longè maximam fidem facit,quod qui in eo ſunt ſtatu, nullam,etiamſi percupiant,incommodandi, nocendíque facultatem habeant:non ipſis quidē tortoribus,à quibus quæſtionibus exercentur. Tum facto ipſo ſępè eſt comprobatum, ſi quando experiundæ eius rei gratia Iudices,vel ſolo nutu, aut voce illos manu ſua miſiſſent, auolaſſe ſtatim, ac ſtupenda multa quaſi poſtliminio in Dæmonis familiam regreſſos edidiſſe. Quod ſi peruicaci contumacia crimen ſuum denegare perſtiterint:nec diſertis adhuc verbis,vti mos eſt facere, qui reſipuerunt Dæmoni ſocietatem, amicitiámque renuntiauerint, vel potius eius imperium eiurauerint, iugúmque excuſſerint:crediderim equidem falſum eſſe quod ſic autumant deſiiſſe ſe quicquam amplius eius auſpiciis poſſe: maximéque ſi hoc agitur, vt quem ſanitati reſtituant. Nam & vincti, & in carcerem conditi ab eo ſæpè inuiſuntur: in ſpem libertatis eriguntur, conſilio iuuantur,officio ſuſtentantur: Et omnino tam fauentem,æquum,indulgentem, opitulantémque in omnibus habent, quàm vnquam anteà habuerunt:ſic vt veriſimile non ſit denegaturum valetudinis curationem, ſi cuiquam illam poſtulent; ac adeò tutum ſit poſtulare: Impediri autem vinculis ne adhibere poſſit,ſtultum ſit dicere,cùm ipſe non vinciatur,ac conſtringatur:ſed, cuius ope nihil indiget,ſortilegus. Et rei adeò ſalutari nemo ſit Iudicum qui moram, impedimentúmque afferre cogitet, ſi id eius ſit arbitrij. Nicolaæ Moreliæ [9] pater ſortilegij

9. Serræ XIIII Cal. Febr. 1587.

ſortilegij reus cauſam in vinculis dicebat:Ex illius fortè verbis in eius criminis ſuſpicionem adducta eſt & filia:quam ob id apparitor, qui tum præſens erat, Iudici ſuadebat vt comprehendi iuberet. De hoc Dæmon Moreliam tum adhuc liberam facit certiorem : atque vt id damno aliquo in apparitorem vindicaret, adhortatur ſe eius rei prouinciam libenter ſuſcepturum eſſe, ſi demandaret:Nec mora vt aſſenſa eſt,aduolauit is ad apparitoris ædes, ac ibi nactus eius vxorem infanti ante focum mammas præbentem, eas puluere adeò virulento ceu tranſiens ſuffudit,vt inde exucca, expérſque lactis prorſus fieret.Cuius rei cauſam facilè ſuſpicatus apparitor, Moreliam iam tum cuſtodiæ traditã adit, ac placatam libo, & è milio iure condito rogat; vt, ſi quid ad hanc rem opis afferre poſſet id non grauatè faceret: viciſſim curaturum ſe, ne quid illi ad tolerandam vitam deeſſet: tantiſperdum maneret in vinculis,ac deinde foras ſe eiecit expectans, ecquid illa ſuper ea re conſilij caperet. Succedit confeſtim Dæmõ, multáque cum illa iurgatus propter collatos cum apparitore ſermones:tandem exorari ſe ſiuit eius vxori denuò vbera lacte,vel ſi vellet ad tædium diſtenderentur: Quod & non multo pòſt clàm illato in ea puluere albo præſtitit. Catharina Ocrearia [10] aliquando ſua fide ampliata; ac denuò tum ex nouis ſuſpicionibus, tum ex Sereniſſimi Principis noſtri, quem præſens de toto hoc negotio haud diſſimulanter commonefeceram,diſertiſſimóque mandato ad vincula reuocata:cùm vni ex teſtibus quibus committebatur brachium, quod illi, antequam in carcerem reuocaretur, mala ſua

10. Nanceij An. 1584.

arte perculisse, ac debilitasse ferebatur: manu violentius ceu irata comprehendisset, euenit magna omnium, qui tum aderant, admiratione: vt id momento sanitati restitueretur. Quódque captum, ac sine vllo officio plures ante menses fuerat: id statim vegetum ac ad pristinas, solitásque omnes functiones promptum, atque habile efficeretur. Et certè ei cum Magistello suo ad extremum bene conuenisse suspicio inde fuit maxima, quòd hunc sæpius à se ablegare monita id facere detrectasset, causans nihil esse necesse eiicere quem non antè admisisses. Extiterunt & aliæ quæ herbas, balnea, vnctiones, aliáque id genus præceperint, quæ ægris administrasse frustra non fuisset. Postremò & minuunt eiusmodi sanationis beneficium vel morbi perpetuæ reliquiæ: vel eius in alterum sæpè etiam cum grauiore dolore, ac cruciatibus translatio. Nempe hoc eo redit, quod iam sæpius dictum est: vt integram prædam nunquam sibi de manibus eripi patiatur Dæmon: sed delibatum ad minus quid superesse oportet, quod ei cedat in nauatæ operæ pretium, ac mercedem: Sic cùm alicui ex pacto ministerium suum, atque operas locat: quam etiam ob causam familiarem, atque assiduum vulgus vocat: hoc præcipuè in lege locationis cauet, vt aut certum sit tempus, intra quod domino alteri se ille attribuat, aut sibi ius sit in eum quæ velit pro libidine agere. Qua necessitate cùm patrem illius Germani, de quo ante in Mallotij [11] historia memini, præcisè obstrinxisset: nec is tamen instante die, quo implenda erat conditio, reperiret in quem se tam lepido famulo exoneraret: nouissimè & coactus est cum

11. Cap. 9. lib. 1.

cum filio vnico eam pestem, perniciémque communicare, à quo repetendum pactum, ac de nouo ineundum fœdus fuit: sed breuior dies in eius conditione est dictus, ac constitutus: vt eo imminuto temporis spatio, ac deinceps alio qui postremus se in illa retia, plagásque coniecisset ijs inuolutus periret, prædáque venatori fieret. Quod & ita Germano illi euenit. Nam cùm miser neminem nancisci potuisset, qui eum ab illa veluti statione, atque excubijs eximeret: ne ipsum quidem Mallotium, qui de ea re spem illi aliquam iniecerat, ad extremum cùm per Italiam vnà cum hero viam haberet, equo nec cespitante etiam vigilans prolapsus, atque extinctus momento est.

Quod extremum esse potest post exactam per omne scelus, impietatemque vitam mors propria accersita manu ad id Dæmones sedulò suos hortari, atque impellere: maximè vbi illis indicij periculum imminere vident. Sed hoc tam crudele mentis consilium Deum sua benignitate, clementiáque sæpè confringere, ac contrà potius ad pœnitentiam salutarem eos adducere.

CAP. VI.

FAtentur omnes qui se in potestatem Dęmonis permiserũt, adeò sibi esse apud eum inclementem, atque iniustam seruitutem: vt sæpè animum subeat eius iugum excutere, ac ad pristinam libertatem contendere: sed eum sedulò obstare, ne faciant sola ad id relicta illis via, si sibi ipsi manu sua vitam exhauriant. Ergo tum eius tyrannidis tędio,

tum scelerum conscientia, sæpè etiam metu grauioris supplicij, quod eius criminis manifestos indubitanter manet, mortem sibi ipsi consciscunt: alij quidem suspendio, alij vulnere, alij in fluuium vel puteum præcipitatione, alij alia aliqua via: quæ certè nunquam non est in procliui, quoties id ita facere in animum suum induxerunt. Imò tam subita, repentináque mors eius facinoris molitionem consequitur, vt nullum satis promptum ab occurrentibus impedimentum cõtrà afferri possit: Adeò Dæmon, quem in hoc adniti certum est, rem totam vrget, atque approperat. Quod & omnino indubitatum facit ipse vix credibilis patrandi eiusmodi facinoris modus: Siquidem memini vidére me sontis cuiusdam (ei Sedenario nomen fuit) cadauer, cui collum tantum religatum esset ad os in parietem non adeò tenaciter defixum tenui ex indusio fasciola putrido stamine intertexta, genibus in terram penè inflexis, ac deuolutis. At id ita positum tam commodè sua anima defunctum fuerat: quàm si è trabe sublimi canabea, validáque reste innexum pependisset: ac carnifex aliquis haud segniter operi manus admouisset. Et plerique omnes, qui sic vitam deserunt, simili celeritate, ac facilitate pereunt. Non est tamen miseris illis perpetuò idem, qui modò dictus est, vitæ exitus, calamitatúmque finis: sed vt est diuini pastoris ineffabilis benignitas, & clementia, abductas à lupo oues sæpè ad ouile reuocat: denuóque cœlesti gramine pascit, ac recreat. Hinc adeò est, quod multi simul ac in vincula sunt coniecti admissorum confessiones non eousque differunt, dum tormentis ab eis exprimantur

mantur:ſed ſponte & cum magna animi alacritate exponunt:læti, vt aiunt, ſibi oblatam eſſe occaſionem, qua poſſint leui miſerrimæ vitæ diſpendio tantam à ſe calamitatem æternum depellere. Ioanneta Gallæa [1] amplum de hoc documentum reliquit, cùm ſupplex à quæſtore efflagitauit,ne meritas à ſe pœnas longiùs traheret:ſe enim eas æquiſſimo animo paratam dependere,vt eam impietatem quam ſummam in Deum admiſerat citiùs poſſet expiare. Nicolæa Morelia [2] ab eo tempore, quo crimen ſuum Iudici retexit, non ceſſauit ſe beatam prædicare, quæ ſic ſe vt anteà poſſet Deo aſſerere ab omni Dæmonis ſeruitute liberum:Iámq; triennium perpetuum hoc ſibi in animo fuiſſe facere: ſed non quiuiſſe,ne attentare quidem : adeò tenax eſt ſuę prædę archiplanus ille. Catharina Latomia [3] Marchenſis non negabat, quin eſſet pro tantis ſuis flagitiis extremas pœnas merita,tum Iudicis etiam ſummam indignationem: ſi quis tamen gratiæ locus ſupereſſet,hoc ſolum ſibi adiici poſtulabat, ne mors vlteriùs differretur, quo ſe quàm citiſſimè ſiſtere poſſet pro eius Iudicis tribunali, in quo ſpem ſuam omnem poſitam habebat: Sibi enim vel grauiſſimo operi iam eſſe animam. Idatia Miremontana [4] obnixè Iudicem rogabat, vt ſe quàm citiſſimè morti addiceret: neque enim etiamſi vinculis abſolueretur,liberum vnquam futurum, vt reſipiſceret, ac ad meliorem frugem ſe reciperet: quod Dæmoni fidem ſuam obſtrinxiſſet: quam vti importuniſſimo creditori quin exolueret defugere non poſſet, quamdiu in vita maneret. Apollonia à Freiſſen [5] morte ſibi gratius nihil contingere poſſe aiebat:

1. Sandominici v. Id. Nou. 1586.

2. Serræ, XIIII. Cal. Febr. 1587.

3. Haracuriæ III. Non. Febr. 1587.

4. Pranaiij prid. Cal. Aug. 1588.

5. Freſſenij v. Id. Aug 1589.

aiebat: quo tandem ſceleratiſſimæ ſuæ vitæ finem aliquem inueniret: Neque enim ab iniuria & maleficio quoad viueret temperare poſſe: quòd ad ea Dæmonem aſſiduum hortatorem haberet, cuius etiam mandatis, atque imperio niſi morte ſe exoluere nõ poſſet: Craſtinus igitur illi dies priuſquam alius eas omnes miſerias clauderet, viámque ad cœleſtem patrem aperiret, ac patefaceret. Antonia
6. Mercatrix [6] nihil ſe iã æquè cupere, quàm vt citiſ-
Emeliniȷ ſimè viua in ignem ponatur: quòd id ſit ſe etiam
III. Calē. Iun. 1591. iudice pridem merita. Non deſunt & qui ſe iterum ſacramento initiali expiari poſtulent, rati ſe ea ratione in Chriſti familiam rurſus cooptari poſſe. Ea
7. de re memini me videre in Ioannæ Granſanctæ [7]
Condaeȷ percontationibus efflagitationes ſatis multas, ſed
menſe Iul. 1582. quas pius Iudex meritò deriſit, ac reiecit. Quæ enim (malum) inſania eſt id poſtulare repeti quod & omnes ſciunt ab Eccleſia ſemper damnatum, ac prohibitum fuiſſe? Reperit tamen is error noſtra etiam ætate ſuos defenſores, quas merito confutatione dignos nemo adhuc quod ſciam exiſtimauit.

Eiuſdem argumenti cum ſuperioribus alia quædam exempla.

CAP. VII.

IStius tam nefandi criminis ſumma ſæpè in eo conſiſtit, ſicut ſuperiore capite dictum eſt: vt poſtquam ætatem ferè omnem per tot impietates, ac ſcelera traduxerunt Sortilegi, quantulum illiusupereſt, id per vim ſibi ſua manu præcidant, ac ſceleratiſsimam vitam tandem interitu ſempiterno abrum

ne abrumpant: ſic vt quos viuos flagitijs, eos defunctos ſupplicijs Dæmon indeſinenter exerceat. Id adeò oſtendit quod ſequitur Deſiderij Finácij [1] Mandrenſis facinus: Eum forcipibus candentibus inurendum, ac deinde in ignem viuum dedendum Duumuirum Nanceianorum collegium, ob cumulatum parricidio ſortilegium grauiore ſententia pronuntiauerat. Id igitur ſiue per Dęmonem ſuum reſciuerat, quod alijs quibuſdam eueniſſe pòſt demonſtrabitur: ſiue ipſe tam horrendi ſceleris conſcientia præſagiebat, ſtatuit ſpontanea, ac voluntaria morte effugere. Ergo arreptum cultellum, quem fortè cuſtodia incautiùs in ciſta cum pane recondiderat, in fauces quantum potuit adegit, atque ita perijt. Et hoc atque ſuperiore anno memini plus minus quindecim in Lotharingia fuiſſe, qui ſic duriùs vitæ ſuæ conſuluerunt, vt ſe exemplo publico ſubducerent. Quorum ego obruere, quàm renouare memoriam ſatius eſſe duxi: ne horrore perfundantur legentium animi, ſi hîc tot nefandis, ac furialibus ſpectaculis ſcenam inſtructam habeant. Conuertam igitur, ac traducam orationem ad ea, quę exitus meliores habuerunt. Neque enim (quod ait quidam) ferit ſemper quodcumque minatur arcus: Nec ſemper eſt in manu Satanæ, vt homines violentia ſua quò vult impellat: Vt tentet, hoc permittitur; vt præcipitet, non ita. Hinc eſt quod non ipſe deſperabundos, vel in flumina abiicit inuitos, vel laqueis trabi annectit, vel cultris trucidat; ſed tantùm hortatur, vt id malè ſani exequantur: Iis autem omnibus ſæpè intercedit, qui imbecillitatem hominũ miſeretur Deus: modò hoc

1. *Sandeodati prid. Id. Iul. 1581.*

modò illud præsidium pro sua sapientia opponens: vti sequentibus exemplis magis fiet manifestum. Ioanna à Banno testatum spontanea confessione reliquit, nulla in re adeò importunum suasorem habuisse Dæmonem, quàm vt se aut in puteū deiiceret, aut in profluentem mergeret, aut reste implicaret, aut omnino quauis alia ratione perderet. Dicíque non posse, quàm in eo frequens esse cœperit, vbi præsensit illam iamiam comprehensione esse deuinciendam: vt qui videret bolum sibi è faucibus eripi: Ac ne post quidem ab incœpto destitisse, sed acrius, & maiori etiam studio, ac importunitate post ipsam comprehensionem vrsisse id vt perficeret: Quóque factum minus defenderet difficultatis excusatione, ostēdisse in carceris obscuro angulo neglectam catenam, quam si vellet posset collo aptare, atque illa fauces sibi frangere. Eóque iam res processerat, vt placeret consilium: sed hoc ad consummationem defuisse, quod nihil sese offerret, vnde catena religaretur. Annæ Drigææ [2] idē etiam persuadere conatus erat: Nam cùm flammarum quarum erat cruciatibus interficienda horrorem, simul & exempli, quod editura erat, dedecus atque infamiam ob oculos posuisset: tum facilè obtinebat, vt hæc morte voluntaria præuerteret: tum facilè obtinebat, vt hæc morte voluntaria præuerteret: sed contrà præsentis mali fuga, atque auersio quæ omnibus naturaliter inest, tum fortè salutis animæ certissima amissio, quæ à perditissimis quibusque etiam metuitur, animum in cōtrariam sententiam distrahebant. Ergo illud consilium constanter reiecit. Tale autem id erat, vt in carceris superiorem

2. Haracuriæ IIII. Id. Nouem. 1585.

periorem fenestram sese extolleret, vnde paratum ostendebat pręcipitium. Desiderium Guerardum 3 cum nullis ad eiusmodi facinus rationibus adducere posset: hoc etiam ad suasionis cumulum adiiecit futurum, si sic vim sibi afferret, vt euaderet in sibi similem Dæmonem; in cuius potestate futurum esset quæ vellet agere: sed ne hoc quidem illum labefactare, ac à sententia dimouere potuit. Siquidem tot eius anteà elusus dolis, consilia eius omnia suspecta habebat, in nulláque amplius morem ei gerere certum erat. Tum hæc illi nō placebat ἀποθέωσις tam à Diuorum quæ prædicatur sorte aliena.

3. Venezaeij. XIII. Cal. Nouem. 1581.

Valde pertinaces esse Dæmonum manus, nec facile iis eripi, quod semel corripuerunt: Inde esse, quòd non modò in vinculis; sed & in tormentis constitutos obnixè retinent: ne sua se confessione sortilegij cuius accusantur manifestos faciant: ac tandem admissorum pœnitentia ducti resipiscant: sed sæpè in nihilum illis eos conatus, atque obstacula Deo sic volente recidere.

CAP. VIII.

Partam semel in homines potestatem adeò obstinatè tuetur, ac retinet Dæmon: vt ne constitutos quidem in vinculis, ac iam veluti in tutelam Iudicis receptos manu sua mittat, opéque destituat. Quod etsi omnibus, qui hæc tractant, ita palàm est, vt otiosus videri possit, si quis de hoc instituatur sermo: non pigebit tamen ad detegendas magis, magísque veteratoris illius artes, propria quædam in hanc sententiam ascribere. Ac primum vt

1. Blainuillæ, v. Calen. Mart. 1587. Quirinam Xallæam [1] statim ac in carcerem condita fuit, inuiserit, monueritque non euasuram illinc, nisi quæstionum tormentis durissimè exagitatam, atque examinatam: ferret modo tacita exigui temporis dolores, certam post adesse libertatem: se interim vbi res postularet non defuturum. Atque vt is prædixerat, ita illi non multo pòst euenit: Nam dum in tormentis erat, ac validè ijs premebatur, ille se eius reticulo crinali submisit non cessans addere animum, ac spondere iamiam adesse cruciatuum finem. Ac si fortè eos paululum, vt intermitteret tortori Quæsitor innuebat, id ille præuertens ceu à se factum miseræ illi prænuntiabat. Sed cùm iam nullus esset dolorum modus, & amplius tolerari ne ab obfirmatissimo quidem possent: erumpẽs illa, Amouete me hinc, ait, satis verborum hîc mihi meus dedit perfidus: en parata sum verum fateri: Ac sic à Dæmone quem disertis verbis prius abiurare iussa est libera ordine rem omnem ab eo, quo se illi addixerat, die recensuit. Anna Xallæa [2] non absimile huic factum, totidémque ferè verbis recitauit: nisi quod non crinibus, sed imis faucibus Dæmonem suum cùm torqueretur occlusum habuisse se dixit. Nimirum quo faciliùs locuturæ vocem inhiberet, si fortè per doloris impatientiam admissum fateri vrgeretur. Nec ea res suo indicio illos fefellerat, qui tum præsentes affuerant: Aduerterant enim tortæ fauces in eum tumorem excedere, vt mentum ipsum sua elatione propemodum adæquare viderentur: Tum adeò liuore decolorari, vt facilè intus angorem inesse maximum coniicerent. Eamdem Francisca Fellæa [3] necessitatem

2. Blainuillæ v. Calend. Mart. 1587.

3. Pangæij v. Id. Noueb. 1584.

silentij

ſilentij ſibi à Dæmone allatam memorauit: ac præterea ita occluſas ad vocem Iudicis aures habuiſſe, cùm is primùm illam interrogaret, vt nihilo plus audiret, quã ſi is nihil omnino loqueretur: ſed tandem ſuperata incantatione, ac veritate à ſe tormentis expreſſa, non ceſſaſſe ab eo tempore Dæmonem de nece illi minas intendere: Rogare ob id ne ſe incomitatam relinquant: præſertim de nocte cuius ſolitudo maximè eſſet oportuna illius iniurijs. Anna Morelia 4, atque alij quidam aiunt, cùm in tormentis eſſent non conſtitiſſe propius ad ferendam opem, quàm extremis equuleis, vnde æquè locutu-ris vocem inhibebat, ac ſi auribus ipſis ſeſe totum inſeruiſſet. Certè dici nequit, vt ſemel conquiſitam prędam mordicus retineat contra Iudicis artes, vel exquiſitiſſimas. Quas etiam tam ſæpè ſolet eludere, vt non pauci eo adnitente debitas ſcelerum pœnas ſæpenumerò effugerint. Multi enim (inquit Iamblichus) 5 admoto igne non vtuntur, ignem videlicet repellente Deo intus afflante: vel ſi vruntur non perſentiunt, neque pungentia percipiunt, vel radentia, vel vlla tormenta. Equidem memini videre me qui ſemel, biſue è carcere prò inſontibus dimiſsi, ac tertiùm comprehenſi demum crimen ſuum faterentur; quo nihilominus ab initio tenebantur. Ex ijs vnus Franciſcus Fellæus 6 nunc ſuccurrit, qui cùm è capitis iudicio bis celata veritate, ac ſuperatis tormentis emerſiſſet: tertiò delatus, ac in noxa deprehenſus, ſeras quidem, ſed graues ſceleris pœnas confeſſus tandem dependit. Imò nec defuerunt, qui vim quæſtionis perferrent inconfeſſi, ac cùm iam è reis eſſent eximendi, celatum

4. *Hadonuillæi. III. Calen. Decem. 1581.*

5. *In libr. de myſt. ægypt. ca. Miracula multa fiunt.*

6. *Pangaij XIIII. Cal. Ian. 1587.*

eousque crimen suum detegerent. Eius rei fidem fecit annis superioribus Margareta Valtrina: quæ cùm horæ spatium integrum in carnificum acerrimis tormẽtis mansisset: nec ob id durius in se quicquam esset locuta: tandem iam dimittenda, accersi voluit Iudicem, apud quem primùm obstinationis suæ precata veniam, à capite vti eam Dæmon inescasset, ac deinde per omnia flagitiorũ genera exercuisset, arcessiuit. Non est & illud memoratu indignum, quod Alexiæ Belhoriæ7 idem facere cupiẽti contigit, stupentibus præ admiratione, qui tũ aderant omnibus: Cùm enim ad eiusmodi spõtaneam confessionẽ se accingeret, ac à Dominica oratione, vti mos est Christianis, auspicaretur; in murũ, quem post se habebat, auersa ruit tanto impetu, vt pro enecta iam multis tollenda videretur; Sed paulatim ad se rediens, ac deliquij causam rogata: Non videtis, inquit, sublecto prostratum carnificem, qui me modò faucibus cõprehensam penè præfocauit? En etiam vt terrorem vultu minaciter obiicit, atque quantum potest inhibet, ne de se verbum vllum dicam! Nec me nunc quidem primùm à vero dehortari tentat; nam iam cùm torquerer, in aurem sinistram se pulicis instar intulit, monens sedulò linguam vt temperarem, nec vinci me sinerem exigui temporis non admodum vehementi dolore: sic veluti strenuus pugil non conquiescit, neque defatigatur, dum superest certandi copia, atque occasio; Nec prius vnquam destituit quos semel habuit obsequentes, quàm ipsi illi, ceu agni lupo, fuerint erepti: Quod etiam cùm præsentit, ac coniectat futurum: sæpe vel prauis consilijs, vt cùm ad suspendium,

7. *Blainuilla XVII. Cal. Febr. 1587.*

pendium, ſpontaneámque mortem impellit: vel re, ac facto, vt cùm collum ipſe obtorquet, verberibúſue necat; vel aliqua alia via, quæ exitium afferat (ſi non Deus auertit) anteuertit: quod proprijs, ſuiſque exemplis alibi fuſiùs eſt demonſtratum. Aut ſi ne hoc quidem licet, at ingratum, iniucundúmque aliquid ſi poteſt facit: ne omnino innocuus abeat. Sic Catharina Latomia [8] Marchenſis; etſi ea erat adhuc ætate quæ virum ferre non poſſet: bis tamen in carcere ab eo compreſſa eſt, illius odio, quod paratam videret crimen ſuum cõfiteri: ex quo etiam vitio parum abfuit, quin ea moreretur. Hîc mouent quæſtionem, an pacti quo primum cum Dæmone conuenit ſagas eo inuito pœnitere poſſit: an potius ea quoad viuant ſeruare neceſſe habeant. Et de hoc quidem, ſi ſententiam dicat Iuriſconſultus, pacta quæ turpem cauſam continent negabit eſſe ſeruanda. Sed nunc de iure non ambigitur: hoc modo quæritur [9], an quemadmodum more militari tráſfugis negatum eſt poſtliminium: ita & ijs qui ſemel à Deo ad humani generis hoſtem deſciuerunt præcluſus ſit omnis aditus miſericordiæ Dei: ſic vt à partibus in quas ſemel tranſiuerunt, nunquam diſcedere liceat. Et hoc quidem qui affirmant inde eſſe dicunt: vel quòd pœnitentia, quam peccatorum remiſſionem præcedere oportet [10], nulla vnquam ducantur: inhibente ſcilicet illam Dæmone, quem omnium ſuarum actionum aſſiduum monitorem habent: vel ſi quæ animum ſubeat Iudæ proditoris perſimillimũ eſſe [11]: cui admiſſum quidem facinus diſplicuit: nihilominus tamen reſipuit, ad Deúmq; eſt conuerſus: ſed potius deſperatione vltima affectus, mor

8. *Haracuriæ IIII. Non. Febr. 1587.*

9. *L. Item eì. Ex quibus. cauſ. maio.*

10. *Matth. cap. 3. verſ. 2.*

11. *Matth. cap. 27. verſ. 3.*

ctus mortem damnatissimam sibi sua manu quæsiuit. Quod & sagæ, vt alibi dictum est [12], sæpè faciunt. Et hoc quidem non sum exagitaturus Theologorum rationibus: sed tantùm id quod de sagarum peruicacia, pertinaciáque ex earum quæstionibus non paucis compertum habeo lectori communicare. Et certè plerasque memini me audire, quæ dicerent non semel incessisse se cupidinem amoliendorum à se suorum Magistellorum: tum quòd ab iis data sibi verba iam viderent: tum maximè, quòd eorum intolerabilis esset crudelitas, atque sæuitia: non quiuisse tamen se illis expedire: quòd statim ac ea animum subiret cogitatio, adessent coràm, atque id consilium verberibus etiam animaduerterent. Ac si ne id quidem facerent: tamen ad irritum cecidisse, quæ ad eam rem adhibita essent, remedia omnia. Agathina Francisci Sartoris vxor [13], cùm eam tam duræ seruitutis tæderet; quod multi efficax ad id remedium esse, sed impiè putant; eo ipsa tandem vti decreuit. Ergo in Saruerden vicinum oppidum proficiscitur, iter comitante Eua Albentis Vvon Kirchel filia, atque à loci curione se iterum baptismo lustrari curat, ea ipsa Eua proparentis in hoc faciente officium: Nihilo magis tamen destitit nequam ille spiritus eam pugnis, calcibúsque posteà impetere; sordibus vndiquaque oblito ore fœdere, ac quàm potuit indignissimè habere. Non inculcabo quod villæ ad Ionam [14] puellulæ cuidam accidisse iam dixi: scilicet semel à sortilega matre malis artibus initiatam nullis contra institutis tam sanctè informari potuisse: quin in ea ius aliquod semper sibi Dæmon retine-

ret, ac

12. *Libri huius cap. 6.*

13. *Hess. Pittelangij XII. Cal. Octo. 1590.*

14. *Li. II. c. 2.*

ret,ac vendicaret. Nempe hæc vera pridem querela fuit, nunquam tam benè detersum mortarium reperiri;quin in eo contusarum herbarum odor aliquis supersit.Quod ego sic dictum non intelligo: quasi Chironium, quod aiũt,atque immedicabile vulnus id esse existimem:Nunquid enim qui cadit non adiiciet,vt resurgat [15]? Et qui auersus est non reuertetur? aut quis Dominum impediet,ne soluat compeditos, illuminet cæcos, vincula disrumpat? Sed hoc dico Sagas maximè,dum sui sunt arbitrij, id est nulla vrgentur disquisitione,custodia,equuleis, celatum quoad earum est hoc totum semper habere,mordicus tenere:Vt credam illis ab ea quę sic putatur carceris miseria: etsi ne id semper quidem,vt modò dictum est,necessarium prorsus Deo sic permittente, ac culpam earum expiante salutis esse initium. Quemadmodum ab infensissimo hoste aperta Pheræi Iasonis vomica,quam medici sanare non poterant, eum ab imminente, certáque morte vindicauit: vt hîc quod circumferunt nostrates prouerbium, si alibi vsquam verissimè possit prædicari per infortunium,ad fœlicitatem commodissimam sæpè viam aperiri. Cuius rei vel illud abundè magnum est argumentum, quod vno ore omnes sagæ dictitant, illum sibi miseris libertatis diem primum illuxisse, quo Iudex vim, terrorem, cruciatus admouisset:Rogare ideò vehementer ne se iudicio absoluerent,ac rursum tyranno illi in seruitutem traderent: Vnicum superesse remedium,si interea dum resipiscerent, admissorúmque pœniteret, citissimæ morti offerrentur. Alias quas iudicio prodidisset compertas, ac confessas sic mulcta-

15. *Hierem. 8.*

rent: Neque enim aliter finem ſceleribus, maleficiiſque ſuis facturas, vel ſi id maximè cupiant; adeò non ceſſat ſuis tantiſper Dæmon imminere, atque inſtare, dum ſunt à cuſtodia illa liberæ, nec adhuc in iuris ceu aſylo concluſæ, ac conſtitutæ: ſed hæc magis eſt vt Theologorum, quod iam diximus, iudicio relinquamus, hoc modò contenti recenſere quod ſic obſeruauimus.

Multa eſſe, quæ à noſtræ ætatis quæſitoribus contra ſortilegos, priuſquam eos tormentis adhibeant, vſurpari ſolent ad impediendas, quibus tormentorum vim eludere dicuntur, incantationes: ſed parum laudato more id fieri, quod ſit, vt eſt in prouerbio, clauum clauo extundere, malum malo depellere.

CAP. IX.

PLerique (aiunt Vlpianus [1], & Fabius [2]) ſic tormẽta contemnunt, vt patientia facile mendacium faciat. Quod & de Leæna meretrice, Anaxarcho, Antiphila Cyrenenſi, aliiſque multis ſcriptum reliquerũt Plinius [3], & Valerius [4]: quotidianáque adeò experientia iam tritum, vulgatúmque eſt. Verùm cùm vel id à corporis duritia: vel ab animi obfirmatione, ſæpè proficiſci cõſtet: minus iam mirum, nouúmque videri debet: ſiquidem eo prôgredi poſſe humanam tolerantiam. Et Marius [5], qui inciſi cruris vehementiſſimos, diuturnóſque dolores tacitus tulit: & Lacon [6] puer, cui celata ſub veſte vulpecula nulla viſcerum laceratione, dilaniatio-néque, vel minimam doloris vocem exprimere potuit,

1. l. 1. §. in cauſa De Quæſt. D.
2. Inſtitut. orator. li. v. cap. 4.
3. Li. Hiſt. na. VII. ca. 23.
4. Lib. VIII. cap. 4.
5. Plutarch in eius vita
6. Idẽ in Laconicis apophthegm.

potuit; satis, superque demonstrant. At quod distorta, contenta, per vim adducta brachia, & quod de Mummolo præfecto sub Chilperico refert Gregorius Turonensis7, pòst tergum è trabe reuincta: vel ad trocleas extensa: subterfixi etiam sudibus vngues nullo doloris sensu afficiãtur; somnúmque, qui nisi in quiete capi potest, contra sępè concilient: hoc certè omnium fidem longè vincit, ac superat. Et tamen res est sic nota, ac perspecta ijs, qui sontes, maximéque sortilegij delatos istiusmòdi tormentis exercent: vt in hoc præcipua cura incumbant, qua ratione artem arte deludant, clauum clauo extrudant. Ergo alijs cautio est, vt à lictoribus sublimes de domo tollantur, ac abrepti à terra, Anthei instar, in carcerem deportentur. Quem morem in vsu presertim habent Germani, qui vastum regnum incolunt: simili puto ratione, qua Vogesi nostrates, præsertímque rustici nupturas, atque ad sacra connubialia properantes virgines validissimorum duorum hominum implicatis, atque innexis brachijs in ipso domus limine imponunt, atque ita sedentes in ędem sacram efferri curant: rati omnem carminibus, incantationibúsque, si quæ fortè ad impediendum matrimonium posteà intercedant, ea re præcludi viam, atque aditum. Aliis hoc curæ est, vt detracta omni veste tunica interiore induant, quam vno die neuerint, texerint ac consuerint: Namque operosum, & difficile esse conuenit, quòd tantam difficultatem vincere, atque expugnare queat. Sunt & qui ab imis plantis pedum ad verticem capitis vsque depilatos, ac derasos tormentis exhibeant: quòd Dæmonem in crinibus, ac

7. Li. VI. hist. Franco. ca. 35.

pilis receptum habere credant. Quod iam olim Domitiani Imperatoris iussu in Apolloniũ Thyanæum vsurpatum testatur Philostratus [8]: Nam & is sibi à crinibus visiones nasci non semel antè dixerat, ferrúmque ob id ijs admoueri valde metuebat. Et non ita pridem Alexia Gallæa Betuncuriana [9], cùm maximè cuperet maleficia sua quæstori palàm facere, nec tamen id posset per præsentem, vt aiebat, Dæmonem: rogauit sibi crines abscindi, ac in ignem poni. Quo facto cœpit statim omnia numerando percensere, quæ eius ductu, atque auspicio admisisset. Sic fortè operum Dei vbique ęmulator improbus Dęmon hoc illius effingere voluit: quod de Sampsone in Bibliis legitur [10] comæ tonsuram illi interdictam fuisse oraculo, si vires sibi fato attributas incolumes, ac saluas habere vellet: quod earum sedes in capillitio esset cõstituta. Non desunt & qui iniecta in os frigida inde putent deturbari Dæmonem. Rosa Gerardina [11] fatetur hac vna re adductam se, vt verum fateretur, aliásque omnes premendi rationes se pro nihilo habuisse. Quod sequitur iam multorum opinionem sua experiẽtia obtinuit, eáque adeò quæ magni nominis principem hoc ipso anno Serræ, qui pagus in ditione est D. Ioannis à Lenuncuria testem, spectatorémque habuit. Quadrupedes constringuntur, ac in lacum frigida oppletum immerguntur; si incolumes enatant, pro manifestis: sin submerguntur, pro insontibus habentur. Quod etiam Desiderius Gandonius [12] inter alia, quæ affirmabat sortilegorum propria pro indubitato enarrauit. Qui mos à Saxonia [13] Occidentali, maximéque à Vvestphalia ad

8. *In Apollonij vita, cap. 3. Lib. VIII. & lib. VII. ca. 14.*

9. *Mirecuriæ VII. Id. Dec. 1583.*

10. *Iud. 16.*

11. *In agro Stiuensi Non. Nonem. 1586.*

12. *Salsuriæ ad Barisiũ Non. Mart. 1588.*

13. *Lex prima constitut. Neapol.*

ad nos primùm peruenisse creditur: Et anteà ij fortè illum acceperant ab Illyriis, ac Triballis. Nam & apud eos mulieres fascinatrices fuisse, quæ ne veste quidem degrauatæ mergi possent, refert ex Isigono Plinius [14], Spranger [15], & Institoris aliud à se obseruatum memorat: vt scilicet auersæ ad quæsitorem rapiantur. Quæsitoris siquidem animum illas miseratione occupare: imo potius fascinare, si eum vel tantillum aspectu præuertere queant. Non minus [16] quàm qui hominem videre prior occupat basiliscus, aut etiam lupus:

-- *lupi Mœrim videre priores* [17].

Quarum omnium rerum causam si quis studiosius exquirat, non aliam puto probabiliorem reperiet, quàm quod Dæmon talibus experimentis occasionem consulto præbet: materiámque veluti subministrat, qua homines ad tentandum Deum procliuiores efficiantur: dum scilicet ea omittunt, ac negligunt, quæ ad manum sunt remedia aliena insolentia, & quæ Dæmonem authorem, monitorémque potius habent sectantur, ac probant [18]. Quæ longè maxima in illis est impietas: quámque Deus olim dipsádum venenatis morsibus in Israëlitas vindicandam censuit: idem nisi ab ea nobis temperamus in nos exemplum editurus Satanæ, qui serpens antiquus est [19], paratúmque semper habet, quo inficiat, venenum nos permittendo, ac condonando. At, inquiet aliquis, isto aquæ periculo, imo laminæ candẽtis, ignitorúmque vomerum, quod longè sæuius est, olim vsos fuisse Christianos testantur sacri canones [20]: Et iam anteà Moses potionem cum execratione, & deuotione ijs mulieri-

14. *Hist. nat. lib.* VII. *ca.2.*

15. *Tertia partis Quæst.* 15.

16. *Plin. Hist. nat. lib.* XXIX. *cap.* 4.

17. *Virgil.*

18. 1. *ad Corint.10.cap. vers. 9. & Numer.* 21.

19. *Apocal. c. 12.ver.9.*

20. *ca. Mennã. 2.q.4.*

bus dari iusserat, quæ stupri essent insimulatæ; quo rei veritas, quę alioqui in occulto erat, mansura lucem suam obtineret: Neque tamen quisquam eo zelotypiæ sacrificio (sic enim vulgo appellabant) tentatum fuisse Deum dixit: cùm id ex eius præcepto esset: vti in Numerorum libris [21] perhibetur.

21. Lib. v.

Sed hoc eius ætatis proprium fuit exemplum duræ ceruicis populo in adulterium, cuius tum frequentissimæ erant occasiones, pro tempore id concessit Dominus, qui (vt inquit D. Augustinus [22]) nouit quid quemque pati, ac ferre oporteat. Neque tamen nûc rectè in argumentum adduci potest, cùm peregrina eiusmodi iudicia Christianis prohibita sint, atque interdicta [23]. Euangelij siquidem disertis verbis monemur occulta, incognitaque illi relinquere: qui solus nouit corda filiorũ hominum, nec ea aliter rimari, atque indagare, quàm iudiciorum ordo postulat: voluntaria scilicet, aut expressa à reis confessione, testiúmq; non iure refutatorum manifestis, ac indubitatis elogijs: Nemo enim (inquit D. Augustinus [24]) qui quod rationabili consilio fiat habet, Deum suum tentare debet. Facessant igitur è nobis istæ inquisitiones illegitimæ, illicitæ, ac damnatæ, ne meritò audiamus, quod olim à Pharisæis Christo per summam iniuriã obiectum est: Nos scilicet nõ eiicere Dæmonia, nisi per Beelzebub principem Dæmoniorum [25]: aut quod Eusebius ad Hieroclem scribens de quodam loquitur δαίμονα; ἀπελαύνει ἄλλον ἄλλῳ δαίμονι; nos itidem illis artibus, quas in sortilegis damnamus, accusamus, ac reprehendimus: ipsos tamen aggredi, tentare, ac ad pœnam, suppliciúmq; rapere: Et quod facti indi-

22. In lib. Quæst. Exod.

23. Can. Ex tuarum de purg ca. fi. de purg. vulgari d. can. Mennam. 2. q. 4. & can. consuluisti eo.

24. Lib. 1. Quæst. Genes. qu. 26.

25. Matth. c. 4. vers. 24.

gnitatem etiam auget legis, iudiciorúmque ſpecie abumbrare: authoritate defendere, atque adeò poſteritati in exemplum, documentúmque relinquere. Nam certè more hominum euenit, vt qui in eorum animos publicè inuaſit error, hunc poſteriores mordicus teneant, ac, quod loquuntur iuris doctores, pro veritate habeant. Recti apud nos locum tenet error (inquit Seneca [26]) vbi publicus factus eſt. 26. Epiſt. lib. 22. Epiſt. 124.

Futurorum ſcientiam Dei eſſe propriam: ſi qua porrò Dæmones præditi eſſe videntur, vel præſenſionem tantùm eſſe, & coniecturam ex præteritorum ſagaci inductione: vel eorum, quæ ipſi aliquando conſtituerunt facere, prædictionem affectatam: vel denique eorum, quæ è longinquis, variiſque regionibus maxima celeritate conquiſiuerunt, præoccupatam nuntiationem.

CAP. X.

PEnes vnum Deum eſſe rerũ futurarum cognitionem, ac prouidentiam loquuntur omnes, qui pietatem aliquã colunt, ac retinent [1]. Et Chriſtus [2] id ſe ſuos ambitioſius de inſtaurandi regni Iſraëlitici tempore quæſtionem afferẽtes coërcuit; inquiens non eſſe illorum ſcire tempora, quæ pater in ſua poteſtate poſuiſſet. οὔτε γὰρ (inquiebat Socrates [3]) χαρίζεσθαι θεοῖς ἂν ἡγεῖτο τὸν ζητοῦντα ἃ ἐκεῖνοι σαφηνίσαι οὐκ ἐβουλήθησαν. Pindarus quoque etſi ea vixit ætate, quæ mortalium menſes prauis Dæmonum erroribus adhuc implicatas habebat; cæcam tamen futurorum ſcientiam apud homines eſſe dixit, ad éaque ſolam diuini luminis perſpicacitatem, atque acumen

1. D. Io. Chriſoſto. homel. 18. in Ioan. Iſaiæ. 41. Daniel. 2.

2. Act. Apoſt. cap. 1.

3. Xenophon. lib. 4. de dict. & fact. Socra.

4. *Apud. Gellium Noct. Atti. lib. 14. ca. 1.*

men penetrare posse idem sentit Pacuuius[4].

Si qui (inquit) *quæ euentura sunt præuideant,*
Æquiparent Ioui.

5. *Apud. Philostr. lib. 3. c. 13.*

Apollonius Tyanæus[5], qui nihil eorum, quæ scire possent homines, ignorare se professus est: diuinandi tamen artem omnem humanæ naturæ metas excedere, & vtrum quispiam verè ipsam nosceet, se nescire dixit: Imò etiam[6] se perhorrescere, tanquam de Diis, malè sentientes, qui quæ Deorum sunt sese prænoscere audent asserere. Iulianus quoque cognomento Apostata: quamuis (inquit Ammianus[7]) præsagiorum sciscitationi esset deditissimus: futurarum tamen rerum euentus superas potestates solas prædicere posse. Et tamen oppleuit hæc opinio non tantùm Ethnicos, quorũ Dij sunt Dæmonia: sed & Christianos, qui in vero Deo πρόγνωσιν, καὶ προαίσθησιν agnoscunt, vaticinijs, ostentis, oraculis, somnijs, ac diuinationibus futura præsentiri posse: Dæmonibúsque, qui ijs vulgo præesse creduntur, fatidicam vim inesse, quæ raro coniectura aberraret. Diserta est (inquiunt qui has tuẽtur partes) in eam sentẽtiam D. Basilij oratio[8]; Dæmones plerunque futura prædicere. Item D. Augustini[9] eos multo antè cognita prænũtiare, quàm eueniant: vti aliquando Serapis fecit, qui sui simulachrum intra certum tempus euertendum, omnémque de cætero sui cultum, ac religionem cum detestatione abolendam prædixit. Et Pythonissæ Dæmõ Samuëlis assimulata persona Sauli nunciauit futurum postridie vt regnum, liberósque vnà cum vita amitteret[10]. Cimoni canis[11], id est Dæmon canina specie, ac forma conspicuus, humana

6. *In oratione quam ad Domitianum habuit.*

7. *Rerum gesta. lib. 25.*

8. *In cap. 8. Esaiæ.*

9. *cap. 3. lib. de diuinat. Dæm.*

10. *1. Reg. 28.*

11. *Plutarch. in Cimone.*

voce

voce inter latratus loquutus certissimum præsignificauit interitum: Dæmon alius habitu iuuenis flaua cæsarie apparentis Iuliano [12], de quo proxime mentio habita est: prædixit illi in Phrygia moriendum esse; quod & non multo post euenit. Alia itidem, si ad recentiora deueniendum est, Guntchrammũ [13] Aureliæ, ac Burgundionum regem certiorem fecit non modò anni ac diei, verùm etiam horæ, qua Charibertus, è viuis esset abiturus. Et nunc nuper Ianæ Nicolai Michaëlis [14] vxori quatriduo, antequam in vincula conijceretur, causam veneficij dictura à Magistello suo id ita sibi euenturum certò admonita est: abundántque omnino tum veterum, tum recentiorum historiæ istiusmodi exemplis, in quibus Dæmonum prædicta, re atque euentis comprobata, confirmatáque reperiuntur. Quid ergo? nósne in eas augustias istis argumentis, atque exemplis conijci patiemur: vt concedamus Deum nequissimæ omnium, quas vnquã condidit, naturæ id communicare, quod eius in rerum humanarum dispensatione prouidentiam præcipuè ostendit, ac demonstrat? Minimè verò: sed quemadmodum cæterarum, quæ in Deo elucent virtutum vbique æmulator, atque adumbrator est Diabolus: ita & hic strenuè, si vsquam vires suas effundit, atque explicat: quòd nulla adeò re magis capiantur homines, quàm eorum, quæ impendent, siue bona, siue mala sint, anticipata, ac præcepta cognitione: Tum facilis, & expedita est illi ad hæc omnia natura. Primùm ab vltima antiquitate vnde incœpit rerum omnium memoria: quarum (vt inquit D. Basilius) comparatione, ac

12. *Zonara Annal. tomo. 3.*

13. *Aimonius Monach. de gest. Franc. lib.* III. *c.* 22 *& Greg. Turo. lib.* V. *ca.* 14.

14. *In agro Stiuensi.* IIII. *Non. Iun.* 1590.

collatione futuras coniectura nos etiam sæpè asse-
quimur Prætereà sensus quo præditus est acumen,
& subtilitas : motus quo fertur, pernicitas, ac velo-
citas : Et ipsa in mutandis, variandísque rebus
prompta facilitas. Siquidem eum morbos immit-
tere, aërem ipsum vitiare, ac corrumpere; homines
in suam sententiam illicere; nouas rebus facies in-
ducere multáque alia, vel ad prodigium facere pos-
se author est idem D. Augustinus : ad eorum, quæ
iam extant naturam renuntiationem: vel quæ im-
pendent, ac ventura sunt occupatam prædictionem
pronum iter, facilémque viam illi expediunt. Vitæ
diuturnitas primis hominibus otium fecisse dicitur
obseruandarum rerum : vnde manauit Astrono-
mia, per quam regnorum euersiones, prælia, fru-
ctuum prouentus, morbi, atque ijs similia præno-
sci creduntur. Quid igitur mirum, si, qui post con-
ditum orbem perpetuam, integram, omnísque a-
deò somni expertem ætatem traduxerunt, Dæmo-
nes aliquam sibi recordatione adeò vegeta, ac ra-
tionatione libera facultatem coniectandi compa-
rauerunt? Medici impendentes morbos ex cibo-
rum satietate, & fastidio, membrorum lassitudine,
nocturna inquiete, aliísque prognosticis præsagũt:
eorumdem, vbi incesserunt, vel pertinaciam, vel
curationem ex sudoribus, deiectionibus, multísq;
id genus signis κρισίμοις augurantur. Et hęc non mul-
to confidentius, certiúsque iudicabunt Dæmones:
quibus interiores, ac reconditiores quæque natu-
ræ latebræ magis patent, quàm dies ipse mortali-
bus appetente meridie. Exterarum gentium res ge-
stæ per equos dispositos, aliáque viarum compen-
dia ad

12. Zonara annal. tomo.3.

13. Aimon. [illegible] Monac. de gest. Franc. [illegible] Greg. Turo. li. 5. ca. [illegible]

14. [illegible] Imagini [illegible] 1590.

dia ad potentiorum aures tã citò sæpè perueniunt, vt incredibilis tenuioribus videri possit tanta celeritas: nisi eius fidem pridem confirmasset experientia. Et iam dubitamus fateri illa, quæ in remotis procul oris, ac regionibus eueniũt, eo ferè quo fiunt momento renuntiari à Dæmonibus posse: quæ deinde homines pro sensus sui tarditate mirentur, ac tanquam prognostica arripiant. Nam certè illos minimo temporis spatio maxima locorum interualla transcurrere posse, alibi proprijs ad eam rem exemplis sic est demonstratum: vt nihil nunc sit necesse idem dolium voluere. Quamquam si quis quicquam præterea desideret, huic abunde satisfacere debeant, quæ tum Græci, tum Latini authores in eam sententiam meminerunt: Castorem, & Pollucem Romæ Latinorum stragem eo ipso die nuntiasse, quo in agro Tusculano est edita: Et Locrensium[15] in Crotoniatas ad Sacram fluuium victoriam Lacedæmonem Corinthum, atque Athenas, simul atque parta fuit, esse perlatam. Apollonium, cùm in Ægypto esset, nouisse tamen quæ Romæ fiebant in exercitu contra Vitellium Imperatorem. Rursus[16] cùm Ephesi meridie disputaret, ac id temporis Domitianus Romæ occideretur, rem totam quasi præsentem, atque ante oculos positam multis particulatim narrauisse: Et atauorum nostrorum memoria Ludouico Galliarum regi eius nominis Vndecimo pro certo nuntiatum, vti Carolus Dux Burgundiæ cum vniuerso exercitu ad hanc vrbem cæsus deletúsque esset. Licèt enim nõ minus decem dierum itinere abesset, tamen post compertum est ea ipsa hora ad internecionem

15. *Iustin. lib. 20.*

16. *Volaterra. Anthro. lib. 13.*

cæſum Burgundionem, qua illi id nunciatum fuerat: vt alia tam multa omittam, quę paſſim ſuperiorum temporum res geſtas legentibus occurrunt. Hæc igitur coniecturis, obſeruationibus, occupatione rumoris, viæ acceleratione, aliiſque alienioribus modis tota nititur rerum futurarum præſignificatio. Non ineſt certa, conſtans, indubitata, ſtabilis, firma, atque perpetua: qualem in vno Deo (cui aliud niſi præſens tempus nullum eſt) fas eſt agnoſcere. Porrò adeò obnixè hæc fiunt à Dæmone, vel vt inde admirationem, beneuolentiámque apud ſuos conciliet: vel vt aduerſus defectionem præmonitos, atque obfirmatos habeat, vbi ſcilicet ex vinculis de ſe reſpondere coguntur. Nam certè plerique omnes, qui in ea ſorte, ac conditione fuerunt, id ita ſibi eueniſſe recenſuerunt, Ianæ Gerardinæ 17, cùm illi ceu indignabundus in carcere vittam detraxiſſet, ac capillos diſieciſſet, nuntiauit futurum, vt poſtridie ad quæſtionem, ac cruciatum abriperetur. Idem fecit Franciſco Fellæo 18, cùm ſe in coruum effinxiſſet, atque ea forma illi in carcere apparuiſſet. Tum etiam Annæ Moreliæ 19: cui præterea grauiter eſt interminatus, ne ſe, conſcióſue iudicio proderet. Alexiæ Belhoriæ 20 pridie eius diei, quo erat torquenda, ſignificauit adeſſe ex vrbe carnificem, qui illam quidem indigniſſimè eſſet accepturus: ſed caueret, ne dum ſe exigui temporis cruciatibus vult exemptam, in ſæuiſſimum, certiſſimúmque ſupplicium incurreret. Ac ne hoc quidem ſic inultum laturam: ſe enim prætereà grauiſſimè in illam linguæ hanc leuitatem, facilitatémque vindicaturum. Ioannes Rotarius 21: cùm eius

17. *Pangæij* XI. *Cal. Dec.* 1584.

18. *Ibidem* XIIII. *Cal. Ian.* 1594.

19. *Hadonuillæ* III. *Cal. Dec.* 1581.

20. *Blainuillæ ad aquas* XIII. *Cal. Ian.* 1587.

21. *Huccuriæ mẽſe Sept.* 1586.

eius diei summa luce, quo die erat vltimo supplicio afficiendus, à custodia de more inuiseretur, ac rogaretur ecquid animi haberet: Satis equidem pro tempore, respondit ille, sed si quid adhuc cupis de me promereri, id age properè: nam hodie postremum me vides. Ac cùm custodia, vt hunc illi metum adimeret, nihildum se intellexisse diceret, quin integra, saluáque deberent illi esse omnia. Næ tu, infit ille, incassum verba mihi dare conaris, qui rem omnem à Magistello meo hac nocte didicerim: simúlque ea, quasi præsens omnibus affuisset, prolixè recensuit. Eadémque ipsa, cùm aliquot post horas capitaliter damnandus ad subsellia cósisteret, iudicibus suis enarrauit: Hoc etiam adiiciens Magistellum illum suum superiori nocte non desiisse secum versari, adeò pusillo corpore: vt à solo digitos octo vix extare videretur: talem Tagetem, quem haud dubiè Dæmonem aliquem fuisse credi par est, cùm in agro Tarquiniensi terra araretur, & sulcus altius esset impressus, de repente apparuisse refert Cicero[22]: Nihilominúsque gladio tam oblongo succinctum fuisse, quàm si vir esset athletico aliquo habitu præditus.

22. *Lib.* II. *De diuinatio.*

Quod dictum est Dæmones suis adesse, etiam inter ipsos Iudicum consessus, nemini mirum videri debere: cùm & in interioribus sacrarijs, locisque adeò præsentis Dei maiestate venerabilibus aliquando interfuisse reperiantur. Tum obiter recitata de ea re memorabilis historia: Et disputata quæstio, an possint Dæmones se ijs tantùm, quibus videtur, alijs etiam multis præsentibus, conspiciendos præbere.

CAP. XI.

NVlla adeò sancta, atque augusta loci cuiusquam religio est, quam Dæmon violare non tentet: ita audax, & temerarius perrumpit omnia, dum prædam suam sectatur, mortalibúsque insidias instruit: In templorum sacratioribus adytis, in concionibus sacris, in Anachoritarum cellis, in eorum qui mundum ejurauerunt sodalitijs, & frequens, & assiduus: vti quæ eius ductu, auspicióque ibi patrantur facinora satis indicant. Imò & ausum se inferre ei, quem olim suorum Deus celebrabat, conuentui testatur Iobi [1] historia: vt iam mirum videri non debeat, si in ipso iuris sacrario inter medios iudicum consessus cum suis consistere, ac veluti vadimonium obire audeat. Et ea quidem, priusquam forum, iudiciáque attingerem, sæpè audiueram contigisse: nihilque magis me afficiebant, quàm quos nutrices vagientibus infantibus de lemurum, laruarúmque occursationibus terrores afferre solent: Nunc postquam præsens attentiùs obseruaui omnia, éxque manifestissimis argumentis rem totam certiùs cognoui, iam factus confirmatior

1. Cap. 1.

matior, haud dubitaui eam quoque alijs prodere: nihil me tamen iniquiorem; si non credant, habituris, quàm habere eos voluissem, qui mihi inexperto olim talia narrabant. Ex multis igitur vnum fide mea lector tibi exponam: qui id dum quæsitoris officio fungor ipse oculis meis viderim. Veneficam quamdam (ei Asinariæ nomen vulgus ab Asinario marito fecerat) sic premebam dictis testium, vt iam effugio, aut tergiuersationi locus nullus ei relinqueretur: Itáque se ob id comparauerat, vt admissa omnia sua velle patefacere videretur, cùm illi in vultu color subitò immutari, oculi in aduersum carceris angulum cum stupore defigi: oratio, mens denique ipsa cœpit excidere. Rogo ecquis ipsam morbus adeò repente inuasisset: Respondet ex illius anguli superiore parte videre se Magistellum suum manus sibi ferociter ostentantem, quales habent cancri bifurcas, ac dentatas: iámque inuolaturo similem apparere. Eo oculos conuerto: Pergit illa obnixè intento etiam digito demonstrare: Nihil aduerto: Iubeo tamen præsenti esse animo: multa & securè, & confidenter in Magistelli illius contemptum fastidiúmque præfatus. Ex eo igitur timore iam se collegerat, ac pergebat de se narrare, quę antè occeperat: cùm denuò ex alio angulo prominentem illum enormiter aduertit, mutata iam persona: vti qui scenæ alicui seruiunt, ac rectis cornibus instructa fronte, quasi eam illicò ijs esset impetiturus: sed rursum derisus ac etiam conuitijs proscissus abijt: nec ab ea deinceps visus est: vti ipsa iamiam ad rogum profectura declarauit. Idem Vici Mediomatricum non multis antè annis

contigisse

contigiſſe audiueram. Et hîc quidem ſeſe offert quæſtio ſua quoque digna agitatione. Cuiquámne cæteris, qui ſunt etiam præſentes, nihil aduertentibus Dæmones ſe videndos præbere poſſint? Nam certè nec ego tum, cùm Aſinaria illa Magiſtellum ſuum adeò obnixè conſpiciendum mihi demonſtrabat, quicquam ipſe vel intentiſſimus vidi: Et extitit adhuc nemo quod audiuerim me in hoc perſpicacior, quantumcumque oculorũ aciem ipſe intenderit. Quæ res aut affectatum in ſagis mandacium arguit, fortè geſtiẽtibus ex eo quęſtoribus ſuis metum aliquem, vt eſt ſæpè illarum malitia, iniicere: aut in Dæmonibus facultatem, vti dictum eſt, quibus velint ſeſe oſtendendi, cæteris quaquauerſum adſint nihil quicquam cernentibus. Illud neutiquam mihi perſuadere poſſum; qui intellexerim, imò viderim ipſe ſic eo caſu commoueri, ac percelli ſagas, vt anima illas iamiam defectura videretur: Tantus in verbis ſtupor, in vultu horror, in toto deniq; corpore tremor inerat. Quorum certè illæ nihil tam bellè fingere poterant, quin facilè fucus appareret: vt hîc omittam dicere quàm omni aſſeueratione id perſtiterint affirmare inter ipſas flammas, ac carnificum manus. Hoc magis crediderim præſtigias eſſe Dæmonum, quibus eorum tantùm, quorum velint aſpectum præſtringant; cæterorum liberum, atque inoffenſum relinquant. Nam ſi, quemadmodum Opticis placet, ita mouetur ſenſus oculorum, vti aër, qui intermedius eſt, vel luce, vel tenebris, quam eius ἐντελέχειαν eſſe dicunt afficitur: vtrumque autẽ Dæmonibus promptum eſt pro libidine variare [a]: ſi quidem iis à Deo aëris

[a] Ad. Ephes. ca. 2. ver. 2.

aëris poteſtas eſt attributa; iam dubium nemini eſſe debet, quin quoque ſe videndi, aut non videndi, quibus velint, copiam facere poſſint: Nam & quod ſtupendum magis eſt: hoc præterea efficiunt (inquit Lactantius[3]) vt quæ non ſunt, ſic tamen quaſi ſint conſpicienda hominibus exhibeant. Quam ob cauſam non ineptè quidam[4] illos oculorum appellauit ludibria: Et puto inde incœpiſſe de Gygis annulo, Orci galea, ac virgula diuina fabulas: quas tam ſæpè boni etiam authores vſurpauerunt: Imò & omnes omnino rationes, quas Albæ, vt vocāt, Magię magiſtri in eum vſum à natura ſe mutuari profitentur: Quale illud eſt, quod Plinius[5] ex Dęmocriti ſententia refert, de pede Chamæleontis ſiniſtro: qui ſi in furno vnà cum Chamæleōte herba torreatur, ac in paſtillos cōficiatur, geſtanti hoc ſit præſtiturus, ne à quoquam conſpici poſſit. Nam quod Gellius[6] hoc reprehendit, & derediculam vanitatem appellat vix in eo excuſari poteſt: quin derideatur ipſe, qui ignorauerit Dęmones, eorúmque ſectatores hunc morem ſemper tenuiſſe in ſuis præſtigijs, atque incantationibus; vt ijs externum quid ac quod viſum feriret ad deludendos homines obtenderent. Tum nemini fraudi eſſe debet, ſi quid fortè inſolentius ſcribit, modò grauem aliquem laudet authorem: qualem certè pluribus in locis fuiſſe Democritum ait Cicero[7]: Et plus etiam puto in eum ſuperiora illa rectè admodum conuenire, qui non alienus fuiſſe feratur ab eiuſmodi reconditarum artium cultu, ac ſtudio. Nam & tantum (ait idem Cicero[8]) extorum inſpectioni tribuere ſolitus eſt, vt ex ſolo eorum

3. *Lib. 11. de origi. error. ca. 15.*

4. *Plato lib. 2. de rep. Lucian. in votis. Cice. lib. offic. 3. Homer. Iliad. v. Zenodotus Ariſtop. ἐν ἀχαρνεῦσιν*

5. *lib. 28. cap. 8.*

6. *lib. 10. noct. ca. 12.*

7. *lib. 1. de nat. Deor.*

8. *De diuinat. lib. 2.*

habitu ac colore rerum, quas terra procreat, vbertatem tenuitatémue aëris, qui nos ambit, ſalubritatem, aut peſtilentiam ſignificare exiſtimauerit. Imò nutauerit in ipſa Deorum natura, quæ prima, præcipuáque eſt apud Dæmones ſortilegis ſchola, ac diſciplina: Tum illud nequaquam affirmat Plinius, quaſi certum, atque indubitatum: ſed magis oſtendit ſe pro fabula, ac mendacio habere iſtis addubitandi verbis, *Si credimus*. Vtvt res ſit, eo nos quotidiana ducit experientia, & confirmant quæ ſcriptis ampliſſimis tradunt plerique authores: Dęmones, cùm ſe in corpus aliquod induunt, ſui tamen videndi copiam in quantumuis magna hominum frequentia ijs tantùm, quibus velint, facere. A Catoptromáteia[9], ac Gaſtromanteia, id eſt diuinationibus, quæ fiunt per inſpectum quid à puero ad id ex artium illarum præceptis adhibito: vel in aquæ ventricoſa amphora: vel in obiecto ſpeculo, vti Didium Iulianum aliquando feciſſe ſcribit Spartianus[10]: Nónne ſolus is puer illo etiam, qui ſortes mouet, ac fatigat, nihil quicuqam vidente apertiſſimè cernit, deſignat, enuntiátque omnia? Contrà verò ἀγύρται, ac circumforanei impoſtores nónne in frequenti hominum corona multa oſtentant, quæ aſtantium quiſque certo ſe videre putat, cùm illis nihil quicquam tale appareat? Circulatorem equeſtrem (inquit quidam apud Apuleium[11]) inſpexi ſpatam præcutam mucrone infeſto deuorare: Illabebatur ferrum in eius fauces, quantum putabant, qui oculos in eum intentiſſimè etiam defixerant: At non id credebat ipſe, qui ſic aliis credendum exhibebat: ſed ferrum ſciebat ſe in manibus ſuis

9. *Volater. philolog. lib. 30. c. de diuinatione.*

10. *In eius vita.*

11. *Lib. de Aſin. aur.*

bus suis continere, nec alio quoquã esse dilapsum: Id quidem multi fieri putant agilitate, dexteritatéque manuum, qua facilè, vel minus intentis, vel locorum aliqua intercapedine distantibus imponitur. Sed sæpè nisi Dæmonum artificio illud effici non posse alibi ostẽdimus: maximéque si quid fit à naturalium sensuum fide alienius. Quale est illud, quod antè diximus, de Germano, qui integrũ fœni plaustrum vnà cum auriga, atque equis visus est deglutire. Quod certè nisi cum insigni sensuum corruptela, ac deprauatione fieri non potuit. Plato [12] γοητεύειν, id est stupore, ac maleficio afficere, stuporéque affectum decipere dixit (vti Budæus in commentariis linguæ Græcæ interpretatur) nostri (*engigner*) quasi ingeniosè, ac solerter imponere. Nam quemadmodum lumen lucernæ, vel luce Solis clariore, ac splendidiore, vel densi, atque opaci corporis oppositione obscuratur: sic plerunque aëris διάφανον Dæmonum arte, quę cuiuslibet rei speciem facilè adumbrat, in tantum obtenebratur; vt omnem omnino aspectum intentissimis etiam tollat, atque auferat. Tenebræ (inquit Plutarchus [13]) cogunt, aggregántque visum, eúmque ob id hebetant, atque obtundunt: contrà lumen dissipat, ac disgregat At si sui generis visus nanciscetur aërem, id est temperatum, ac moderatum, tum liber suum facit, atque exequitur officium. Quæ cum, quemadmodum nunc dictum est, Dæmonibus sæpè sint ad manum; mirum cuiquam esse non debet, si ἐπιφάνεια, καὶ κρύψις illorum veluti ἀποτελέσματα quædam arbitrio quasi suo moderantur, ac tẽperant: Et iis quidem, quibus tantùm visum est, eam cæcitatem in-

12. *lib. 3. de rep.*

13. *lib. 4. de plac. Phil. cap. 15.*

ferunt illi: non ſecus, ac qui ſpeculo exceptos ſolis radios contorquent, ac dirigunt in quos volunt: atque ita in eis oculorum vim ſic infringũt, vt non magis quàm cæci videant, atque intueantur. Iſtis ita poſitis hoc modo dubitationem relinquit: quod nec fulgor, nec caligo tum, cùm hæc eueniunt, intercedere vlla videtur: ſed vtrobique aër expeditus, ac nulla re interceptus apparet, vt iam minus rationes iſtæ huic, de quo quæritur, facto conueniant. Sed aliter nos afficere Dęmones, ac commouere aliter cauſas, quæ à ſola natura ſunt comparatæ certum eſt. Vnumquodque eorum, quæ nobis inſunt (inquit Proclus [14]) propria quadam conditione à Dæmonibus mouetur, atque afficitur: id eſt (vt interpretor) non eodem cum illo, quem natura in rebus ſuis tenere conſueuit, modo, atque ordine. Et Pſellus [15]: Dæmones Plutonis galeam inducentes animas hominum arte quadam perturbãt, & Sophiſtica fraude figuras, colores, ac quaſcunque voluerint formas in eorum phantaſiam tranſmittunt, viſaque, atque imagines iis obiiciunt. Fruſtra igitur quis in hoc certam aliquam cauſarum naturalium ſeriem deſiderauerit: ſed fateatur neceſſe eſt multa à Dæmonibus quoties (ait Porphyrius [16]) prodigiorum ſuorum machinas admouent fieri, à naturæ conſueto ordine alieniſſima: Quæ quoque puto cauſa fuit Iamblycho [17], vt eos Deorum pediſequos appellaret: quòd ſcilicet in adumbrandis rebus Deos veſtigiis proximè conſequi videantur: Eſt & aliud ſuperioribus non minus validum, ad aſſerendam argumenti huius veritatem: Si enim Dæmones (vt idem Pſellus aſſerit) poſſunt ſe

14. In lib. de anima & Dæm. ca. vbi tria de dæmone Socratis refert.

15. De Dæmonib.

16. De ſacrificiys cap. de ſpeciebus. Dæm. bono. atque malo.

17. De myſt. AEgyp. c. 1.

ſunt ſe in hominum corpora inferre, atque inſinuare: eorum ſpiritui phantaſtico ſe vel immiſcere, vel adiungere: vtpote qui & ipſi ſint ſpiritus, cui iam id fide indignum videbitur ſui imagine, quaſi fortè libet poſſe quoque illorum, quos occupant, phantaſiam ferire, ac pulſare: Nam & ſenſa ſua adeò commodè inculcant: vt ea verbis etiam diſertiſſimis in aurem inſuſurraſſe videantur. Socrati (inquit Plutarchus [18]) familiaris fuit genius, cum eo qua ſumma coniunctus erat amicitia colloquēs: At non extrinſecus vox ad eum accedebat (ait Proclus [19]) ſed ex intimis inſpiratiò procedens, ac vſque ad ſenſuum inſtrumenta progrediens: Vocem tamen viuam, ac quaſi tinnientem auribus ſuis haurire ſe fortè putabat Socrates: cùm ne auritiſſimus, attentiſſimúſque quilibet alius, vel ſi ei adhæſiſſet, quicquam exaudire potuiſſet. Quæ ſi in fallendis auribus valet ratio; in decipiendo quoque oculorum ſenſu, cui longè omnium faciliſſimè illuditur, non erit minus potēs, atque efficax: Siquidem ſenſuum omnium eadem imbecillitas eſt, vbi fallaciæ intenduntur, præſtigiæ adhibentur. Poſtremò & hoc Dæmonibus in promptu eſt, vt ſimul ferè apparere, ac latere poſſint: adeò vt qui ſe modò huic vidēdum præbuit, alteri iamiam oculos vel promptiſſimè intendenti nullus videatur: Sicut in aëre, & aqua (inquit Iamblychus [20]) contingere conſueuit; vbi, ſiue colorem infundas, ſiue figuram imprimas, mox diffunditur, atque diſſoluitur: ita & in Dæmonibus ſimile quiddam accidere ſolet: Nam & in his figura, colórque, & ſpecies rerum quarumlibet citò dilabitur: Vnde puto ſatis manifeſtum

18. In lib. Iucundè ex Epicuri doctrina vitam tranſigi nō poſſe.

19. In lib. de anima & Dæm. cap. vbi tria de Dæmone Socratis refert.

20. De myſt. AEgypt. ca. 1.

eſt nihil ſagas imponere:cùm ſic ſe ſuos Magiſtellos, cæcutientibus etiam,qui adſunt,omnibus,certò videre aſſeuerant: nec temerè eſſe,quod eos affirmant, ceu aduocatos officij cauſa ſibi adeſſe in iudicio: nec ab alio quoquam, quàm à ſe videri, aduerti,atque exaudiri.

Perperam ſentire qui negant pœnas vllas de ſagis eſſe expetendas:Tum ſigillatim confutatæ rationes, quibus illi vulgò ſententiam ſuam tuentur,ac defendunt.

CAP. XII.

EXtiterunt qui ad periclitandas ingenij vires magis, quàm ad aliquam veritatis opinionem inferendam, res ſumma vituperatione dignas:maximas tamen laudibus efferrent. Sic Glauco apud Platonem [1] iniuſtitiam: adoleſcens quidam apud Philoſtratum podagram, cæcitatem, ſurditatem: Polycrates Buſyridem:Phauorinus quartanam febrim: Lucianus Paraſiticam: Et tandem Eraſmus ſtultitiam in ea commendatione poſuerunt: vt ipſa veritas nulla pleniore, ac luculentiore oratione fidem confirmare potuerit. Sed qui ex animo id fecerit,quo ſententiam ſuam legentibus probaret: tum apertè adhuc oſtendit nemo, quàm qui lamiarum patrocinium contentione etiam, quam in aliena re fieri ſoleat, ſtudio non ita pridem ſuſcepit. Sed quoniam & bonis exemplo nocet, & malos trahit ad peccandum impunitatis defenſione, atque illecebra: tum etiam aduerſatur ei,quod toto hoc opere interponimus de tã infeſto, atque immani

1. lib.4.de vita Apol. c.9.

immani ſcelere iudicio: pauca hæc cum bona illius, & ſi qui ſunt qui cum eo ſentiant, venia attingenda eſſe putaui. Ac primùm quod Apologiæ ſuæ præcipuum fundamentum in eo ponit, multa ſortilegis affingi, quæ ipſi per rerum naturam nullo modo queant excitare: vti ſunt tonitrua, nimbi, procellæ, turbines, reliquæq; tempeſtates: quæ manifeſtè ſuam habent à naturalibus cauſis originem: contrarium non vtique adeò inauditum, inſolénſque eſt, quin commodè defendi poſſit ſcriptorum, nec paucorum, nec vulgarium à multis laudata authoritate, & ſententia. Memoratur Apollonius [2] vidiſſe in India Brachmanes, qui arbitratu ſuo pluuias, & ſerenitates inducerent: Habuerunt & Aſſyrij [3] inter ſuos Chaldæos Iulianum quendam (is Theurgica ſcripſiſſe dicitur) qui laborante ſiti Romanorũ exercitu ſub Marco Antonio contra Marcomannos [4], nubes prouocauit, vnde imbres ſtatim deciderent: Arnuphus Magus Æpyptius in eo bello, quod Romani cum Quadis geſſerunt impetraſſe dicitur Magicis ſuis vocibus à Mercurio, aliíſque Dæmonibus, qui ſunt in aëre, vt pluuiam immitterent: quæ ſic Quados exagitauit, vt victoriam Romanis cedere cogerentur. Idem de Biarmenſibus poſt Saxonem Grammaticum refert Olaus Magnus [5]. Ij, inquit, cùm Regneri Danorum Regis impreſſionem amplius ferre non poſſent, réſque iam, quod aiunt, ad triarios rediiſſet: cœlum tandem carminibus aggreſſi tantam inde copiam imbrium elicuerunt, atque in aduerſos hoſtes impulerunt; vt eorum exercitum omnem diſiicerent, ac diſſiparent. Lucius Piſo recenſet [6] Numam ſæpè cantibus

2. *Philoſtr. in eius vita.*

3. *Suidas.*

4. *Dion Nicæus & Xiphilinus in vita Antonini Philoſophi. Suidas, & Euſebius.*

5. *lib. 4. c. 1.*

6. *Apud Plin. lib. 2. c. 54.*

cantibus fulmen elicuiſſe, ac Tullum Hoſtilium, quod idem tentando ritus, cæremoniáſque minus ſeruaſſet, eo ictum periiſſe. Paulus Venetus author eſt Tartaros, quæ gens veterem Parthiam, Scythiámque nunc occupat, tenebras terris cùm volunt ſuis incantamentis inducere: parúmque abfuiſſe, cùm fortè apud eos verſaretur, quin à latronibus eo pacto circumueniretur, ac ſpoliaretur. Cui germanum eſt quod Haitonus in Sarmatarum hiſtoria ſcriptum reliquit ex iiſdem Tartaris vexillarium quemdam, cùm ſuorum aciem inclinatam, ac penè diſiectam videret, hoſtes tali aëris opacitate, denſitatéque inuoluiſſe, ac penè ad internecionem cecidiſſe. Conſtantinus Imperator vir [7] teſte Zonara inter Orthodoxos piiſſimus credidit Magicis artibus adhiberi poſſe ſuffragia; ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandiníſque lapidatione ipſæ quaterentur. Quod poſteà damnatum nominatim reperitur in libris βασιλικῶν: quia, vt notat Theodorus Balſamo in Nomocanone, legibus puniuntur qui eiuſmodi Magica faciũt: tametſi boni alicuius conſequendi gratia, ac propter vbertatem fructum id præſtent. Si igitur ſic auerti poſſunt, certè etiam excitari contraria ratione poſſe non vtique ita abſurdum videbitur. Quod & Conſtantius [8] Conſtantini illius filius non obſcurè teſtatus eſt; cùm illos, qui Magicis artibus elementa turbant, ferali peſte abſumendos ſtatuit. Nec ab ea etiam ſententia alienus fuit D. Auguſtinus [9], cùm Dei permiſſu elementa à Magis concuti poſſe perhibuit: Et ei ſubſcripſit D. Thomas [10], aſſerens tum cogi à Dæmonibus nubes in aëre: tum

7. *l. eorum de Malefic. & Mathem.*

8. *l. Multi eo.*

9. *In pſal. 77. ver. 49.*

10. *In poſtil. ſua in Iob.*

vento

vento impelli, ac etiam inde ignes deijci. Quod doctè vt omnia alia quæ attigit interpretatus est in suis commentariis συντάξεως artis mirabilis D. Petrus Gregorius[11] Tolosas Iurisconsultus ipse mirabilis: Et nunc

Planta ferax nostris maturè intersita sulcis.

Concitant (inquit de Dæmonibus loquens) pluuias, ventos, ac tempestates in aëre ex coactis fumantis terræ, sudantísque maris vaporibus (nam alioqui ipsi nihil gignunt) atque inde componunt, eiaculantúrque ἐκνεφίας, τυφῶνας, πρηστῆρας, multáque φάσματα, καὶ εἴδωλα; in quorum compositione miros, vbi sic materia subest, se præbent artifices. Sed hæc omnia vel rudis antiquitas crediderit: vel recentiorum illius adducta authoritate probarit opinio. Sit extremæ temeritatis, ac demētiæ sic naturam velle Dæmonum nutu ac voluntate constrictam tenere; vt illorum arbitrium ipsa se parare, ac fingere debeat: iis fasces sic submittere, vt pluendi tonandíq; modum, ac tempus ab illis accipere necesse habeat. At nemo (opinor) qui vel mediocriter in Theologorū libris sit versatus ibit inficias Deo sic volente Dæmones ita eiusmodi tempestatibus permisceri: vt eas, ceu Adrastiæ quædam Erynnes, ac (quod ait Chrisippus[12], póstque eum Basilius[13]) carnifices, ac diuinæ vltionis ministri in hominū perniciem, humanarúmque rerum calamitatem impellant, traducant atque etiam decutiant. Notum est illud D. Pauli[14] inquientis Dæmonibus attributam esse aëris potestatem: Et in Apocalypsi[15] memorantur aëriæ potestates eiusmodi presteres, ac fulmina molientes. Empedocli quoq; apud Plutarchum[16]

11. *Lib.* IIII. *cap.* 46. *num.* 3.

12. *Plutarch. de sera num. vindicta. Idem proble.* 51.

13. *In cap.* 13. *Esaiæ, & psal.* 78.

14. *Ad Ephes.* 2. *ca. ver.* 2.

15. *Cap.* 13.

16. *In tract de vitanda vsura.*

Dæmones cæliuagi dicuntur: id est, vt ipse interpretatur alibi [17], eum aërem, qui cœlo subditus est, occupantes; summa (vt ait Xenocrates [18]) malignitate, & nocendi tum cupiditate, tum audacia. Hæc igitur si sic illis demandata est cura, & veluti commissa procuratio exercendæ Dei in homines iræ per ipsamet naturæ instrumenta: iam hoc quidem minus durum, minúsque incredibile videbitur, si quis illis in ea re comites sagas adhibeat: non vt adiutrices operis, ad quod patrandum, aut promouendum nemo nescit nihil omnino ab illis adiumenti afferri posse: sed vt illas Dæmon propensæ ad damna, atque iniurias voluntatis conscientia magis, magísque affines sceleri reddat: illis suas licèt falsò in tam ardua, atque admiranda re vires, ac potentiam ostentet: eas vsque, & vsque defatiget, exagitet, ac ingrato aliquo opere faciendo exerceat. Nam sic suos beare solet perpetuis ærumnis, laboribus, ac molestiis beneuolus ille Magister. Nec eius rei fidem quicquam imminuere debet illud, quod in natura absurdum, atque incredibile censetur: contra innatam grauitatē sublime efferri homines, atque aëra sursum versus perrumpere. Nam hoc primum ingenuè fatemur, naturæ ex sese in hæc omnia nihil iuris esse: sed ipsa etiam inuita, ac stupente eiusmodi prodigia, ac portenta se ostendere: vt qui velit ea ex causis naturalibus æstimare, nihilo plus agat, quàm si conetur digito ipsum cœlum attingere. Neque enim par est humana ratione, atque iudicio ea censere, quæ palàm est fieri præter omnem ordinem, atque modum à natura constitutum. Simon Samaritanus (quemadmodum

17. *Problem. 39.*

18. *Apud eumdem Plutarch. in Iside & Osiride.*

Ambrosius in Hexamerone, & Clemens Pontifex in itinerario testantur) hoc inter alia miracula, quibus cum Petro Apostolo certabat, efficiebat vt pennis sublime in volantis speciẽ efferretur. Quod spectante Nerone factum scribit Egisippus [19], ipsúmque præterea Apostolorum precibus decidisse, & iuxta Ariciam crus alterum fregisse. Mitto quod Pausanias in Atticis de Musæo poëta narrat illum Boreæ dono volitasse: Quod de Pegaso Argiuo Basilius [20]: de Abari Scytha Herodotus [21], ac post eũ Gregorius Theologus [22] meminerunt: solitum videlicet fuisse iaculari sagittam dono ab Apolline acceptam, cum qua simul pernicissima velocitate transferretur. Nam fabulæ commentum potius, quàm historiæ veritatem hæc habere videntur. Et si sic quidem contingere potuerunt Cacodęmonis astu, atque opera, quẽ impio errore delusam gentilitatem sub Apollinis, Æoli, aliorúmque Deorum nomine coluisse nemo ignorat. Neque enim id magis à veritate laborat, quàm illud quod de Antidio Turonensi Antistite recentiores scripserunt [23]; cum vectore Diabolo vsum, quo Romam celerius perferretur, atque ibi pontificem à nefando aliquo incœpto promptissimè reuocaret. Et vt hæc non sint, quid amplius quærendum videtur, postquam scimus hominem spiritui immundo obnoxium [24] discerptis cathenis, comminutísq; compedibus, quibus vinctus erat, in sola loca à Satana deferri solitum: Imo Iesum ipsum assumptum ab eo fuisse in sanctam ciuitatem [25], & statutum super pinnaculum templi. Etsi enim consultum non est piis inquirere, qua ratione id sit factum: de facti tamen

19. *lib.* III. *ca.* 2.

20. *In oratione funebri Grego. Nazian.*

21. *In Melpomene.*

22. *Epist.* 22. *ad Basiliũ Magnum.*

23. *Marul lib.* III. *c.* 2.

24. *Lucæ* 8. *Marci* 5.

25. *Matth.* IIII.

veritate impium ſit diſputare, quando ea tam diſerto Euangelij elogio conſignata reperitur. Si igitur id ei aliquando euenit, qui ipſius Satanæ victor, atque expugnator fuit, vt ab eo per aërem deportaretur: quæ iam ad credendum tanta erit tarditas, quæ homines illius iniuriis ſæpè obnoxios, maximéque qui ſe volentes eius poteſtati permiſerunt, non admittat ab eo pro nutu, ac libidine ſurſum, deorſum volutari, ac transferri poſſe? Denique ſi ad rationem eorum, quæ non modò ex annalium vetuſtate; ſed etiam ex recenti hominum ſermone, atque memoria conſtant, hæc exquirere placet: quid noſtris temporibus vulgatius, quàm ſunt tum frequentes, ac aſſiduæ ſagarum de ea re aſſertiones; tum iis conſentanea hominum teſtimonia, qui nō per ſomnium, aut Magicis actibus auerſos ſenſus, ſed oculis ſuis vidiſſe ſe illas nubibus excuſſas, vel ſummis arboribus, ac tectis perplexas hærere, vel humi attonitas iacere conſtanti ſermone affirmauerunt? Nec id quidem in triuio confabulantes, ſed in iure ſacramento ſanctiſſimo rogati, atq; adacti, vti in ſuperiore diſceptatione non ſemel eſt demonſtratum. Faceſſant igitur, qui ſic naturam rerum omnium normam, ac regulam conſtituunt: vt nihil præter eius modum, ordinémque fieri poſſe putent: Sic Dei, qui etiam

26. Boët. metr. 5. lib. 1. *Legem pati ſydera cogit* [26],

manus conſtringuunt, potentiámque coarctant: vt nihil plus facturum credāt, quàm quod ſecundum naturam credibile eſt. Hoc enim nimium malignè, ac ſtolidè eſt ſentire de eius operibus: ac, quod aiūt, Iouem prorſus orbum facere. Ego (inquit) Lucius

apud

apud Apuleium 27) nihil impossibile arbitror: sed vtcunque fata decreuerint, ita cuncta mortalibus prouenire. Nam cunctis hominibus multa vsuuenire mira, & penè infecta: quæ tamen ignaro relata fidem perdant. Iam quod cogitationem, cuius pœnam 28 nemo pati debet solam afferri à sagis ad eiusmodi elementorum affectiones causantur: idq; pro alio veniæ, atque impunitatis fundamento statuunt, quasi euentus rerum (quod ait Cicero 29) non etiam hominum consilia vindicari debeat: id quidem apertè est cæcas, atq; impuras animi affectiones contra ipsius Euangelij authoritatem defendere: cuius disertissimo testimonio 30 scimus malas cordis cogitationes peccatum esse coram Deo grauissimum: vti etiam nominatim postremo Decalogi sermone cauetur 31, eósque qui mente cupida, propensóque studio facinus aliquod agitauerunt, etiamsi nihil promouerint: tamen perinde habere excusatos, ac si ipsi nunquam quicquam animo inceptauissent. Et omnino pari iure conscios, atque insontes censere. Ac ne quis hic distinguat, nihil se pœnas illas morari, quas Theologorum scholæ relinquũt secretæ Dei vindictæ (irregularitates vocant) de illis nunc tantùm quæri, quas leges humanæ 32 ad exemplum trahant (sanguinis pœnas vulgò appellant) quibus omnino sint indigni, qui nihil admiserunt ipsi, quod in eos vt authores verè possit reiici: cogitationem enim solam nihil nocere, nisi & factum secutum sit 33: nec conatum ipsum, si nihil obest vnquam imputari iniuriæ. Esto, sit aliquid humano iure 34 licitum: quod tamen diuino damnetur, atque improbetur. At nec de-

27. *lib. 1. de Asino aur.*

28. *l. cogitationis, De pœn. D.*

29. *In Miloniana.*

30. *Matth. 9.*

31. *Exodi. 20.*

32. *Glos. & DD. in c. significasti. 2. ver. de homicid.*

33. *l. sæpe. De verb. signif.*

34. *l. i. §. hæc. autem verba Quod quisque.*

35. *l. Quisquis Ad leg. Iul. Maiest. C.* ſunt in iſtis ſanctiones diſertiſſimæ 35, quæ eadem ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniant, Edicto Gratia. Valent. & Theod. grauiſſimè mulctatur: qui occaſione poteſtatis nuptias contrahere cum aliqua, inuitis quorum intereſt, voluerit: licèt eas non peregerit 36. Qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare: pœna nihilominus tenetur, quæ eſt legis Corneliæ de ſicariis 37. Solicitatores alienarum nuptiarum 38, itémque matrimoniorum interpellatores; etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt, tamen propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur 39. Qui attentauit, non etiam rapuit ſacratam virginem: hoc facinus luere damnatur 40. Et omnino in grauibus, atque atrocibus ſatis eſt ipſo facto initium criminis mente deduxiſſe, vt ſubſit pœnæ aliqua occaſio. Quæ cauſa fortaſſe fuit ob quam ætate noſtra Senatus Pariſienſis ſummo ſuo iudicio de Maieſtate damnauit virum alioqui nobilitate inſignem, quòd de interficiendo rege conſilium apud ſe tantùm iniiſſet: cuius etiam pœnitẽtia ſtatim ductus, ipſe de ſe fuiſſet indicio. Quod verò tantum eſſe poteſt ſceleratæ mẽtis incœptum aut cogitatio, quæ tanta humani cordis nequitia, atque improbitas, quam nõ dicam animo agitare, concupiſcere, atque expetere quod cæteri omnes mortales horrent, ac pertimeſcunt: aëris ſonitus, atque ardores: ſatorum ſtragem, ac calamitatem: arborum extremam verberationem, ac ſæpè euulſionem: ipſámque adeò latiſſimorum finium, atque ampliſſimarum regionum deuaſtationem, atque exitium: ſed etiam manibus, pedibus noctes, & dies conari,

36. *l. vnica. si qua prædit. poteſt. C.*

37. *l. 1. ad leg. Pomp. de parricid. D.*

38. *l. 1. de extraord crimin. D.*

39. *Si quis non dicam. de Epiſcop. & cleric.*

40. *l. fugitiuus de verb. ſignificat. D.*

conari vt hæc fiant, adesse, adniti, atque subuenire: quantum in se est iis, quos putant hæc omnia excitare, Dæmonibus; & toto denique impetu, ac studio in hoc incumbere, vt illis solis quammaximè placeant: vel si infensum Deum, atque homines omnes habituros se sciant. Hæc sunt illa cogitationis peccata, quæ D. Basilius [41] non vt phantasias simpliciter: verùm vt consummata opera in anima iudicanda esse censet: quæq; simul, ac se vti ignis fumo prodiderunt sopienda, atque extinguenda veniunt: tanto etiam grauiore pœna, quanto sæpe tacita plus habent in celando, quàm aperta in committendo malitiæ. Aut si nihil omnino nuda conscientia luere debet: & satis est ad innocentiam

Cæcum versare in pectore vulnus:

valeant iam omnes legum sanctiones, quæ prauas de Deo, déque religione opiniones, sola etiam linguæ professione denudatas, ac retectas sæuissimis flammarum cruciatibus puniunt. Sit illa Imperatorum, Iuriscōsultorúmque [42] furialis, & sanguinaria vox, quæ non modò fautores scelerum, sed etiam conscios eadem pœna, suppliciôque qua perpetratores plectendos prædicauit. Rursus quod obtendunt ætatis, sexúsque imbecillitatem: quæ in censendis cuiusque vitijs ęquabiliter, moderatéque attendi debeat, huiúsque quale quale est criminis odium eorum, quę nobis natura tribuit, excusatione deprecantur: quasi ipsa peccandi procliuitatē, propensionémque vnà cum annis, muliebríque conditione attulerit: id quidem illi viderint, qui hanc naturæ, quæ tamen omnia sapienter agit, dicā tam grandem impingūt. Certè nec omnes, qui hac sortilegij

41. *In lib. de vera virginitate.*

42. *l.i. §. occisorum. Ad Sc. Syllanian. l. vtrū. Ad leg. Pōpeiam. de parric. §. alia. de publ. iud. in Institut.*

tilegij labe inficiuntur, fœminæ sunt & ætatis exactæ, ac decrepitæ; sed & mares: licèt id infrequẽtius quidem. ęquè sibi in hoc obsequij genere deuotos, addictósque habet Dæmõ. Et si quæ, vt certè complures extrema senecta in hoc facinore deprehenduntur: inueteratum hoc malum est, & plerumque ab ipsa iam adolescentia admissum, & contractum. Et vt hæc ita sint vti ipsi volunt, quis nescit nullam neque sexus, neque ætatis omnino esse excusationem aduersus legum pręcepta[43], delictúmque nullum innoxium prętextu humanæ fragilitatis haberi[44]? Diserta, atque aperta Domini vox est: Vir siue mulier[45], in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur: Et incantatrix in Endor[46] mulier Saulis leges reformidat quæ capitali supplicio Magicas artes persequebantur; artísque negat vllam experientiam ob id dare velle. Ecce vt nullo nec ætatis, nec sexus discrimine, ac delectu supplicium est in eos diuina lege cõstitutum: qui eiusmodi vetitas, illicitásque artes exercent. In nouo instrumento quod iam mitiorem, moderatioremque doctrinam continet, tamen grauissima sententia pronuntiatur[47] eum palmitem, qui in Christo non manserit, foras eiiciendum esse, atque in ignem mittendum. Omnimodo id dicitur, & sine exceptione. Quod si ius ciuile[48] vetat nos distinguere, vbi lex ipsa non distinguit: quid faciendum tandem putabimus in Euãgelio, cuius maiestas est supra legem: cuique quicquam[49] vel addere, vel detrahere piaculum est sempiternis luendum flammarum incendiis? Ipsæ Romanorũ leges antiquissimæ capitali pœna animaduertendum censuerũt:

non

43. *l. Auxiliũ. §. in delictis De minorib. 25. an.*

44. *c. Illud 11. q. 1.*

45. *Leuiti. 20.*

46. *1. Reg. 28.*

47. *Ioan. 15.*

48. *l. de pretio de publ. in rem act.*

49. *Deuter. 4. Apoc. 22.*

non modò in homines, qui eo crimine tenerentur (vti Tacitus [50] factum memorat in Pub. Martium, & Pituanium: quorum illum consules extra portam Exquilinam necari, hũc de saxo deiici, quòd essent sortilegi comperti, iusserunt: Et Ammianus Marcellinus [51] in Hilarium aurigam, qui quòd filium nefarijs artibus erudiendum Mago cuidam tradidisset, capite iussus est ab Aproniano vrbis prætore id facinus luere: ac cùm etiam è lictoris à quo fuerat negligentiùs colligatus manibus in proximum delubrũ euasisset, in eum nihilominus inde retractum lege actum fuisse) sed etiam in ipsas mulieres: quemadmodum recenset Valerius [52] de Publicia, & Licinia: quibus ob eiusmodi maleficium cum Septuaginta Romanis gulæ laqueis fractę fuerunt. Nec equidem animaduersionis seueritatem soli illi in fœminas adhibuisse reperiuntur: Sed Atheniẽsium quoque celebratur in Lemniam sortilegam iudicium [53], præproperum quidem illud, at odij quo tum in eam pestem summo flagrabant non obscuram habens significationem. Nam ad solam ancillæ delationem, nec causa in disquisitionem vlterius adducta, ipsam crudelissimę morti dediderunt. Quid Eriphila, Mycale, Canidia, Erictho, Sagana, Dipsas, reliquáque maleficarum mulierum, quæ fuit priscis illis temporibus, turba: num ex tot Scriptoribus, qui earum memoriam ad hanc nostram ætatem propagauerunt, quisquam extitit adeò indulgens, qui muliebrem, anilémque imbecillitatem earũ pestiferæ, ac sceleratæ vitæ vnquam prętenderit? Agè verò demus illis hanc veniã: quod in lubrico humanæ fragilitatis constitutæ sustinere

50. *Lib. 11. Annal.*

51. *Lib. 26. rerum gesta.*

52. *lib. VI ca. 3.*

53. *Demosth. in prima contra Aristogit. orat.*

ſe nullo modo potuerunt, quin laberentur: Quæ tandem inſania eſt, id illis flagitium cõdonare, quo ſint quoad viuent ſeipſas cum maxima in Deum, atque homines contumelia contaminaturæ! Nimirum hoc eſt rabidis canibus, quas alioqui inſanabiles nemo neſcit, idcirco vitam dare: quia nulla ſua culpa, ac vitio in eam rabiem incurrerunt. Sapientis eſt (inquit Seneca[54]) non ſanos quidem, ſed ſanabiles ſeruare. Neque enim bonus agricola adminicula ſupponit ijs arboribus, quas ſcit nulla cura deprauationẽ, diſtortionémque ſuam eſſe relicturas. Hanc verò labem, poſtquam ſemel adhæſit, vix elui poſſe, eiúſque durare ſæpiùs ad extremum cauſam non vno loco ſuperius eſt demonſtratum. Et certè adhuc quod ſciam auditus eſt ex tot millibus, quos ſortilegij laqueis irretitos habuit Satan, nemo; qui ſe aliter ijs expediuerit, explicaueritque, quàm culpæ vel coacta, vel libera apud Iudicem profeſſione, ac deinde eius morte luitione: adeò ille ſui iuris tenax eſt dominus. At Imperatores[55] remiſſionem pœnæ fieri vetuerunt ijs, qui impunitatem veteris admiſſi non emendationi potius, quàm conſuetudini deputarent. Et Plato in Protagora ait non ſolere exigi à ſontibus pœnas ad vindicãda, quæ iam ab eis ſunt admiſſa, peccata: quis enim id infectum reddere poſſit, quod factum eſt: ſed demum id fieri, vt in futurum caueatur, ne denuò is delinquat, qui iam deliquit? Quæ igitur ſatis probabilis cauſa iam afferri poteſt, quin eiuſmodi καθάρματα, & qui ſic ſe Dæmonibus æternum deuouerunt, dicaruntque; ipſi, ſtatim ac dignoſcũtur, omnibus ſupplicijs non interficiantur? Nam certè ſi quid eſt, quod publicè

ſolicitos

54. *Lib. II. de clementia ca. vltimo.*

55. *Li. III. de Episcop. audientia.*

ſolicitos habet ciuium animos: quamuis ſine eius fraude, ad quem ea res pertinet, tolli ipſa nō poſſit; tamen par eſt hâc illum iacturam potius ferre, dum cæteris in commune conſulit; præcipuáque ſemper debet eſſe cauſa publicæ tranquillitatis. Hanc proprijs ædibus diruendis, atque ſolo adæquandis occaſionem volens arripuit Publicola [56]. Multi etiam magiſtratu alioqui honorificentiſſimo ante tempus abiere: quòd eum ſcirent apud ſuos eſſe inuidioſum: vti de Scipione, & Figulo recēſet Cicero [57]. Et Oſtraciſmo [58] virtutem, potentiámque ſuā luerunt non pauci: quòd aliter populo ſua quies, ſecuritáſque conſtare poſſe non videretur. Et reperiuntur tamen, qui vetulas quotidiana minarum iactatione terribiles; veneficiorum, quæ deinde ſequuntur, certiſſima noxa formidabiles: Et ipſo tandem ſanationis, cuius ſolæ facultatem habere dicuntur, miraculo venerabiles defendant: nullam ob tot, tantáque ſcelera, atque flagitia animaduerſionem, ſuppliciúmque mereri. Hoc autem quid eſt aliud, niſi ſi eſt (quod dicunt) luporum in medio ouili arcem, præſidiúmque ſtatuere. Certè memini videre me totos pagos, qui de alio migrando cogitarent; non alia cauſa, quàm quòd impunitam, inultámque nimia Magiſtratus indulgentia viderent iſtam in maleficis mulieribus alias diuexandi licentiam. Sed non habeant hęc ſatis idoneam cauſam ad ſtatuendum aliquem iudicijs de re adeò graui modum. Sit contra fas, legéſque conceptum apud vulgus ex incerto rumore metum eo trahere: vt eius adimendi occaſione neceſſe ſit cuiquam vitam per ſummum dedecus eripere. At hîc iam quieſcat om-

56. Plutarch. in eius vita.

57. Lib. II. diuinat.

58. Plutarch. in Pericle & Ariſtide.

nis calumnia necesse est: quòd adhuc ad pœnā raptum neminem quisquam audiuit, quem maleficiorum indubitatus euentus testium planissima elogia, ipsáque adeò ad vltimum perseuerans confessio tanti criminis manifestum ante non reddidisset. Sed iam insurgit longè firmissimum eius defensionis propugnaculum: legibus[59] nihil in quemquam vindicari solere, quod non ipse voluntate, consilióque admiserit. Cui rei nihil æquè repugnet, atque illa, quæ à Dæmone affertur vis eorum libertati, quos sic in seruitutē abducit. Neque enim obscurum esse quibus ille dolis, machinis, fallaciis, ac præstigiis ingruat, vbi hoc molitur. Adeò vt vix sit in cuiusquam potestate, maximéque vbi ętas, sexus, ac rusticitas consilium impediunt, eius studiis, conatibúsque obsistere. Ehodum dic mihi: vllúmne nisi illo authore, atque impulsore committitur flagitium [60]? Auditúsne est ob id quisquam absolutus iudicio, quòd diceret se in eam cuius reus ageretur fraudem esse à Diabolo illectum? Vno equidē nomine hoc est euertere omnem à fundamentis doctrinam Christianam: qua monemur [61] semper in Deum sperare: quòd is sit fidelis, nec vnquam permissurus, vt tentemur supra id quod possumus. Verùm ne quid otiosi cessemus, quasi sit ille hanc pro officio securitatem nobis etiam incogitantibus pręstiturus, Imperatoris se in hoc munus tantum exequi velle ostendit: vbi vicissim à nobis postulat, vt eius nutu, voluntatéque pendeamus: fidei inconcussæ arma capessamus: intrepidi hosti obsistamus[62], & quantum in nobis est rem strenuè, gnauitérque geramus. Ac quoniā ignoratione eius, cum quo

59. l. sæpè. De verb. signif. l. i. Ad leg. Cornel. de sic.

60. Sap. 2.

61. 1. Cor. 10.

62 Ad Ephes. 6. 1. Petr. 5.

quo committimus, multa sæpè peccantur: quòd victoriæ initium ab eius perspectis viribus, consiliisq; sępè oriatur: monet etiam diligenter quali cum hoste nobis pugna futura sit: Nimirum cum eo qui maleuolentia, nocendíque cupiditate, viribus, vigilantia, aut vllo belli apparatu nunquam deficiatur: quíque instar leonis rugientis famelici, atque oberrantis semper quærat, quod deuoret[63]: Ac qui etiã, 63. II. Cor. 11.
si quando vires minus proficiant, leoninæ pelli vulpinam assuat: Eudemonis personã, quo faciliùs imponat, adumbrãs: quasi qui hostium tesseras ad eos ipsos deludendos assimulant. Ecce vt tali Imperatore, támque fidelibus monitis, ac consiliis res hosti, & immani, & versuto longè à victoria abfutura est, si nos nobis ipsi nõ desimus. Etsi enim is nõ dormit[64]: 64. I. Petri. 5. cap.
sic nec dormitat, aut sopore languet, qui custodit Israël[65]. Quo magis mirũ est reperiri ea diffidentia, 65. Psal. 120.
ne dicã impietate homines, qui dimicationis exitũ ad eius qui lacessit nutum, atq; arbitrium cõferant: quasi necesse sit qui appetũtur illicò omnes succumbere, victásq; manus dare, ac nõ potius credere fas sit Christianos omnes Satanę telis esse impenetrabiles[66]: nisi ipsi sponte relicto pręsidio, abiectóq; clypeo nudi in eius arma proruerint: aut nisi potius volẽtes in eius castra profugerint. Quorsum enim Seruator[67], dũ nobis exẽplo præit, Satanã impia suadẽtem abire iubet: nisi vt certa fiducia idem facere audeamus, persuasum habẽtes parẽ pugnę exitum esse nacturos, si eius ductu, atq; auspicio rẽ geremus: siq; cũ Propheta[68] hosti dicemus: Vade homicida, dominus mecũ bellator fortis! sic enim toties exclusus abibit, quoties insultus repetet, præliũq; redintegra-

66. D. Grego. 29.
67. Matth. 4.
68. Ieremiæ 20.

69 D.Hiero.in vita D.Hilarionis & Pauli. Palladius.
bit:vti nō ſemel eueniſſe memorant hiſtorię[69]:cùm
pios illos patres,qui in ſolitudinibus religionis ergô
conſidebant,eius technis,& ſæpè,& fruſtra adortus
eſt. Sed nihil mirū eſt,ſi quos iā habet aliqua ratio-
ne obæratos,tādem lōga fœnoris acceſſione,veluti
obrutos neruo, cōpedibúſque arctiſſimè vincit,ac
conſtringit.Nā ferè ſtupris,libidinibus,furtis, cędi-
70. Act.c.7. Exodi.10. Iſaiæ.6. Ad Rom.9.
bus,aliíſq; flagitijs delibutos,ac delibatos[70]: demū
hoc ſortilegij corollario nobilitat,fabuláque(quod
aiunt)fabulam trahit,ſic permittente Deo:qui pec-
catum peccato,cæcitatem cæcitate,ignorantiam i-
gnorantia punire ſolet.Vt enim ſibi militem(quod
ait D.Ambroſius[71])eligit CHRISTVS:itidē Diabolus
71. In lib. de beata vita.
volūtarium ſeruū auctionatur, & ſuo iuri acquirit:
neminémque iugo ſeruitutis aſtrictū poſſidet, qui
ſe ei prius peccatorū ære non vendiderit.Imputent
igitur ſibi,quod ſic volentes Dæmonū implicantur
erroribus:cùm antè à Deo deflexerint ipſi, quam is
72. Hoſeæ.9.
illis tergum obuerteret[72]:agnoſcántq; ſe iuſto eius
iudicio Satanæ in tam duram ſeruitutē eſſe condo-
73. Rom.1.
natos,ac traditos[73].Neq; etiam iā ad illud,quod in
vltima legitimarū defenſionū inopia vſurpari ſo-
let,confugiant: calamitoſos potius eſſe erigēdos,ac
recreandos,quā vexandos,aut dāno aliquo augen-
dos:cū hæc miſericordia in eos non conueniat, qui
in miſeriam volētes inciderunt : quíq; (quod aiunt)
aſciam cruribus ſuis ipſi eliſerūt.Iā quod autumant
pactum nullū inter hominem, & Dęmonē rectè in-
tercedere poſſe:quia nimirū nec iuris,nec orationis
alteri cū altero vlla eſſe queat cōmunio , atq; ſocie-
tas.Tū ſi quod intercedere poſſit tantam eſſe earum
rerum,quę in ſtipulatū deducuntur,difficultatē,ab-
ſurditatem,

ſurditatẽ, iniquitatẽ; vt inde nulla poſſit valida ſatis oriri obligatio. Iſtę quidẽ rationes cõuenirent, ſi de hoc in iure ex edicto eſſet diſceptandũ: Quòd videlicet ad publicã læſionẽ pertineat: quòd turpẽ cauſam cõtineat: quòd ad circũſcriptionẽ ſic malitioſè excogitatum: quòd nemo vel ſi maximè cupiat, id præſtare, atq; efficere queat; & alia id genus, quibus ijs ſubuenitur, qui in captionẽ aliquam inciderunt. Nam excludendæ actioni puto prodeſſent, ſiquam fortè Dæmon inſtitueret: vti apud Bartolum [74] contra Virginẽ matrem. Sed cum tẽtationis, impulſionísq; via, in qua ridiculũ ſit neceſſariã ad legitimos actus perſonarũ habilitatem cõſiderare, hoc totum aggrediatur facere fruſtra, atque otioſè mihi videntur agere, qui diſſentanea illa, repugnãtia, ac difficilia in argumentum trahere, atq; adducere conatur. Et, vt hęc Iuriſconſultorũ placitis, ac legibus dimetiri oporteat, ſatis anteà eſt demonſtratũ [75] ſermonis vſum ineſſe Dęmonibus: quo idoneè voluntatẽ ſuam ſignificant, ac interrogando, reſpondendóq; ſtipulationẽ conſtituant. Tum ſi quę ſunt, quę vires eius, qui ea ſpondet, hominis vincant, ac ſuperent; quaſi ſupra modum, ac naturã conſtituta in ijs præſtãdis Dæmonẽ ea qua eſt maxima poteſtate adniti, atq; vltro opem ſuã prębere. Turpium porrò, atq; inhoneſtorum cauſam nihilo magis hoc negotium impedire: quàm latrones, meretricéſue à præda, & quæſtu reuocãt facinoris atrocitas, famæq; pudor, ac verecundia. Væ igitur illis (vt cũ Eſaia loquar [76]) qui ſic fœdus cum morte percuſſerunt, & cũ inferno pactũ fecerũt. Pactum (inquit D. Auguſtinus [77]) conſtitutum ex peſtifera ſocietate hominum, atq;

Dæmonum:

74. *In quæſt. ventilata coram D. N. Ieſu-Chriſto.*

75. *Geneſ. 3.*

76. *Cap. 28.*

77 *Libri 2. de doctrina Chriſtiana.*

Dæmonum:pactũ infidelis,& dolosæ amicitiæ. Væ quoqueillis,qui adeò horrendi,atq; execrandi criminis odium deprecantur,pœnásq; minuunt excusatione metus,ętatis,sexus,imprudentiæ,atq; aliarũ id genus rerum:quas ne in leuioribus quidem prætexere quisquã sanæ mentis audeat. Quid enim hoc est,si non est(vt inquit D.Paulus[78])apertè Deũ prouocare,atq; impetere. Siquidem impiũ est(ait Cassiodorus[79]) Iudices illis esse indulgentes,quos cælestis pietas nõ patitur impunitos. Obstare ne eius regnum veniat:neque enim id stabiliri,ac confirmari melius potest,quàm cùm hostes eius vnà cũ Satana ipsorum Imperatore prosternuntur,perduntur,obteruntur. Vbi impius(inquit D.Ambrosius[80]) interficitur,Christus infunditur:vbi abominatio aboletur,sanctificatio consecratur. Hominum securitati, tranquillitatíque pessimè consulere:Nã(ait Pythagoras[81])οἱ μὴ κολάζοντες τοὺς κακοὺς βούλονται ἀδικεῖσθαι τοὺς ἀγαθούς. Denique malũ bonum(quod ait Esaias[82]) & tenebras lucem dicere,omnémque omnino virtutis, vitij,præmiorum,pœnarum delectũ, iudiciumq; tollere. Equidem non verebor qui sim tam longo, ac diuturno maleficorum examinandorum vsu exercitatus,ac confirmatus,palàm,atque ingenuè de ijs sententiam meam ostendere:ac ipsam quãtum potero proferre lucem veritatis. Videlicet tot impietatibus,veneficijs,portentosis libidinibus, flagitiosisq; facinoribus vitam illis apertè esse inquinatam, ac contaminatã:vt è iure esse non dubitẽ omnibus tormentis excruciatos igni interficere:tum vt debitis pœnis sua expient scelera:tum vt alijs sint documento,ac magnitudine supplicij eos deterreant.

FINIS.

78. 1.Cor.c.10. & ad Rom. cap.13.

79. Lib.9.in edict. Alarici regis.

80. In Lib.2.de Paradiso.

81. Stobæus sermone 44.

82. Cap.5.